6
32 L
5
NATIONALE
I. 2. 76
C. 4
5. F
a. 7
N. 11.
14-17. g. 23
Digitized by Google

Bibliotheca Feliciana.

Digitized by Google

Digitized by Google

VESTIGATIONES PERIPATETICÆ

Matthæi Ferchij Veglenſis Min: Conu:
In Vniuerſitate Patauina Theologi.

ILLVSTRISSIMO, ET EXCELLENTISSIMO D.

D. IOANNI BASADONNAE.

BIBLIOTECA ROMA

CVM PRIVILEGIO.

PATAVII, M. DC. XXXVIIII.

Ex Typographia Pauli Frambotti Sup: Permiſſu.

Digitized by Google

Digitized by Google

ILLVSTRISSIMO, ET EXCELLENTISSMO D.

D. IOANNI BASADONNÆ

INTER AMPLISSIMOS VENETIARVM SENATORES, SAPIENTI MAGNO.

Matthæus Ferchius Veglensis Min: Conu: Patauij Theol.

BIBLIOTECA NAZ. VITTORIO EMANUELE

CVM primum tuis auſpicijs, Heros præcellentiſſime, in Patauinam Vniuerſitatem ſum aſcriptus Metaphyſicæ lector, animo concepi Veſtigationes Peripateticas tuo nomini, obſeruantiæ, & gratitudinis ergò, nuncupandas. Præruptus eſt incohati operis curſus à Theologiæ lectionibus publicis, & priuatis: à multis, magniſq; irruentibus incommodis; ſed tandem reparato curſu in typos exit: ac veluti tuo benigno fauore in ſecreto mentis genitæ ſunt veſtigationes, ita cum ex mente in mundi lucem naſcuntur, tuo itidem fauore benigniſſimo contectæ, prodire concupiſcunt. Narrat Peripateticorum Princeps in Media ex niue ſeneſcẽte, in Cypro ex igne concremante animalcula quædam naſci; ea naturæ lege, vt ſi ex natiuo parentum gremio eruantur: & alumnum niuis, & alumnum ignis viuens, mortem celerrimè incurrant. Niuis veteraſcentis candor tuæ nitorem maturæ ſapientiæ, ignis exurentis feruor tuæ ardorem proficuæ beneuolentiæ erga me, meaq; talis eſt: vt quicquid boni, honeſtiq; ex me ſit, tua ſapientia, & beneuolentia, natum, auctum,

perfectum existat. Exploratumq; ideò sit, hæc mea opuscula, tandiu duratura, quandiu defendentur complexu tuæ paternæ Protectionis, ac tuę ampliſsimæ Familiæ. Familiæ celeberrimæ, quæ inter Venetam nobilitatem, quasi gemma terræ, vel stella cæli fulgens, fœcunda parens, & fons in exhaustus perpetim extitit præstantiſsimorum procerum: præcipuè verò enixa est duos Ioannis nomine, quasi cæli luminaria coruscantes: alter est Ioannes Auus tuus, alter Ioannes Tu, auitę glorię generoſisſimus Hęres. Ille à Sereniſsima Republica, in præclaris Viris diſpiciendis oculatiſsima, legatus ob ingentes animi, & corporis dotes ad Paulum III. ſummum Pontificem, Principem ad Deum, & ad homines prudentiſsimum: cum in stadio honoris heroicas patrię charitatis, intaminatę fidei, integritatis illibatę, prudentiæ ſingularis actiones exerceret, in Vrbe pro Patria mortuus, in orbe gloria viuit immortali. Ioanni Baſadonnę magno, magnus Ioannes ſuccedis. Cum etenim iura pacis Brixię Prętor æquiſsimus, belli vires Vtini, & in Patria Fori Iulij fortiſsimus Prefectus ſupra omnem ſpem tractaſſes: confeſtim munera illa, & ſi magna, longè minora tui prudentiſsimi, & magnificentiſsimi pectoris robore apparuere; illudq; in ſapientiſsimorum Venetę Reipublicę purpuratorum cordibus de Ioanne Baſadonna inſonabat, quod de Q. Catulo Cicero dixit. Talis eſt vir, vt nulla res tanta ſit, ac tàm difficilis, quam ille non & conſilio regere, & integritate tueri, & virtute conficere poſſit. *Quocirca in lucem Veneti Senatus accitus ad viſcera Reipublicæ viuificanda, vnde ſpiritus vitalis omnis, omnis ſenſus, omnis motus in omnia dominij membra longè, lateq; manarent affluenter: inter Excellentiſsimos Senatores, & inter Sapientes magnos à florente ętate vſque ad canos in-*

de-

Digitized by Google

defesso labore, imperturbato cursu, irreprehensibili innocentia, & fulsisti lucidissimè, & fulges. Summi Magistratus te maiestate, & honoribus exornarunt, tu illos vbertate virtutum, vigilantia in discernendis, magnanimitate in superandis, salubritate insuadendis, maturitate in decernendis, constantia in perficiendis quibusq; grauissimis negotiis: vt Anor flagrantissimus boni publici, te boni publici gratia genuisse videatur. Nec solùm illæ Senatoriæ virtutes ad commune regimen spectantes, sed et aliae micant, affabilitas ad omnes, ad religiosos pietas, ad eruditos doctrina, ad egentes liberalitas, ad fractos, & iacentes charitas, ad tuos suauitas, ac protectio admirabilis. Talem ego à duodecim annis, celsissime Vir, frequentissimè, & saluberrimè sum expertus: semperq; ex amplitudine tua, & præsidia periculis, & adiumenta honoribus sum adeptus: nihilq; desideraui, quod à te non fuerit benignissimè concessum. Ad eundem benignitatis fontem recurro, atq; obsecro, vt quas Vestigationes tuæ sapientiæ candore, tuæ beneuolentiæ ardore procreasti, easdem excipias, exceptas tueare: quò per te non vitam modò, sed vitam perpetuam sortiantur. D. O. Maximus, Beato Antonio Patauino interpellante, seruet Excellentiam tuam ad Noeticos Annos.

Patauij die 15. Februarij. M.DC.XXXIX.

Digitized by Google

VESTIGATIONES.

1. De factione ex nihilo. car. 1.

2. De efficientia primi entis. Lib. 2. car. 17.

3. De primo efficiendi modo. Lib. 2. car. 130.

4. De Vnitate Dei. car. 180.

5. De numero Cæleſtium orbium. car. 223.

6. De forma ſeparabili, vbi de anima immortali. Lib. 2. car. 246.

7. De numero predicamentorum. car. 349.

8. De Cognoſcibilibus ab homine. car. 361.

9. De ſcientiarum diuiſione. car. 387.

10. De primo cognito. car. 415.

Adi

Digitized by Google

Adi 4. Nouembre 1634.

Gli Eccelentiſſimi Signori Reformatori dello Studio di Padoua, hauendo veduta la fede del R. P. Vicario del Santo Officio di Padoua, & l'atteſtato di vno delli Conſultori in Iure, concedono licenza di ſtamparſi il Libro intitolato Veſtigationes Peripateticæ, Authore il R. P. Maeſtro Matteo Veglia, in quarto ſcritto.

Vicenzo Capello Procurator Reformator.
Angelo Contarin K. Reformator.

Girolamo Cauazza Segretario.

Hoc opus Veſtigationum Peripateticarum ab admodum R. P. Magiſtro Matthæo Ferchio Veglenſi in publica Patauina, Academia S. T. profeſſore compoſitum, ex præcepto Reuerendiſſ. Patris Magiſtri Io: Baptiſtæ Berardicelli totius ordinis Min: Con: Miniſtri Generalis, maiori, qua potui diligentia vidi, & perlegi. Ea autem, quæ in ipſo continentur, ita doctrinæ profunditate, ſubtilitateq; ſ ita ſpeculationum ſoliditate, enuaitionis excellentia, Religionis pietate, & inueritatem indagando felicitate, ac facilitate reſplendent, vt dignè tanti viri conſonent ingenio, & labori; cuius mẽtis acumen in detegendis ſcientiarum arcanis nunquam, niſi ad vltima perueniat fundamenta, deſiſtit. Dignum igitur arbitror opus huiuſmodi, quod in publicam totius orbis vtilitatem excudatur. Patauij die 26. Ianuarij 1636.

Ego Fr: Iulius Ant: de Tarento Ord: Min: Con: in Antoniano Coll: Patauij Regẽs ſupradicta ſcripſi, & confirmaui manu propria.

Opus

Opus, cuius titulus Veſtigationes Peripateticæ authore Ad R. P. Magiſtro Matthæo Ferchio Veglenſi in vniuerſitate Patauina publico S.T. Profeſſore, auctoritate noſtra à Patre Magiſtro Iulio Antonio de Tarento in noſtro Coll: Patauino Regente recognitum, cum ex eius teſtimonio Catholicæ fidei, aut bonis moribus minimè diſſonum eſſe conſtet, ſeruatis ſeruandis, vt typis mandetur, facultatem concedimus. In fidem, &c.

Dat Patauij, die 29 Ianuarij 1636.

Fr: Io: Baptiſta Miniſt: Gener:

Locus
Sigilli.

Fr: Bonauentura Veliternus
Secretarius Ordinis.

Digitized by Google

VESTIGATIO PERIPATETICA PRIMA DE FACTIONE EX NIHILO

Enuntiationem illam, Ex nihilo nihil fit, ab antiquis, non ab Aristotele assertam, ostendendum proponitur.

CAPVT PRIMVM.

Num. 1 PErstrepit vsque quaq; Peripatū antiqua illa enūtiatione, *Ex nihilo nihil fit*. quam tanquam planè Aristotelicam penè omnes Aristotelici receipiunt incunctanter. Ego verò præsenti opusculo alienā ab Aristotele Peripateticorū Principe nitor ostendere. Vereor sanè, ne Lector ignota peregrinitate perculsus, quod dicere, & audire non consueuit, nec dicendum, nec audiendum credat; quemadmodum enim consueuimus, ita iudicamus dici debere, teste Philosopho in 2. met. 14. Verùm, Lectorem à me recedentem facilè, vt spero, reuocabo, non ignota mea, sed notissima, familiariq; Arist. voce, quā exaudire fortè dignabitur. Ergo Arist. ita loquitur. *Quare si omnia, quæ in opinionē veniunt, & apparent, nō rectè existimantur: nihil fortasse conuenit, vt huic etiam opinioni, & dogmati acquiescamus, quod Nihil ex nihilo fieri statuit, quippe cum vna etiam quædam ex non rectis hæc opinio sit, quam ex sentiendo quodammodo, cum in multis essemus, existimauimus.* Audisti ne, quòd hoc dogma *Ex nihilo nihil fit*, est opinio non recta? Non rectè existimata? non conueniens, nihilq; habens, cui acquiescamus? Non ego hæc scripsi Græcè, non Latinè reddidi, non priuatim, non publicè imprimenda curaui: sed multis sęculis antequam nascerer ab Aristotele præscripta fuere in lib. cui titulus est de Xenophane: multis annis ante reddita in Latinum à Ioanne Bernardo Feliciano; sapiusq; recusa fuerunt. Contra tàm lucidam, tàm prędaram Arist. authoritatem, & si assuetus oppositio dicto, repugnare non valeo. Igitur hoc dogma, quòd Ex nihilo nihil fiat, multorum est, non Aristotelis, non rectum dogma; cui profectò Aristoteles, si de se asserenti fidem accommodemus, non acquiescit.

Num. 2 Invaluerant apud priscos illos naturalis scientiæ professores, Melissum, Parmenidem, Zenonem, Anaxagoram, Empedoclé, alioſq; illæ propoſitiones: Nihil fit ex eo, quod non eſt. Omne, quod fit, fit ex eo, quod eſt; quibus illi tanquam inconcuſſis nixi fundamentis reſonarent, *Ex nihilo nihil fit*; & ſuperſtruerent ruinoſos errorũ parietes. Ariſtoteles verò modeſtè refellere veteres inſtituit: quare non omnino hoc eorum dogma conuulſit. Ideò quemadmodum omnes ante Ariſtotelẽ peruaſerat, ita radicibus altè nimium infixis, poſt eundem Peripateticos penè omnes idẽ dogma ad ſe traxit. Cõſuetudine hac euulgata ſuſtinẽdi propoſitionẽ, *Ex nihilo nihil fit*, abductus eſt Auerroes cũ numeroſa ſequaciũ caterua. Nã in 2. met. comment. 15. de imbecillis mẽtibus, quę affirmant, vel negant prima principia, quà ſint, vel nõ ſint famigerata. ſic ait Auerroes *Et iſti cũ cõcedũt prima intellecta, nõ concedunt ea, niſi inquantum ſunt famoſa; ita quod, ſi acciderit, quòd contraria eorum ſint famoſa, negabunt ea; ſicut accidit loquentibus, qui negabant, Impoſſibile eſt eſſe aliquid de nihilo, licet propoſitio ſit conceſſa ab omnibus ſcilicet, impoſſibile eſſe magnitudinem ex non magnitudine, ita quod vidi multos homines dantes ad Philoſophiam, & negabant illam propoſitionem eſſe primam; & ſimiliter negabant formas ſpecificas eſſe propriat materijs neceſſariò. Adeò quòd Auicenna cum ſua famoſitate in philoſophia dicit, hominem generari ex terra eſſe poſſibile, ſicut murem, & alia multa.*

Quare Auerroes non ſolum opinatur illam enũciationem eſſe veram, ſed etiam putat eſſe principium primum & per ſe notum. Eandẽ cũ Auerroe ſentẽtiã plurimi amplexantur, vt Iand. 2. Met. q. 2. Raguſ. Peripateticarum Diſputationum, Diſput. 7. cap. 4. & diſp. 21 cap. 17. Pererius in ſuo 5. Phys. cap. 7. Piccolom; lib 1. & 2. de Creatione; Eandem aſſertionem ſuſtinere videntur Themiſtius in 8. phyſ tex. 6. & Simplicius in eundẽ lib. digreſſ. prima contra Ioannem Grãmaticum. Gregor. Arimines. in 2. ſent. diſt. 1. q. 1. Baccon. quod. li. 1 q. 7. & 14.

Ab alieno Authore aliena oſtenditur aſſertio, Ex Nihilo nihil. Caput II.

Num. 3 QVoniam autem Peripateticorum Princeps aſſeruit, enunciationem illam, *Ex nihilo nihil fit*, eſſe vnam ex non rectis opinionibus. Idcircò ipſam à ſequacibus Ariſtotelis eſſe negandam arbitror, tanquam extrariam à Lyceo.

Quatuor vijs interea conabor oſtendere hanc propoſitionem eſſe alienam ab Ariſtotele, Prima eſt reiectio propoſitionis in alios authores: ſecunda eſt ab abſurdis deductis: tertia eſt limitatio: quarta eſt negatio huius aſſerti, *Ex nihilo nihil fit*. Probationeſq; inducam tantũmodo ex verbis Philoſophi, nec enim meam ſtatuere, ſed ipſius ſententiam veſtigare conſtitui.

Principiò dum legerem attẽtiùs Ariſtotelem, commouebar non me

dio-

diocriter, dum animaduerterem, eam propoſitionem, *Nihil fit ex eo, quod non eſt*, crebrò ab Ariſt. referri, at ſemper tanquam aliorum authorum referri. Quòd ſi ſemel, aut bis ipſam retuliſſet, vt alienã, alias vt propriam; non ſine obſeruatione diciſſem, propoſitionem eſſe alienam, vt Authoris, Ariſtotelicam, vt ſequacis. Reijci verò tàm ſæpè, tàm accuratè hãc propoſitionem in alios, non eſt ſine artificio. Si tua eſt aſſertio, cur alijs appingis? Nonne manifeſto argumento doces, eam eſſe alienam, non tuam? Loca Ariſtotelis percurramus.

In primo phys. 33. *Videtur*, inquit, *Anaxagoras ſic infinita opinari, quoniam putabat communem opinionem Phyſicorum, eſſe veram, Quod nihil fit ex eo, quod non eſt; propter hoc enim ſic dicunt, erant ſimul omnia, & fieri huiuſmodi ſtatum alterari: alij autem congregationem, & ſegregationem.* Cernis hoc loco enuntiationem iſtam, *Nihil fit ex eo, quod non eſt*, referri vt communem opinionem Phyſicorum: quam & Anaxagoras putabat veram. Ergo reijcit in Anaxagoram, & antiquos Phyſicos propoſitam aſſertionem.

Adde eiuſdem primi phyſ. textu 34. *Horum autem Id, quod eſt ex ijs, quæ non ſunt, fieri impoſsibile eſt (De hac enim conueniunt opinione omnes, qui de natura) reliquum iam contingere ex neceſſitate putauerũt.* Reijcit in alios, & in Anaxagoram ſpeciatim, cuius fundamẽta refert.

Id ipsũ in eod. primo phyſ. textu 71. fecit, reijciens in antiquos Philoſophos illam, quam à ſe reijcit propoſitionem. Hunc locum ſequenti capite legendũ producam. *ad num* 6.

In primo de Ortu, & interitu textu 8. afferens argumentum Democriti, probantis, dari magnitudines indiuiſibiles: in illius argumento reponit dogma iſtud. Sic habet. *At verò ſi nullum erit corpus, neq; magnitudo, diuiſio autem erit, aut ex punctis erit, & ſine magnitudine ea erunt, ex quibus componitur, aut nihil prorſus. Quare & ſi generabitur ex nihilo, & ſi erit compoſitum, & ipſum vtiq; vniuerſum nihil, &c.* Lege antecedentia, & ſequentia, cognoſceſq; hæc omnia dici ſecundum Democritum.

In primo item de Ortu, & inter. contex. 11. & 12. Philoſophus inquirens, an generatio ſimpliciter ſit ex ente, an ex non ente: & an ſubſtantiæ ſit generatio, abutitur illa propoſitione inter dubitandũ: & ne ſua eſse crederetur, cautè monet ab alijs prolatam. Arguit. Si ſubſtantiæ eſt generatio, ergo erit ſubſtantia aliqua potentia, non actu, ex qua generatio eſt, & in quam corruptio. Vtrum igitur in iſta ſubſtantia erit aliquid aliorum Prædicamentorum, an non? ſi fuerit, ergo accidens ſine ſubſtantia. *Si nihil, ſed omnia potentia. & ſeparabile accidit id eſſe, quod ſic eſt non ens, & inſuper (id quod maximè timentes erant, qui primi philoſophati ſunt) ex nullo generari præexiſtente.*

Sed & in 11. primæ Philoſophiæ ſum. 2. cap. 4. *Nihil*, inquit *ex non ente fieri, omne verò ex ente fere omnium naturalium eſt decretũ.*

In primò Elenchorũ cap. 4: Meliſſi paralogiſmum affert, at non ſine decreto naturalium iſto, Ex nihilo nihil. *Similiter autem, & in ratiocinatiuis: vt eſt Meliſſi oratio, quòd infinitum eſt Vniuerſum: ſumens autem Vniuerſum ingenitum (nam ex nihilo nihil fieri) quod autem factum eſt, ex principio fieri.* Neq; ſolum in textibus hucuſq; productis, ſed etiam in producendis paulò poſt, obſeruari poterit, Ariſtotelem fugere, quaſi à cane, & angue, ab ea opinione non recta, quam in veteres naturales tàm attentè reijcit: vt nos Ariſtotelis imitãtes ſolertiam reijciamus iſtud decretum in veteres, non in referentem veterum opiniones.

Illud verò me maximè perſuadet, quòd in 7. Met. 23. Philosophus agens de generatione compoſitorum, ſiue à natura, ſiue ab arte, profert hanc propoſitionem *Ex nihilo nihil fit.* Certè in generatione compoſitorum aſſertio illã vera eſt, compoſita enim generantur ex materia prꝫexiſtente, & ex forma tunc incipiente. Nihilominus vbi propoſitio iſthæc erat certæ veritatis, adhuc ab Ariſtotele affertur cum reiectione in alios, quaſi indicet eam, & ſi in propoſito veram, non tamen abſolutè veram, ſed recognoſcendam, tanquam infectam alieno errore. Produco textum. *Quare, quemadmodum dicitur, impoſſibile eſt fieri, ſi nihil prꝫexiſtat. Quod igitur pars ex neceſſitate exiſtet, patet. Materia nanq; pars ineſt etiam hęc, & fit.* Obſerua phraſim, *quemadmodum dicitur*, hoc eſt dicitur à communi vulgo Philoſophorum: nam abſolutè hoc dogma aliorum eſt. Nec enim incaſſum Ariſtoteles illam adiecit particulam, vt præmonitionem, quòd propoſitio eſt alienа. Habes octo loca, in quibus Author enunciati controuerſi alius affertur ab Ariſtotele, qui mos in proprijs placitis ab Ariſtotele non ſeruatur.

Ex abſurdis. Caput. III.

SEcunda via procedit ex abſurdis. Ariſtoteles quippe ex illo principio antiquorum, *Ex nihilo nihil*, oſtendit profluxiſſe penè plurima, & grauiſſima veterum errata Philoſophorum: quamobrem non eſt Ariſtotelis aſſertio, quæ ab Ariſtotele fons eſſe abſurditatis oſtenditur. *Num 4.*

In 11. met. ſum. 2. cap. 4 allatis duobus abſurdiſſimis dogmatibus, altero Heraclitidicentis, *Duo contradictoria ſimul eſſe*: altero Protagoræ aſſerentis, *Quæ cuiq; apparent, hæc eſſe vera*: detegit Philosophus radicẽ Heraclitei placiti dicens. *Soluetur autem hæc dubitatio, viſo vnde huius opinionis principium venit. Videtur enim quibuſdam quidem ex naturalium opinione ſumpſiſſe principium; quibuſdam vero ex eo, quod non omnes eadem de ijſdem cognoſcant, ſed quibuſdam hoc apparet delectabile, quibuſdam contrarium. Nihil enim ex non ente fieri, omne verò ex ente, ferè omnium naturalium eſt decretum Cum igitur non album ex perfectè albo fiat, & minime ex non albo: nunc verò factum*

non

non albũ, si fieret ex non ente albo, quod sit non album, fieret profectò ex non ente secundum illos, si non erat idẽ albũ & non albũ. Ad cõstruẽdũ hoc argumentum, quo probatur quòd album, & non album sunt idem, accipiuntur duæ suppositiones. Prima est. *Ex opposito fit oppositum*, vt ex non albo album, prout in primo phys. 43 & 47. atq; 12 met. 6 statuitur. Secunda suppositio est. *Nihil fit ex eo, quod non est.* Si ergo ex albo fit non album, per primum suppositum; & item si ens non album fit ex ente non albo, ergo idem terminus à quo est album, & non album. Si autem ens non album fit, & non fieret ex ente non albo, ergo ens non album fieret ex eo, quod non est: quod quidem aduersatur communi naturalium decreto, hoc est secundæ suppositioni; igitur per primam suppositionẽ terminus à quo est *album* per secundam terminus à quo est *non album*: quare idem terminus est album, & non album, & duo contradictoria sunt simul vera. En quàm grande absurdum deducebatur ex illo naturalium consensu. Obserua insuper in hoc tex. bis istud assertum naturalium in alios authores esse reiectum, quod primam viam magis confirmet.

Num. 5. Secundum absurdum habetur in 4. met. contex. 19 nempè absurdissimę opiniones tùm Anaxagoræ tùm Democriti docentur oriri ex illa assertione, *Ex nihilo nihil*, hę scilicet opiniones. Simul contradictoria, & contraria esse. Textus sic habet. *Aduenit autem illis, qui dubitant, hæc opinio à sensibilibus; illa quidem, qua dicitur, simul contradictoria, & contraria esse, videntibus ex eodem contraria fieri. Si igitur non est possibile, quod non est fieri, præexistit similiter vtrumq; ens; sicut & Anaxagoras, omne in omni misceri ait, atq; Democritus. Etenim hic quoq; vacuum, & plenum similiter in quacunq; parte esse, atque horum hoc quidem ens, hoc verò non ens esse.*

Tertiũ absurdũ, & quasi auctariũ præcedentiũ cum inchoatione quarti ostẽdemus per citatos textus primi phys. 33. & 34. In Chao, nedum omnia contraria, sed omnia, atq; infinita similaria coegit Anaxagoras: vnde nam, nisi ex infausta hac radice, *Ex nihilo nihil*? Quæ etiam per motus negauit generationem, & ipse quidem eam alterationem dicit ens, alij verò cõgregationem, ac segregationem pro generatione obtrudẽtes. Ascribo tex. tũ. *Quoniam putabat communem opinionem Physicorum esse verã, quòd nihil fit ex eo, quod non est, propter hoc enim sic dicunt, erant simul omnia, & fieri huiusmodi statuunt alterari; alij autem congregationem, & segregationẽ. Amplius autem ex eo, quod fiunt ex alterutris contraria inerant ergo; si enim omne, quod fit, necesse est fieri, aut ex ijs, quæ sunt, aut ex ijs quæ non sunt, horum autem id quod est, ex ijs, quæ non sunt fieri, impossibile est (de hac enim conueniunt opinione omnes qui de natura) reliquum iam contingere ex necessitate putauerunt, ex ijs quidem quæ sunt, & insunt fieri, sed propter par-*

paruitatem magnitudinum ex insensibilibus nobis: vnde dicunt, omne in omni misceri. Sanè audis, propter hoc, quia *ex nihilo nihil fit*, dixit Anaxagoras, *Erăt simul omnia*: propter hoc dixit, *contraria simul inerant*: propter hoc, *omne in omni misceri*; propter hoc generationem & ipse, & alij funditus abstulerunt. In causa est communis opinio Physicorum, quoniam putabat eam esse veram. Quid est *putabat*, nisi Anaxagoras putabat, & non ipse ego Aristoteles?

Porrò & Empedocles hic videtur arcessitus, qui generationem, & corruptionem congregatione, & segregatione metiebatur. Imò plurimi, qui & semper eandem substantiam existere dixerunt, vt videre est in primo met. sum. 2. cap. 1. nam hi omnes ortum, & interitum substantialem interemerunt.

Num. 6 Quartum absurdum modò accusatum, quo tollitur omnis generatio, & corruptio substantialis, ex eodem fonte manauit. In primo de physico auditu tex. 71. antiquorum dubitatio ad hoc absurdum roborandum relata est. *Dicunt neq; fieri eorum, quę sunt vllum, neq; corrumpi: propterea quod necessarium est fieri id, quod fit, aut ex eo, quod est, aut ex eo, quod non est. Ex his autem vtrisq; impossibile esse, neq; enim quod est fieri, esse enim iam; & ex eo, quod non est, nihil vtiq; fieri, subijci enim quippiam oportet.*

Quintum absurdum in textu immediatè sequenti colligit, hoc est incredibilem Melissi opinionem, omnia entia confundentis in vnũ dicentisq; omnia entia esse vnum ens. Prosequitur Aristoteles in textu 72. primi phys. *Et sic itaq; quod consequenter accidit augentes, neq; esse multa, dicunt, sed tantum ipsum, quod est. Illi ergo talem acceperunt opinionem propter ea, quæ dicta sunt.* Hocidem Melissi fundamentum in lib. aduersus Xenophanẽ cõmemoratur ab Aristotele. Hic obiter in memoriam redit admonitio grauissima Francisci Piccolomnei in lib. quem inscripsit Introductio ad scientiam de natura.

Monet verò sapientiæ studiosũ, vt in legendis textibus accuratè consideret, quid ex propria, quid ex aliena sententia dicatur: & an dum ambigitur, vel potiùs dum disputatur dubitatio. Meritò, nam aliena, tanquã Aristotelica obtendere, dubitationes pro resolutionibus citare, error prauus est. Hinc Petrus Matthęus in Historia Henrici Quarti Gallorum Regis recenset sectarium quendam de Plessy publicè damnatum, quòd dubitationes Authorum pro resolutionibus in opere quodam suo retulisset, atq; ab eodem Rege, & sapientibus cõtemptui habitum. Quo fit, vt miretur Excellentissimum C.C.C. in lib. de natura cœli cart. 390. citamẽ hunc primi phys. textum 71. tanquam Aristotelis sententiam contineat, ratam, certam, vt ex Aristotelis dicto, ostendat, *Ex nihilo nihil fieri*, imo subiectum præsupponi, talemq; sensum esse in ijs verbis, *Ex non ente autem nihil vtiq; fieri, subijci enim quippiam oportet.* Relege, lector

ctor, textū 71. & 72. in primo phyſ. Initio 71 ait, *Quod autem vnico modo ſic ſoluitur & antiquorum dubitatio, dicamus poſthac. Quærentes enim Philoſophi primi veritatem, & naturam entium, conuerſi ſunt veluti in viam quandā aliam, depulſi ob inexperientiam; dicuntq; neq; fieri eorum, quæ ſunt vllum, neq; corrumpi,* & in fine 72. *Illi ergo talem opinionem acceperunt propter ea, quę dicta ſunt.* Quare ſola dubitatio Antiquorū narratur in ijs textibus. Quam benè igitur eiicitur dubitatio, & aliena dubitatio tanquam Ariſtotelicum dogma, docti viderint. Neq; enim quod eſt Aduerſariorum Ariſtotelis, eſt Ariſtotelis; neq; quod Aduerſariorū aberrantium eſt, eſt Ariſtotelis rectè ſentientis; quin potius vel ob id repudium pati ea verba debent, quod referantur, & refellantur ceù primaria ſcaturigo errati antiquorum Philoſophorū.

Sextum abſurdum non admodum diſſimile elicitur, in 1. de generatione, & corrupt. contex. 11. & 12. quo loci eodem naturalium decreto, naturales generationem, corruptionem ve ſimpliciter, ſiue, quę ad ſubſtātiam eſt, euertunt. Legatur locus.

Num. 7 Septimum abſurdum, & quidem grauiſſimum, germinare docet apud Xenophanem, hoc nimirum; Quicquid eſt, æternum eſt; ab eo verò genimine peruerſo, *Ex nihilo nihil fieri*. Sic namq; Ariſtoteles librum in Xenocratem, ſeu Xenophanem incohauit: *AEternum*, inquit, *eſſe quicquid eſt: ſiquidem fieri non poteſt, vt ex nihilo quippiam exiſtat*. Vnde Philoſophus pro veritate concitatior factus, deſtruere, & apertè denegare voluit opinionem iſtam. *Ex nihilo nihil eſt*.

Octauum abſurdum in lib. aduerſus Zenonem, ex eodem dicto, procedens detexit cap. 1. de Zenone dicens. *Fieri non poſſe, inquit, vt ſi quid eſt, id factum fuerit: hoc de Deo aſſerens*. Reddenſq; cauſam dicti ſubijcit, *Ex non ente quippiam efficeretur, id quod eſſe nullo pacto poteſt*.

Tunc argumentor. Illa propoſitio, ad quam Ariſtoteles, quaſi de induſtria, oſtendit ſequi creberrima, & grauiſſima abſurda, non eſt ab Ariſtotele aſſerta, ſed negata; quoniam ea eſt natura ſyllogiſmi ad impoſſibile, vt ex poſitis deducat abſurdum; quo detecto, ac deinde reiecto, reijciatur hypotheſis falſa aduerſarij, ceù cauſa ſequentis abſurdi. Atqui ad illam enuntiationem *Ex nihilo nihil*, oſtendit Ariſtoteles ſequi abſurda illa tàm multa, tàm grauia, quæ citatis locis patefacta ſunt; igitur illa enuntiatio non eſt ab Ariſtotele aſſerta, ſed reiecta, negata, deſerta.

Ex Limitatione. Caput IV.

TErtia Via ex limitatione conſtrata, breuior eſt: quatenus etenim limitatur aliqua propoſitio, eatenus negatur. Limitat verò Ariſtoteles dictum illud, *Ex nihilo nihil fit*, bifariam. In 1. Phyſ. à 73. ad 77. docet, quomodo aliquid fiat ex non ente, vel per ſe, *Num. 8*

vel

vel per accidens: atq; in textu 75. scribit. *Nos autem & ipsi dicimus, fieri quidem nihil simpliciter ex eo, quod non est: sed tamen fieri ex eo, quod non est, vt secundum accidens. Ex priuatione enim, quæ est per se non ens, non ex eo, quod ineſt, fit. Mirabile autem est hoc, & impossibile sic videtur fieri aliquid ex eo, quod non est.* In qua distinctione explanãda occulatè interroga, cur aliquid per accidens fit ex non ente? Respondentemq; excipe, quia fit ex eo, quod non ineſt. Ergo duplex est fieri, per se, & per accidẽs: quod fit per se, fit ex inexistente, atq; tale fieri est fieri simpliciter, & propriè ex illo, exquo fit. Quod fit per accidens, fit ex termino non inexistente, sed abiecto: & fieri tale est fieri secundum quid, & secũdum accidens. Igitur ens fit ex non ente, vel quod ineſt ipsi facto, vel quod non ineſt; primo modo impossibile est ens fieri ex non ente ita, vt non ens insit, tanquam pars interna rei factæ; ad quem sensum ait Philosophus; *nos autem & ipsi dicimus nihil fieri simpliciter ex eo, quod non est.* Secundo modo non est impossibile fieri aliquid ex non ente, tanquam ex eo, quod nõ ineſt & hoc fieri ens ex non ente, tanquam ex termino à quo, est fieri secundum accidens. In hoc secundo sensu inquit Philosophus; *mirabile autem est hoc, & impossibile sic videtur fieri aliquid ex eo, quod non est.* Videtur mirabile, & impossibile antiquis, sed Aristoteli, nec est mirabile, nec impossibile, vt ens fiat per accidens ex non ente, tanquam ex termino abiecto.

Si postules, in quo sensu antiqui dicebant, nihil fit ex eo quod non est? Respondeo, distincto fieri in fieri per se ex eo, quod ineſt, & fieri per accidens ex eo, quod nõ ineſt, cum Simplicio in 1. Phys. comment. 70. in 2. expositione (quę etiam est Aphrodisei, ac Themistij in textum 75.) Respondet Simplicius veteres intellexisse, quod nihil fit ex eo, quod non est, tanquam ex inexistente, imò hunc solum sensum, si Themistio credimus, agnouerunt, loquentes de ipso fieri per se tantùm. Idem potest colligi ex Aristotele 1. phys. 34. in illis verbis. *Ex ijs quæ sunt, & insunt, putauerunt fieri.* Quare ex oppositio quando negabant, ex non ente fieri aliquid, videntur negauisse, quod non fit ens ex nihilo, quod insit ipsi enti. In eodem sensu Democritus videtur locutus primo de gener. tex. 8. & 9. apud Arist. arguit enim hoc modo. Si corpus diuisum sit, quoad potest diuidi, aut relinquitur magnitudo, aut non? si non relinquitur magnitudo, aut relinquitur punctum, aut nihil. Si relinquatur punctum; arguitur sic. Omne componitur ex ijs, in quæ resoluitur, si ergo corpus resoluitur in puncta, componetur ex punctis, quod est absurdum. Si relinquatur nihil, eodem pacto arguitur; omne componitur ex ijs, in quę resoluitur, corpus autem ex hypothesi resoluitur in nihil, ergo cõponitur ex nihilo; quare, & vniuersũ corpus erit nihil secundum veritatem, erit aliquid secundum apparẽ- Num. 3

tiam

viam tantùm. Textus id habet. *Si nullum eſt corpus, nec magnitudo, diuiſio autem erit, aut ex punctis & ſine magnitudine exerunt, ex quibus componitur; aut nihil prorſus. Quare & ſi generabitur, ex nihilo, & ſi erit compoſitum, & ipſum vtiq; vniuerſum, nihil niſi apparens.* Itaq; fieri ſimpliciter, & per ſe non eſt poſſibile ex nihilo, quia ſic fieri eſt fieri, vt ex parte interna ℞ at ipſum nihil non poteſt eſſe pars interna ipſius facti. Sed præter hoc fieri per ſe, cognitum antiquis, Ariſt. inueſtigauit ipſum fieri per accidẽs, quo modo aliquid fit ex termino abiecto, qui terminus non ineſt facto: & hoc eſt inuentum mirabile Ariſtotelis, quod videtur impoſſibile, ſed non eſt.

Num. 10. Dices; vtiq; Ariſt. inuexit ipſũ fieri per accidens ex eo, quod non ineſt, ſcilicet exptinationes, quæ nõ permanet in re facta: at priuatio negat entitatem vnius partis tantũ, & relinquit entitatem alterius partis: igitur res fit partim ex ente, partim ex non ente, non autem vniuerſim ex nulla parte præexiſtente.

Reſpondeo. Habemus limitatio nẽ confeſsã, vniuerſalẽ, quòd ens fit ex non ente, dũmodo ipſum nõ ens non inſit rei factæ: habemus applicationem ſpecialem in rebus naturalibus, quando compoſitum fit ex negatione vnius partis; at non habemus iſtam negatiuam, ens non fit ex negatione omnium partium. Quamobrem hęc negatio *non ens* vel negat omnes partes entis facti, vel aliquam tantùm: quando compoſitum ſit per ſe ex materia, & forma quarum materia præexiſtit, & ineſt: forma autem non præexiſtit; igitur non ens negat in termino à quo formam, hoc eſt vnam partem ſolam compoſiti. Quando verò forma eſt facta de nouo, vt cum ex non albo fit album 1. phyſ. 43. Non album negat formam ſecundum omnes partes (quod præſertim eſt verum in forma, quę tota ſimul acquiritur) tunc nulla pars ipſius termini ad quem reperitur in termino à quo, ſed in termino à quo eſt omnino nihil formæ, in termino ad quem eſt forma tota, ergo forma fit ex nihilo ſui omnino, ita tamen, vt ipſum nihil formæ non ſit ipſa forma. Quare Philoponus contra Proclum meritò aſſeruit formã fieri ex nihilo, tanquam ex termino, quia fit forma ex nulla parte præexiſtente, & inexiſtente ipſi formę. Cur autem & materia ipſa, & ſubſtantia materiæ expers nõ poſſit per accidens fieri ex nihilo, quod non ineſt, non video, neq; in Ariſtotele hactenus dictum obſeruaui. Colligo dicta. Aliquid per accidens fit ex non ente, vel ſecundum partem, vel ſecundum totum, concedo quia ipſum nihil nõ ineſt facto. Aliquid per ſe fit ex non ente, nego, quia ipſum nihil non ineſt facto.

Secunda Limitatio ponitur in primo phyſ. 78 & 12. met 8. Diſtincto quippe ente per actum, & potentiam: Ex non ente actu, ſed potentia ente fit ens. Quibus locis ſermonem facit Ariſtoteles de Num. 11.

generatione compositi, non de factione simplicium. Ergo limitata est propositio, quia aliquid fit ex nihilo actu.

Ad has glossas in naturalibus datas reuerti iubet in 11. met. sum. 2. cap. 4. ad Heraclii dubitationē depellendam: & in primo de Ortu, & inter. particula 12. ad communem dubitationem veterū profligandam.

Sed & in 4. met. 20. scripsit. *Ens namq; dupliciter dicitur, quare aliquo modo quidem possibile est aliquid ex non ente fieri, aliquo verò modo non est.* Scilicet ex actu non ente possibile est aliquid fieri. at ex eo quod non est potentia ens, non est possibile aliquid fieri. Possibile autem est duplex, possibile transmutabile, quo modo res dicuntur esse in potentia passiua subiecti: & possibile factibile, quo pacto effectus dicitur esse in potentia factiua efficientis; Scotistæ id vocant possibile obiectiuum. Et vtrumq; possibile attigit Philosophus in 5. met. 20. vt calefactiuum comparatur ad calefactibile, calefactibile autem est subiectum transmutabile à frigore in calorem; & faciens comparatur ad factum, vt pater ad filium, filius verò est factibile transiens à non esse ad esse, sic etiam forma filij transit. Aliquid fit ex ente possibili, siue ens possibile sit transmutabile, siue factibile, siue vtroq; modo. Habemus itaq; duas limitationes, *Ex nihilo nihil fit* per accidens, nego. *Ex nihilo actu nihil fit*, nego. Imo ex ente potentia, non actu, fit aliquid: & ex non ente fit aliquid per accidēs, non per se.

Ex Negatione. Caput V.

QVartam deniq; viam suggerit Negatio; ostendendum namq, est, Aristotelem apertè negasse dictū illud *Ex nihilo nihil fit.* Num. 12.

Repetendum igitur est ex lib. in Xenophanem, seu Xenocratem, à principio relata. *Quare si omnia, quæ in opinionem veniunt, & apparent, non rectè existimantur; nihil fortasse conuenit, vt huic etiā opinioni, & dogmati acquiescamus, quod nihil ex nihilo fieri statuit, quippe cum vna etiam quædam ex non rectis hæc opinio sit: quam ex sentiendo quodammodo, cum in multis essemus, existimauimus.* Ibidem quoq; fusè prosequitur Philosophus hanc opinionem, ostendens non ex vulgo aliquem, sed ex sapientibus, Hesiodum, aliquid ex nihilo fieri, putauisse.

Multitudo igitur veterum Philosophorum consentit in illud placitum, *Ex nihilo nihil fit:* consensit & Aristoteles cum esset in multis. At te melius explorata, manifestissimè negat illud, tanquam nō rectum. Quare ex Philosopho communi factus est in præsenti dogmate, *Ex nihilo aliquid fit*, quemad modum, & in pleriſq; alijs, Philosophus singularis.

Neq; eluseris textum, si dispescas, quòd nihil, vel *priuatio* dicatur, quæ est per se non ens, vel nihil *simpliciter*, quod negat ens secluſa habitudine ad subiectū, & concedas Num. 13.

das fieri ens ex nihilo, ideſt priuatione, & ex ſubiecto præſuppoſito: nihil verò fieri ex nihilo ſimpliciter, ideſt nullo ſubiecto prę ſuppoſito. Quanquam videam hac expoſitione ineptè mutari habitudinem *ex quo* cum habitudine *in quo*, nam forma non fit ex ſubiecto præſuppoſito, vt ex termino, vel vt ex parte, vel vt ex efficiente; ſed in ſubiecto prę ſuppoſito fit. Talis verò cõmutatio fit, vt textus commutetur, dicatq; quod non dicit.

Nihilominus illam expoſitionẽ, textus ipſe refellit, quando citatur Heſiodus. *Nam de his ipſis admodum dicitur, & fieri ea, quæ non ſunt, & non multa facta fuiſſe ex ijs, quæ non ſunt; atq; hæc non è vulgo quilibet, ſed ex ijs nonnulli aßeruerunt, qui ſapientes etiam habiti ſunt. Iam verò Heſiodus.*

Primum ante omne aliud, inquit,
Chaos extitit, inde patenti (lus.
Pectore cũctorũ ſedes firmiſſima tel-
Atq; amor, is cunctis ſpecie immortalibus anteit.

Ex quibus alia, ait, genita fuiſſe, ipſa autem ex nihilo. Hactenus Ariſtoteles; qui dũ ponit prima, *ex quibus alia genita ſunt* ſecũdũ Heſiodum, ponit ens fieri ex non ente, quod eſt priuatio, & ex ſubiecto prę ſuppoſito; hæc enim in generatione adhibentur omni. Dum autẽ ponit prima ex nihilo, tanquã mẽbrum oppoſitũ, liquidò monſtrat, *nihil* accipi ſimpliciter, vt negat ſubiectum prę ſuppoſitum, quo membro diuiſionis collaudat Heſiodũ, eumq; à vulgo ſuſtollens, inaurat encomio Sapientis. Eorundẽ carminum Heſiodi (erat Ariſtoteli familiaris Heſiodus) meminit in 4. phyſ. textu 6. & in primo met. ſum. 2. cap. 2. ſed & ante citationem Heſiodi, proponit, & fieri *ea, quæ non ſunt*, & non *multa facta ex ijs, quæ non ſunt*. Quid eſt non multa? quia compoſita omnia, quę in dies fiunt, fiunt ex ijs, quæ ſunt, & inſunt; at quæ facta ſunt ex ijs, quæ non ſunt, multa non ſunt; ſcilicet entia prima, vt materia, & immateriales ſubſtantiæ. Quòd ſi formas multas obieceris, memento illas proptiè non fieri.

Multas quoq; intenſibiles ex aliquo ſui fieri, multas non terminare actiones, vt quæ in ad aliquid ſunt, ſic actionem, & paſſionem. Lege 5. phyſ. à tex 9. ad 20. in 7. phyſ. à 19. ad 20. in 11. met. ſum. 4. cap. 3. & ſi contendas omnino formam non debere dici ex nihilo fieri; (qua de re nuper dixi) ſatis eſt eodem tex. in Xenocratem, haberi quædã ex nihilo, & hæc non eſſe multa.

Ad extremum in lib. contra Zenonem patenter Phyſicorum reijcit opinionem. Cum namq; Zeno Deum non eſſe factum oſtenderet, nã ſi factus ſit, ex ſimilibus, vel diſſimilibus factus eſt: quorum neutrum fieri queat; non ex ſimilibus, quoniam non magis conuenit, vt à ſimili procreetur, quã procreet, nam ſimilibus omnia eadem inſunt. Non ex diſſimilibus, nam ex non ente quippiam efficeretur; quod eſſe nullo pacto poteſt. num. 14.

Stagirites in Zenonem inſurgit his verbis. *Ac primum quidem etiam iſte non ſecus, ac Meliſſus ſu-*

mit Id, quod fit ex eo, quod est, gignit. Vt enim quid obstat, quin neq; ex simili, neq; ex dissimili id, quod fit, sed ex non ente existat? Quid enucleatius dici poterat? Si fit ex materia præexistente, vel præexistente compositio, fiet ex potentia simili, fiet ex actu dissimili; at Aristoteles ait, fi neq; ex simili, neq; ex dissimili, sed ex non ente: quid enim obstat? vel potius fi ex simili, si ex actu simili fit; ex dissimili, si non ex actu, sed potentia simili fit; at nihil obstat, quin ex non ente simpliciter quicquam fiat.

An liber in Xenophanem, & Zenonem sit Aristotelis.

Caput. VI.

Num. 15. NEminem adhuc legi, qui obseruauerit hæc Aristotelis loca in Xenophanem, seu Xenocratẽ præter Danielem Malonium in 2. sent. Disp. 2. cap. 10. Qui cũ obiecisset sibi opusculum de Xenocrate, Zenone, & Gorgia, in quo habet hęc verba, Nihil fortasse conuenit, vt huic dogmati acquiescamus. *Ex nihilo nihil fit*. Respondet, in eo opusculo patet expresse Aristotelem disputationis gratia esse locutum. Quanquam, & alij negãt, Opusculum illud esse Aristotelicum.

Prior quidem responsio nihil facit, quia ferè in omnibus libris suis Aristoteles disputat, nec tamẽ, quæ disputationis gratia dicit, falsò dicit. Lege in primo physicorum, in 3. in 4. in 8. lege in primo, & 2. de cęlo, in primo de generatione, in primo de anima, primo de generatione Animalium, in lib. de respiratione, & alibi quàm plurima, & quàm creberrime disputantem. Anne hæc omnia falsa sunt? minimè. Sed si quando Philosophus aliquid ex aliorum sententia expressit, satis accuratè indicauit lectori. Præterea, in hoc libello contra Xenophanem prima pars est, in qua disputat absolutè contra propositionẽ, hanc. *Ex nihilo nihil fit*, secũda pars, quę incipit. *At verò fieri ne possint, nos ne ea, quæ dicit, omittendũ videtur.* Disputat de consequentijs ab Aduersario factis, vtrum bonæ sint, an non? Sed in prima parte de asserto antecedente planè ex propria sententia disseruit. Vbi apparet, quòd Aristoteles satis monet, si disputat contra propositiones, vel contra consequentias; nec non si cõsequentias impugnat ex proprio iudicio, aut ex persona Empedoclis, aut Anaxagoræ, aut alterius. vt clarissimè in eodem opusculo videre licet.

Posterior autem responsio est refugium miserorum, qui cum non possint aliter effugere robur argumenti, negant, vel Authorem libri, vel librum Authoris. Sed Iulius Pacius omnia Stagiritæ opera Græcè, & Latinè excudenda curauit: præmisit verò editioni suæ præfationem, in qua discernit legitimos, & adulterinos Aristotelis Stagiritę libros. In quarta Classe collocat legitimos libros ad metaphysicen attinentes, nimirũ istos: libri metaphys. libri de Xenocrate, Zenone, & Gorgia. Libros verò spurios, Num. 16.

aut

aut ſuſpectos in ſeptimam claſſem reiecit. Franciſcus Vicomercatus in primi phyſ. tex. 6. citat hunc librum, quem Ariſtoteles inſcripſerit de Xenophane. Diogenes Laertius, cuius grauiſsima, & antiquiſsima nobis debet eſſe authoritas, longè apertiùs hos libros commemorat Ariſtotelis, quàm alios libros, de quibus hæſitat nemo. Nam libro quinto de vit. Philoſophorum in Ariſtotelem cart. 316. teſtatur ſcriptos ab Ariſtotele, Aduerſus Gorgiam vnum, aduerſus Xenocratem vnum, aduerſus Zenonis ſcita vnum; quos in vnum opus, cũ eos in Latinum verteret, Ioannes Bernardus Felicianus coniunxit. Diogenes verò diſpeſcuit certos, & indubios libros Ariſtotelis ab incertis: & incertis ommiſsis, tres iſtos inter certos collocat.

Franciſcus Patricius in examinandis Stagiritæ libris, nimium fortaſsè rigoroſus, in Diſcuſsionum Peripateticarum lib. 2. cart. 12. oſtendit Ariſtoteli fuiſſe aſcriptos libros ſeptingentos quadraginta ſeptem. Quos omnes libro 3. reuocat in dubium cart. 17. fac. 2. quatuor exceptis, contra quos nihil habuit, quod obijceret. Vnde concluſit. *Ad hunc ergo modum de tot Ariſtotelicorum librorum numero ſoli ſuper ſunt quatuor, qui omnem controuerſiam effugerunt. Hi ſunt Mechanica, & libelli tres contra Xenophanem, contra Gorgiam, contra Zenonem.* Sed & libro 4. cum Patricius dubitata reſoluit, & germanos à nothis diſcernit libris, cart. 24. hos eoſdem libros contra Xenophanẽ, Gorgiam, Zenonem, vt indubios recipit, & lib. 8. cart. 66. eosipſos libros ad ſapientiam redigit, hoc eſt ad metaphyſicam. Igitur hi libri ſunt inter certiſsimos Ariſtotelis foetus amplexandi, tantum abeſt, vt ſint incerti, vel alieni. Cum enim hic vir diligentiſsimus, qui ſeptingentos quadraginta tres libros partim grauiùs, partim leuiùs non eſſe Ariſtotelis oſtendere ſit conatus, his nil obiecerit: luculenter oſtendit, ſe ne leuiſsimum quid inuenisſe apud tàm multos, quos profert authores, quod in ſuſpicionem adduceret hæc tria opuſcula. Quin etiã Character ſtyli euincit libros eſſe Ariſtotelicos. Eſt enim ſtylus Philoſophi, breuis, cõciſus, acutus, antiquorum dictis conſperſus, vniuerſalibus propoſitionibus fecundus, prægnans rerum varietate, argumentis exæſtuans, totus armatus acumine ſolerti, planè Ariſtotelico, mirè ordinatus. Hoc in alijs acroamaticis Stagiritæ operibus obſeruatum: in opuſculis contra Xenophanem, Zenonem, Gorgiam ſole clarius micat.

Ergo agroſcamus Ariſtotelis mentem à veterum naturalium mente diſcrepantem (nec enim id inſolens Ariſtoteli) atq; vetere dimiſſo placito, Ariſtoteleum in Peripato complectamur dicentes, *Ex nihilo aliquid fit.*

Vnum eſt ad Criticam facultatem reſeruandum: nunc tantùm mihi videor debere illud innuere. Libellus idem a Laertio citatur in Xenocratem, ſic à Pacio, & Maloniо. Rurſus idem libellus in Xenopha-

nophanem nuncupatur à Feliciano, Vicomercato,& Patricio. Imo Patricius ex Diogene Laert o libellũ hunc de Xenophane nuncupat. An quia duæ ſint lectiones Laertij, ſcilicet in Xenocratem vna,quæ mihi eſt ad manum,etiam in Græco: in Xenophanem altera, quæ prẽſto erat Patricio, homini Græco,& Græcè,ac Latinè peritiſſimo? An potius ſcriptura erat antiquitus ſub abbreuiatione *In Xeno*, quam abbreuiationem alij in Xenophanem, alij in Xenocratem produxere? Sed hoc viderint Critici.

Ex contradictione non implicata. *Caput. VII.*

QVatuor his vijs, & clarioribus,& proprijs,placet adiũgere non nulla ex alijs locis Philoſophi.In 5. Ad Nicomachum cap. 2.citatur Agatho. *Idcirco rectè Agatho inquit.*

Num. 17.

Re namq; hac ſola ipſe priuatur Deus,

Vt facta, minimè infecta poſsit reddere.

Quæ eadem repetita ſunt in 5. ad Eudem.cap.itidem 2.Iam verò facere ex nihilo aliquid,ita vt nihil non inſit,nullam contradictionem inuoluit,ob quam facta infecta fiant: Igitur Deus hoc non priuatur. An verò id vni Deo .i. ſummo,& primo diuinorum tantùm concedendum:an cuilibet comprehenſo Dei nomine ad linguam Ariſtotelis,poſterius liceat iudicare. Nam Philoſophus Deorum multitudine conceſſa,vel philoſophicè, vel populariter, frequenter abutitur Dei vocabulo,vt in Zenonẽ,in 12.met. 50.in.2.cęli 17.ac ſæpè alibi. Minor huius argumenti ex argumentorum ſolutione conſtiterit. Si enim implicatur contradictio ea eſt,vel comparatis terminis ex quo,& ad quem,ſcilicet *nihilo*, & *aliquo*: vel comparatis faciente, & facto. Non primò ratione terminorum; neq; enim nihil,& aliquid coniunguntur,quæ ſunt contradictoria.ſed per ſucceſſionem in factione ex nihilo ſeparantur; ſic enim prius non ens,poſterius ens, quod fit,eſt in factione ex aliquo, ſicut in factione ex nihilo; hoc diſcrimine, vt in factione ex aliquo duo contradictoria in eodem ſubiecto vniantur;ſed cũ ex hoc fit hoc, non vt ex Panathenæis nauigatio, ſed ex contrario contrarium, per primum de generatione Animalũ cap 18. abijcitur terminus à quo, ſuccedente termino ad quem;At in factione ex nihilo ſucceſſio eadem eſt contradictorij ad contradictorium factione diuidente,vt 2.met.7 & 1.de cęlo 106. de generatione ſcribitur, proportione adhibita,ſed contradictoria,nec ſubiecto quidẽ, vniuntur:ſolùm ex ſucceſsione termini ad quem in rerum natura, abijcitur eius contradictorium, vt terminus à quo. Si igitur non inuoluuntur contradictoria, cum vniuntur in ſubiecto,vt in factione ex aliquo.multò minus inuoluentur,quando ne ſubiecto quidem vniuntur, vt in factione ex nihilo.

Comparando faciens,& factum contradictio non inuoluitur. Ad hoc

Num. 18.

Digitized by Google

hoc accipio, cauſam eſſe priorem natura ſuo effectu, effectum verò poſteriorem, nam 5. met. 1. omnis cauſa principium eſt & per conſequens prius principiato. Satisq; haberi poteſt ex 2. Poſt; 92. quòd cauſa eſt prior cauſato. Cum verò inter omnia vnum tantum ſit ens incauſatum ſimpliciter, alia omnia cauſata in aliquo cauſarum genere, ſaltem finali, quod nemo ex Peripateticis, me ſciente, negat propter 12. met. 52. Ratio incauſati eſt, vt primo ſit ex ſe: & ſi eſt ſimpliciter incauſatum, ſimpliciter primũ ſit; cauſati ratio eſt, vt in illo primo ſigno naturæ, in quo cauſa eſt, cauſatum non ſit, alioqui ipſum cauſatum cauſa eſſet, non cauſatum, ſit verò in poſteriori ſigno naturæ. Igitur in quo ſigno poſitiuo omninò primo, primum ens incauſatum ſimpliciter eſt, in eo nullum cauſatum eſt: in poſteriori ſigno naturæ, cauſa operante, cauſatum eſſe poteſt; quare omni cauſato in quouis genere cauſæ prius natura conuenit non eſſe, poſterius natura eſſe. Si ergo ſecundis intelligentijs, & materię id ipſum congruat, nam ad vnum vltimum bonum, & finem coordinata ſunt omnia 12. met. 52. materia prima, & immateriales mẽtes à non eſſe ad eſſe tranſeunt; at hoc non eſt ex materia, vel ſubiecto inexiſtente, cum id colluctetur cũ naturis eorum, vt prima materia materiam priorem habeat, ex qua inexiſtente ſit, vt primo Phyſ. 82. & 12. met. 12. Id ipſum longè clarius nitet de mentibus immaterialibus: ergo ex nihilo ſui ad aliquid tranſeunt: ex nihilo in priori ſigno, ad aliquid in poſteriori ſigno naturę.

Nec maior eſt implicatio contradictionis, ſi hæc entia tranſeant, à non eſſe ad eſſe in reſpectu ad cauſam facientem, quàm ſi tranſeant in reſpectu ad cauſam finalem; vtrobique enim eſt duplex terminus tranſitionis ſcilicet *non eſſe*, & *eſſe*: vtrobiq; ſucceſſio naturalis vnius termini ad alium, vt prius ſit non eſſe, ceù terminus ex quo, poſterius eſſe, ceù terminus ad quem: vtrobiq; eſt ſucceſſio in reſpectu ad cauſam transferentem à non eſſe ad eſſe. Quare ſi non apparet contradictio ad cauſari materiam, vel ſecundas mentes in genere finis, neq; apparebit contradictio ad cauſari in genere efficientis. Profectò cauſari ſecundum rationem propriæ naturalis conditionis, hoc eſt ex nullo ſubiecto, vel ex aliquo ſubiecto, pro vt rei cauſatæ ratio tulerit, ipſi rei non repugnat.

Ex Arte, & ex primo efficiente. Caput. VIII.

SEcunda ratio formabitur ex familiari proportione inter naturam, & artem, quam ſæpe Stagirites adhibet, vt 1. phyſ. 69. & 2. phyſ. 86. 1. de part. cap. 1. 2. de gener. 52. & 53. Sicut enim ſe habet agens in arte, ita ſe habet in natura. Atqui agẽs in arte aliquod, ne dũ formã inducit, vel educit, verùm etiam materiam primitus facit, quę nihil artificioſi habet; id quod in 2 phyſ. 24. & 25. legimus, dari. 5. quatuor artis gradus, primus facit mate- Num. 19

materiam, 2. præparat, 3. inducit formam, 4. vtitur: exempla retrogrado afferam ordine ſingula ſingulorum, nauificam, nauifactiuam, dolatiuam, lignorum præciſiuam. Sic autem in text. 25. *In iis igitur, quæ ſunt ſecundum artem, nos facimus materiam propter opus, ſed in phyſicis eſt.* Si igitur ars æmulatrix, imitatrix vè naturæ eſt; & in artificioſis materia fit ab aliquo artificioſo agente probabile eſt, & in naturalibus materiam fieri ab aliquo efficiente in natura; & ſicut in arte datur ars effectiua, quæ nihil artis præſupponit, ſed materiam primam artis facit: ita in natura rationabile eſt dari cauſam efficientem, nedum quæ faciat materiam ſecundam (quod nemo inficiabitur) verum & cauſam effectiuam primæ materiæ naturalis, quæ nihil materiæ compoſitorum naturaliũ præſupponat. Tunc autem materiam ex nihilo aliquid fore, eſt in confeſſo, ex nihilo, inquam, per accidens, quia non ineſt rei factæ.

Tertia ratio ex primo cęli 100. Quo in loco deſcripto æuo, & ſingulorum, & cęli: & æuo ſummo continente omne tempus, ac infinitatem; dehinc docet vnde ſumpſerit denominationem dicens. *A Euũ eſt ab eo, quod ſit ſemper ſumpta denominatione, immortale, & diuinũ: vnde & aliis pendet.* (Siue cũ Simplicio, & Sueſſano) *communicatum eſt; his quidem exactius, his autem obſcurius eſſe & viuere.* Probaturuſq; hanc intranſmutabilitatem æui, & ęuiterni, ſtatim recurrit ad primum, ac maximè ſummum diuinorum. Probatq; intranſmutabilitatem ac immortalitatem diuini, primò ex communibus, vulgatiſq; ſententijs, ſecundò ex propria ſententia recurrens ad primum, & ſummum diuinorum. Contextus immediate ſequens citata eſt. *Etenim quemadmodum in vulgaribus ſententijs circa diuina ſæpè declaratur rationibus, quòd diuinum ipſum intranſmutabile eſſe neceſſe eſt omne: primum, ac ſummum, quod ſic ſe habeat, atte ſtatur ijs, quæ dicta ſunt; neq; enim aliud melius eſt, quod moueat, illud enim eſſet vtiq; diuinius.* Quapropter primum diuinorum eſt intranſmutabile, quia ſi mutaretur, haberet; aliquid diuinius ſe, à quo mutaretur: At non habet, non igitur primum diuinorum mutatur, ſed eſt immortale, & diuinum, vnde alijs pendet eſſe, & viuere pro rerũ gradu, & ordine. Igitur & ſecundis intelligentijs, cęleſtibus, & ſub cęleſtibus, etiam materiæ primæ, tùm eſſe, tùm viuere pendet à primo, vt à principio. *Vnde eſſe*, nedum *Vnde motus*: nam minora diuina etiam habent aliquid diuinius, quod ipſa moueat: ergo prius alia entia intelliguntur ex ſe non habere eſſe, ſiue immaterialia ſint, ſiue materia; ſi enim aliunde habent, ex ſe non habent. Id conſtat, quoniam quod, quis ex ſe habet, id non recipit, neq; eidem ab alio datur. Quando autem ab alio habet, ſemper prius natura intelligitur communicatio agentis, quàm poſſeſſio recipientis, quare ſi materia habet principium, vnde illi communicatum

Sum. 20.

simeſt eſſe: igitur materia quantum eſt ex ſe, prius non habet eſſe proprium, ſed poteſt illud ab alio recipere: deinde poſterius vel natura, vel tempore intelligitur & recipere, & habere eſſe à principio, vnde illi communicatum eſt eſſe. Nam & quod ex ſe ineſt, prius intelligitur eo, quod ſecundum alterum ineſt: ſed cauſato ex ſe competit *non eſſe*, ex cauſa competit *eſſe*. Iam verò in genere ſubſtantiæ ipſum eſſe materię eſt obſcuriſſimum, eſt enim eſſe ſubſtantiale, ſed cum potentia ad omnem formam; quòd ſi materia ex non habere proprium eſſe transfertur ad proprium eſſe, ope primi diuini principij, vnde aliis pendet eſſe: ſanè hoc non conuenit materiæ, vt ipſa fiat ex alio aliquo ſubiecto, vel ente præſuppoſito, quod inſit materiei, aut in quo materies recipiatur, quoniã materia non habet ſubiectum ex quo, aut in quo ſit: ſed præcisè fit aliquid ex nihilo ſui præſuppoſito. Ordo verò eſt inter nihil, & aliquid, quia materia prius eſt nihil, poſterius eſt aliquid, & aliquid fit ex nihilo, vt ex termino abiecto, quod non ineſt.

Porrò ſi de ſubſtantijs immaterialibus à primo diuinorum habẽtibus & eſſe, & moueri obiectiuè, id ipſum dicatur; profectò neceſſe eſt dicere, eas fieri ex nihilo, vt ex eo, quod non ineſt.

Corroboratur id per librum ſecundum de Ortu, & inter. tex. 59. natura quippe ſemper deſiderat, quod melius eſt; melius eſt autem eſſe, quàm non eſſe: ideò natura deſiderat ſemper eſſe; hoc autem in quibuſdam poſſibile eſt, vt in æternis, in quibuſdam nõ eſt poſſibile, vt in caducis, prout in textu. 51. animaduerſum fuerat. Ratio affertur in textu. 59. ob quam corruptibilia non poſſunt ſemper eſſe, & quomodo Deus proſpexerit ad melius corruptibilium, cõſtituens generationem perpetuam. *Hoc autem* (id eſt ſemper eſſe) *in omnibus impoſſibile exiſtere, propterea quod longè à principio diſtant: reliquo modo compleuit totum Deus continuam faciens generationem, ita enim maximè continuabitur ipſum eſſe.* Igitur quæ ſunt propinqua principio, ſunt æterna, incorruptibilia; quę autem diſtãta ſunt à principio, interitura ſunt, ac temporaria. Si perconteris, de quo principio loquatur? Reſpondeo ſtatim de principio, quod facit generationem, atq; de principio primo faciente, qui eſt Deus; ſi quidem ex 5 met. 3. & 2. phyſ. 29. faciens eſt cauſa facti, ſed in genere principij efficientis. Ergo æterna quoq; , quia ſunt propè principium, à principio faciente, eſſe æternum, & incorruptibile nãciſcuntur: temporaria eſſe temporarium, & corruptibile recipiunt à faciente generationem, & genita. Si itaq; cęlum, & intelligentiæ, & materia ſint res æternę, ſintq; à faciente principio, planè factæ ſunt ex nihilo ſui aliquid, & hoc à Deo faciente.

Poſſunt aliter quoq; eædem rationes proponi. Si enim materiæ repugnat effici, aut ei repugnat, vt materia, ſeu cauſa materialis eſt, aut *Num.* 11.

potiùs vt materia talis, puta materia prima est. Si verò repugnaret materiæ, vt materiæ, quoniam reduplicatio infert vniuersalem, igitur effici repugnaret omni materiæ: at hoc falsum est in materia actis prima, & secunda: falsum est in materia secúda naturę: nó ergo materię, vt materiæ repugnat effici. Sed omnis repugnantia, vel non repugnantia ex rationibus formalibus, seu quidditatiuis promanat: hinc Aristoteles in 13. met. sum. 2 cap. 1. *Syllogismorum principium asserit esse ipsum quid est*, Nam per ipsum quid est rei, concluduntur omnes per se passiones, & repugnantiæ, atq; non repugnantiæ: vnde etiam in primo de anima texu 11. scriptum reliquerat: *Omnis demonstrationis principium est ipsum quid est*. Materia deinde, vt materia definita est in 2. phys. 28. & in 5. met. 2. esse, *Ex qua inexistente aliquid fit*. Quæ definitio materiã comparat cum effectu materiato, quem vt causa præexistens in esse reali, & inexistens causat. Sed non negat respectum effectus ad causam extrinsecam præexistentẽ in esse reali actuali, & communicantem materię entitatem suam; igitur ex definitionibus rei effectæ & causæ materialis, quatenus materialis, nulla vel leuis apparet repugnantia. Sicut etiam forma definitur in respectu ad effectum cõstitutum, neq; propterea negatur, forma effici posse ab efficiente. Si autem repugnantia dicatur esse, non ex ratione generica materię, sed ex ratione speciali materiæ primæ: rursus ex materiæ primæ definitionibus id exquiremus. Aristoteles in 7. met. 8. per negationẽ, atq; affirmationem materiam primam ita descripsit: *Dico autem materiam, quæ per se ipsam, non est quid, neq; quantum, nec aliquid aliud quippiam dicitur, quibus ens determinatur; est enim quid, de quo singula horum prædicantur: cui esse, & cuiq; prædicationum diuersum est*. Qua delineatione materia spectatur in comparatione ad formas, affirmaturq; quòd esse materiæ, & esse formarum cuiusuis prædicamenti diuersum est, quodq; materia per seipsam nullã formã habet, sed tamen omnes formæ de materia prædicantur, scilicet logicè, sed realiter insunt materiei. Sed neq; in hac materiæ primæ descriptione quippiam continetur, quod neget respectum materiæ ad efficiens: imò cum ipsum esse sit commune materię, & formis, cum diuersitate tamen propriarum rationum: esse commune, inquam, per participationem, non per essentiam: conspicuum fuerit, illud qualecunq; esse, quod materiæ, quod formis ineat, ab ente per essentiam communicatum fuisse. Idipsum queq; concludemus, si materiæ primæ positiuam definitionem ex primo phys. 82. intuebimur, ea est: *Dico enim materiam subiectum primũ vniuscuiusq; ex quo fit aliquid, cum insit, non secundum accidens: & si corrumpitur aliquid, in hoc abibit vltimum*. Etenim in hac ipsa primæ materię notificatione comparatur materia ad compositum per

se ex

ſe ex materia cauſatum, & negatur ſubiectum aliud prius in genere cauſæ materialis, ex quo materialiter materia ipſa cauſetur. Sed ne verbum quidem eſt, in quo negetur materiæ comparatio ad cauſam effectricem: ſolùm poteſt elici ex ea definitione, quòd materia non fiet ex alia præſuppoſita materia; quod nos robuſtè aſſeueramus. At nó elicitur, quòd materia nullo modo effici poteſt, ſine fallacia à ſecundum quid ad ſimpliciter, & ſine fallacia conſequentis. Supponamus, quæſo, duos modos rei efficiẽdæ eſſe poſſibiles, alter de parte aliqua non præſuppoſita, alter de nulla parte præſuppoſita. Si à negatione vnius ſpeciei negas genus, eſt decipula cõſequentis, veluti ſi dicas, Bucephalus non eſt homo, ergo non eſt animal. Falsò infers, nam Bucephalus eſt equus, & animal. Si etiam argumentere, Statua non fit hoc modo, ſcilicet de nulla parte præſuppoſita, ergo nullomodo fit, à ſecundum quid ad ſimpliciter procedis. Ita etiam ſi arguas, materia non fit hoc modo, nempe de parte ſui præſuppoſita, ergo nullo modo fit; in eundem impingis lapidem: fieri nãq; poteſt de nulla parte præſuppoſita, qui modus propriè eſt principiorum internorum, ac ſimplicium omnium, excepto primo efficiente, cui per ſe primò repugnat effici ex propria ſua ratione primi efficientis. At materia non eſt primum efficiens, non igitur ei repugnat effici, ſicut effici refragatur primo efficienti.

Aliter itidem poteſt induci ratio ab efficiente, quoniam in 2. de gener. 55. de cauſa effectrice illa protulit Philoſophus. Multum enim rationabilius ens non enti generationis cauſam eſſe, quàm nó ens enti ipſius eſſe. Iam verò primum ens, & ſummum concipiamus ex vna parte, & ex altera omnia entia, quę ſunt ſubordinata ſummo enti, & ſummo bono ex 12. met. 52. faciamuſq; ſummum ens vel habere infinitos gradus entitatis, vt verè habet, vel finitos, ſed excedentes quodcumq; aliud ens ſiue hoc ſenũ tum ſumatur, ſiue cum alijs entibus ſubordinatis, ac dependentibus. Sit igitur primum ens prædictum centum gradibus entitatis: accipiaturq; vnum ex ſubordinatis entibus, puta ęlum, vel intelligentia, & habeat decem gradus entitatis. Statim apparet detractis vtrinq; & in primo, & in ſecundo ente totidem gradibus entitatis, primum adhuc eſſe ens, atq; habere eſſe, ſecundum ens iam nõ habere eſſe, neq; dici ens; igitur ſi ex neceſſitate talis habitudo perpetua ſit inter primum ens, & quodcumq; ſecundum, rationabilius eſt, vt primum ens ſit cauſa generationis, ſcilicet ſumptæ vnuo modo, quàm vt non ſit cauſa efficiens ſecundi entis, ſed potius ei ſecundum habeus defectum ipſius eſſe, ſit ſibi ipſi principium ipſius eſſe. Sit igitur illa enuntiatio vera: Quicquid eſt ens, & caret aliqua perfectione entis, eſt ſimpliciter poſſibile factibile, atq; terminus, ſiue obiectum potentiæ effectiuæ

primi efficientis prorsus ineffecti, & ineffectibilis. Deniq; natura rerum quoad fieri potest honoranda est: at potentiam primi entis, & efficientis magis honoras, si possit facere, non solùm secundum quid effectum, puta compositum quod sit secundum partem tantùm: sed etiam possi facere aliquem effectũ simpliciter, ideſt secundum omnes partes. Sicut enim ex lib. 1. Elench. c. 4. Æthiops secundum partem albus, vel scutum secundum medietatem album, est secundum quid album: si autem secundum omnes partes sit albũ, est simpliciter album. Ita effectus secundam partem factus, est factus secundum quid: secundum totum factus, est factus simpliciter. Ex quo etiam patet effectũ talem secundum omnes partes recipientem esse à primo ente, dependere essentialiter simpliciter ab eodem primo: recipientem esse secundum partem, dependere essentialiter secundum quid. Vt igitur, & secunda entia simpliciter essentialiter sint cõnexa cũ primo: & vt primũ efficiens sit simpliciter potẽs, rationabiliùs est ponere primum efficere posse reliqua omnia secundum omnia, & de nulla parte effectuum interna præsuppositi: posse item efficere de parte præsupposita, illa, quæ nata sunt fieri ex parte tali. Sic namq; simpliciter, & essentialiter erit verum assertum Aristotelicum in 12. met. 38. exaratum: *A tali ergo principio, tùm cælum, tùm natura dependet.*

Ex perfecto, & imperfecto. Caput. VIIII.

QVarta ratio probabit nedum ex nihilo fieri aliquid, verũ etiam prime ex nihilo facta, sed ex tempore. Ad eam rationem eti- Num. 22.
gendam accipio ab Aristotele aliquot munimenta.

Primum ab 8. phys. 75. *Prius natura, & tẽpore, & ratione, quod perfectũquidẽ est, imperfecto est: corruptibili autem incorruptibile.*

Secundum munimentum. Omne, quod prius tempore non est in rerum natura, & posterius tempore est: factum est ab aliquo actu existente, & actu faciente. Colligitur ex citato 2. de generat. 55. *Multò*, inquit Philosophus, *rationabilius est ens non enti generationis causam esse, quàm non ens enti.* Consonant dicta in 9. met. 13. & 17. Probatur etiam ratione. Si quid est possibile esse, & actu non est, à quo natũ traducitur ex non esse ad esse, ex esse possibili ad esse actuale? à se, an ab alio, an à nullo? Non à se natum per lib. de communi motione cap. 5. cart. 1481. *Generationis, & corruptionis minimè sibi ipsi quippiam causa esse potest. Præcurrere enim debet motor id, quod mouetur, & genitum generans: nihil autem seipso est prius.* Non à nullo, quia faciens non præcurreret factũ, quod modo dicebatur præcurrere oportere. Igitur, fit ab aliquo actu existente, & actu operante, quia causa in actu, & effectus in actu simul sunt. 2. phys. 37. & 12. met. 30. si causa actu

non

non operetur, nulla vtilitas erit ad effectum. Vniuerſaliter quidem nullus effectus habet eſſe ex eo, quod cauſa poſſit cauſare, ſed ex eo, quod actu cauſet in ſuo genere.

Tertium munimentum. Vnum tantùm eſt ens ſimpliciter perfectũ independens, & incauſatum: cętera omnia ſunt ſecundum quid perfecta ex ordine ad perfectum, à quo ſunt cauſata, & dependentia. Id reuinco ex Ariſtotele; qui primo ad Nicomachum cap. 4. cart. 7. & 1. magnorum moralium cap. 1. cart. 180. ſcribit. *Bonum tot modis dicitur, quot id, quod eſt*, Bonum verò ſimiliter, atq; ens diuidetur iuxta 12.met. 52. in bonum vniuerſi, & vniuerſum: bonum vniuerſi nõ eſt propter aliud bonum, ſed propter ſe; vniuerſum autem, & ordo eius ſunt bona propter primum bonum, *Ad vnum quippe coordinata ſunt omnia*. Similiter in primo de Anima 42. aſſeritur, *quod eſt bonũ propter ſe, non eſt bonum propter aliud*, quem locum per doctrinam 1. Ethicorum cap 1. vel 2. intelligo de primo bono, ſeu de primo fine. Nunc autem hæc bona, ſeu entia penſemus. Bonum propter ſe eſt independens, bonum incauſatum, bonum ſimpliciter, bonum perfectiſſimum, ſufficientiſſimum; quale deſcribitur primum principium 12.met. textu 40. & 14.met. cap. 6. aduerſus Speuſippum. Reliqua bona, ſeu entia ſunt bona propter aliud, cauſata, dependentia, ſubordinata, indiga illius, à quo pendent, ſunt ſibi inſufficientia, nam bonum ſuum habent ex ordine ad finem, ſunt imperfecta. Quamobrem, & 12.met 49. vnum & ratione, & numero ponitur primum mouens immobile. Ergo vt abſoluam ratiocinationem, tantùm vnum eſt ens, & bonum ſimpliciter perfectum, independens, & non indigens: cętera entia, vel bona ſunt imperfecta, dependentia, & ſaltem illo ſummo bono indigent.

Num. 23

Quartum munimentum ex 5. met. 16. *Priora ſecundum naturam, & ſubſtantiam, quæcunq; contingũt ſine alijs eſſe, ijſta verò non ſine illis.* Quam doctrinam Platonis Ariſtoteles amplexus, omnes modos quibus aliquid prius dicitur, ad hunc vnum reducit, vt Primo, quantum eſt ex ſe, non repugnet eſſe abſq; poſterioribus: quare enti ſimpliciter primo, ex ſe ſpectato, non repugnat eſſe, etiam ſi entia poſteriora nunquam fuerint, aut ſint futura.

Tunc probo, quòd ens ſimpliciter primum aliquando fuit, quo tempore materia non fuit: & ex conſequenti nec forma fuit, nec quod ex his. Quoniam ſimpliciter perfectum eſt prius tempore ſimpliciter imperfecto, per primum munimentum 8. phyſ. 75. Sed Primum ens eſt ſimpliciter perfectũ, per tertium munimentum, materia prima ſimpliciter imperfecta; Igitur primum ens ſimpliciter eſt prius tempore, quàm ſit materia; ergo materia prima prius tempore non eſt, poſterius tempore eſt; quod namq; habet aliud ſe ipſo prius tempore, illud prius tempore non eſt, poſterius eſt. Quapropter per ſecundum munimentum materia

Num. 24.

prima

BIBLIOTECA ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

prima transfertur à non esse ad esse, ab aliquo efficiente præexistente actu, & operante. At verò materia non efficitur ex alio, vel in alio subiecto (esset quippe eadem ratio de illo alio subiecto, infinitusq; foret progressus) igitur materia facta est de nullo subiecto præsupposito, hoc est de nihilo sui; ita tamen, vt ipsum nihil precedens nõ insit ipsi materiei existenti.

Eadem assumpta maiore. Perfectum simpliciter est prius tempore imperfecto. Addo minorem, substantiæ immateriales secundæ sunt imperfectæ simpliciter, quoniã obtinent esse causatum in genere finis, esse dependens essentialiter ex alio, alij subordinatum, alio egens, sibi non sufficiens, esse bonum ex ordine ad aliud, quę omnia sunt imperfectiones simpliciter, sicut opposita sunt simpliciter perfectiones proprię primo enti, primoq; bono; igitur secundæ substantiæ immateriales sunt posteriores tempore primo ente, vnde & secundæ prius tempore non sunt, posterius tempore sunt, cum in illo priori tempore, quo primum perfectum est præcedens, secundæ substantię immateriales non sint in rerum natura. In illo etiam tempore secundæ substantiæ immateriales non sunt ens impossibile, vel falsum, (vt in capite de falso 5. met. 34. quod impossibile est componi, falsum est; certum est autem, quod nõ est impossibilis ista compositio, *secunda substantia immaterialis habet esse*) ergo secundæ substantiæ immateriales sunt possibiles esse, & in illo priori actu non sunt: Quare per secundum fundamentum ab actu operante fiunt, non quidem ex materia, vel in materia, cum sint immateriales, Igitur ex nihilo factę sunt aliquid, sed ex nihilo, quod non inest; scilicet ens, per accidens fit ex non ente.

Possem fortassis apponere, & locum 2. met. 4. cum principia sempiternorum dicuntur esse verissima, quia sunt causa veritatis alijs, non alia ipsis; dictumq; de causa effectiua exponerem, vt multi exponendum iudicant. Quale enim est inductionis antecedens, tale est consequens. Sed Aristoteles inductionem fecit in igne, qui est causa caliditatis alijs, causa sine dubio effectiua, ergo & semper existentia habent suæ veritatis & existentiæ causam effectiuam. Talia sunt intelligentiæ, cęli, materia secundum communem sententiam. Confirmarem id ex 8. phys. 15. & lib. 2. de generatione Animalium cap. 6. vbi videtur concedi causa effectrix sempiternorum. Sed hoc alio loco exequar. *Num.* 25.

Possem proferre authoritatem ex lib. 2 de gener. animalium cap. 3. Suessanus acerrimus quondam impugnator factionis de nihilo, sępius huius robur authoritatis declinare tentauit: tandem manus dare coactus concessit Aristotelem ex professo de creatione non tractasse, sed obiter creationem temporariam animæ intellectiuę, seu quod idem est, intellectus humani cõcessisse tractans n. originẽ animarũ, an ex semine, an ab agente extrin-

extrinsecus accederẽ, cõcessit, intellectum humanum extrinsecus accedere. Ergo aliquid factum de nouo, non ex mensttuo, vel semine Aristoteles nouit. Suessani honestos labores agnoscere sufficiat, ascribere non placet. Legantur in recognitione ad textũ 78. primi physicorum.

Denique Ioan. Fran. Picus Mirandulan. In Examine vanitatis doctrinæ gentium lib. 6. cap. 8. & cap. 18. refutatur à Theophrasto Aristotelis & auditore, & successore scriptum in lib. de lapidibus. *Deũ ex nihilo, nullaq; præiacenti materia cuncta creasse.* Quare si ex præstantissimo discipulorum de Aristotelis mente est coniectura sumenda, coniector Aristotelem agnouisse, ex nihilo aliquid fieri. *Num. 26.*

Profectò si duo asserta essent in schola Aristotelis probata, creatio posset esse demonstrata. Asserta hæc sunt. *Vnum tantùm ens est ineffectum, & Omnia entia secunda sunt effecta*; tunc enim à primo efficiẽte tota multitudo effectorum esset de nulla parte, vel subiecto præsupposito: Nam primum efficiens nullius effecti posset esse pars: secunda entia omnia sunt facta, mediatè, vel immediatè à primo efficiente, igitur primus effectus immediatè factus à primo efficiente, nihil, neq; secundum efficiens, neq; effectum, exquo fiat præsupponit, *Ex nihilo igitur aliquid fit*. Porrò Asserta illa omnibus Thomistis, & Scotistis, omnibus Auicennæ, & Simplicij asseclis, pluribusq; alijs probata fore non dubito, nunc digrediendi locus esse non videtur.

Caput. X.

COnclamabũt in me Peripatetici plurimi, criminantes, quòd, Aristoteli; quam ignorauit, ascribam creationem ex nihilo. *Num. 27.*

Respondeo me ægrè ferre quòd Aristotelem sapientissimum virũ, ignarum dicturent. Nam quòd Philosophus agnouerit creationem ex nihilo (seu illam possibilem esse concesserit, siue negauerit) indubitatum est. Sanè in lib. de Xenoph. refert de sententia Empedoclis, Creationem ex nihilo esse impossibilem. Verba textus hæc sunt, *Quemadmodum etiam Empedocles inquit, Nam cum omnia etiam ille eadem concesserit, & quicquam esse impossibile ex non ente creari*. Et è contra Aristoteles paulò ante retulerat Hesiodi placitum, asserentis creationem ex nihilo. *Iam verò Hesiodus. Primũ ante omne aliud inquit, chaos extitit, inde patenti*

Pectore cunctorum sedes firmissima tellus,

Atq; amor, is cunctis specie immortalibus anteit.

Ex quibus alia, ait genita fuisse, ipsa autem hæc ex nihilo. Hæc Aristoteles; Qui cum, vel aduersarijs testibus, neget, aut affirmet aliquid fieri ex nihilo, si Aristoteles id, quod affirmaret vel negaret, nõ ignorabat: non est dicendus creationem ex nihilo ignorasse. Præterea cum in 3. met. 1. scripserit, Illum se habere melius ad iudicã-

dum,

dum, *qui tanquam aduerſarios omnes vtrinq; rationes oppoſitas audiat* :atq; ipſemet audiuerit negatiuam Empedoclis, audiuerit affirmatiuam Heſiodi, iudiciumq; tulerit pro Heſiodo, eumq; ſupra vulgus inter ſapientes extulerit, propterea quòd prima ex nihilo fieri cenſuerit, reliqua ex primis generari aſſeruerit :conſequitur Philoſophum, auditis partibus, optimè agnouiſſe illam factionem ex nihilo,& optimè iudicaſſe, cum reprobauit illam propoſitionem, *Ex nihilo nihil fit*,

Num. 29. Veruntamen quia de nomine creationis diſſidia exurgunt grauiora, & Ariſtoteles tum *fieri* tum *generari* dixit quippiam ex nihilo:atq; etiam tum *fieri* tum *generari* ex aliquo; ommiſſo vocabulo creationis, vim vocabulorum *fieri*, & *generari* (quatenus ad rem ſpectat) afferam, vt exponam ſenſum illius propoſitionis, *ex nihilo aliquid fit*, & *ex nihilo nihil fit*.

Igitur in primo phyſ. à tex. 58. ad 64. ipſum fieri tribuitur.

Priuationi, vt immuſicũ fit muſicũ.

Materiæ, vt homo fit muſicus.

Formæ, vt muſicum fit ex immuſico.

Cõpoſito ex materia,& priuatione, vt homo immuſicus fit homo muſicus.

Cõpoſito ex materia & forma, vt homo muſicus fit ex homine immuſico.

Verùm in textu. 64. fieri, quod ſcilicet eſt generari, compoſito proprie, & ſimpliciter Ariſtoteles tribuit. *Quare*, inquit, *manifeſtum eſt ex dictis, quòd omne, quod fit, ſemper compoſitum eſt*: ac proindè in textu. 65. ſubijcit. *Omne ex ſubiecto,& forma fit: componitur enim homo muſicus ex homine,& muſico quodãmodo, diſſolues enim rationes in rationes eorũ.* Ad hũc ſenſũ in primo phyſ. 82. demõſtratur materia non fieri: imo & in 7. met. 26. ac 32. nec non in 12. met. 12? negantur, & materia, & forma fieri, eo quod omne, quod fit, ex aliquo,& in aliquid fiat: quanquam non ſemper eiſdem verbis aſſeratur eadem ratio.

Cum ergo tot in rebus, totq; modis accipiatur hæc vox *fieri*: ex primo de cælo 112. & 121. accipio duo ſignificata ipſius *generabilis*. Generabile primò dicitur, quod cũ non eſset prius, nunc eſt, ſiue per generationem, ſiue abſq; generatione: tale generabile à nobis dicatur factibile, & ipſius produci vocetur *fieri*. Secundò generabile nũcupatur, quod prius non erat, & poſterius eſt, ſed per generationem; quod ſic eſt generabile, propriè dicatur generabile,& generati. Sunt autem hæc duo ſignificata, ſicut magis commune,& minus commune, ſicut genus, & ſpecies; genitum appellatur, quod incipit eſse per generationem: *factum* verò, quod incipit eſse, ſiue per generationem, ſiue alio modo. In propoſitione nobis propoſita, *ex nihilo nihil fit*, vel, *ex nihilo aliquid fit*. ipſum fieri accipitur in ſignificato communi, & generico.

Factio paſſiua, quæ per fieri ſignificatur, duos reſpectus formaliter continet, vel infert: reſpectum facti ad cauſam efficientem,& reſpectum

ſpectum ipſius eſse ad non eſse præcedens, omneq; præditum his repectibus eſt factum. Qua propter ex per ſe efficiente, & effectu, atq; ex per ſe terminis à quo, & ad quem exploranda eſt quidditas factionis de nihilo, & vt vniuerſaliter dicam factionis omnis.

De faciente ex Nihilo.
Caput. XI.

PRimum ergo de faciente, & facto in re noſtra quæramus: nam & argumenta Aduerſariorum id veſtigant. Pererius lib. 5. ſuæ phyſicæ cap. 7. & Piccolomineus lib. 1. de creatione cap. 6. & lib. 2. cap. 3. arguũt. Nec enim fit quicquã ex nihilo, niſi ab aliquo faciente: at faciens tale non dari oſtendunt. *Num. 29.*

Primò Pererius ſic. Ariſtoteles ſemper definit cauſam efficientem per eſſe principium motus, nec vſquam, vel leuiter innuit modum efficiendi per creationem, quod patet ex 5. met. in quo varias nominum ſignificationes enumerat.

Picolomineus addit loco indicato. Efficiens vniuersè ſumptum definitur ab Ariſtotele 2. phyſ. 29. quòd ſit principium mutationis, & quietis.

Cui nonnullus ſuppetias affert. Quoniam definitio eſt vniuerſalis, & affirmatiua, & cõuertibilis, quia prædicabilis de definito ſecundum quòd ipſum; vnde & in 2. met. tex. 5. & in 5. met. textu 2. definitur eodem modo efficiens, vt definitio ſit vniuerſalis, & in phyſica, & in metaphyſica. *C.C.C. Cart. 889.*

Pererius 2. Ad hæc Ariſtoteles in 5. met. 17. definit potentiam actiuam per paſſiuam dicens, illam eſſe principium tranſmutandi aliud, in quantum aliud: & apud eum nullum poteſt eſſe agens abſq; patiente; atqui hoc aduerſatur factioni ex nihilo, in qua cernimus agens ſine patiente, & potentiam actiuam ſine paſſiua.

Piccolomineus 2. ad idem, ſi Ariſtoteles putaſſet dari agens metaphyſicum diſtinctum à phyſico, debuiſſet in metaphyſica id ſecus definire, quod minimè fecit: ſed in 5. met. 17. & 9. met. 2. non ſecus cauſam efficientem definit per eſſe principium tranſmutationis, ac id facit in 2. phyſ.

Confirmatur, poteſtas efficiendi ex ſententia Ariſtotelis eſt ad aliquid, & refertur ad poteſtatem patiendi: nec reperitur id, quod eſt omnia facere, niſi reperiatur, quod eſt omnia fieri, & vice verſa, vt dicitur in 3. de anima 17. Ideò in 3. phyſ. 18. aſſeritur, eundem eſſe actum agentis, & patientis.

Hæc ſoluere enitamur. Solutio dubitatorum eſt inuentio veritatis. Argumentum primum eſt ab authoritate negatiuè, fallax igitur. Quod Ariſtoteles affirmat, vel negat, idem Peripatetico affirmandũ, vel negandũ. At ſi Ariſtoteles nó affirmat, nec negat, non eſſe affirmandũ, vel negandũ Peripatetico, ſiue vitio cõſequẽtis r õ dicitur: Multas veritates Ariſtoteles nec attigit quidem. Multas quoq; omnium conſenſu ſcriptit, quæ ad nos non peruenerunt. Nil igitur niſi dicta dicere, eſt nos veri ate, ac iu- *Num. 30.*

Digitized by Google

dicio priuare. Verumtamen, cum iam indicauerim loca, in quibus Aristoteles indicauit, aliquid ex nihilo fieri: satis quoq; ostendi ab Aristotele concedi efficiens non per motum, non ex aliqua parte præexistente.

Ad hoc luculentius explicandũ distinguo primo de efficiente, secundo de modo efficiendi. Efficiens quidem Aristotelis dup'ex est, alterum est principium, vnde motus per 2.phys.29 & 5. met.2. ac primo de generat: an. maliũ cap.1 Alterum est principium, vnde esse communicatur, seu pendet alijs per lib.1.de cęlo tex. 100. vbi Philosophus de æuo ait dici: *Ab eo, quod sit semper, sumpta denominatione, immortale, & diuinum: Vnde & alijs pendet* (Suessanus, interpres Simplicij, & antiquus vertunt communicatum est) *his quidem exactius, his autem obscurius esse, & viuere*. Hic habes clarissimè æuũ immortale, & diuinum, quod est principium, vnde esse alijs pendet. Istud assert ũ de æuo diuino confestim ad primum, & maximum diuinorum accommodat. Particula *vnde* est nota causæ efficientis. Iã cõparentur actus essendi, & actus mouendi: esse est prius, & communius, quàm moueri: esse abstrahit ab ipso moueri; quare & principium, quod & per se habet esse, & vnde esse communicatum est alijs, est principium prius, & abstrahit, saltem ratione, ab ipso principio, vnde est moueri. Esse est obiectum metaphysicę 4.met.1. igitur esse, quod est principium, & esse, quod est principiatum, sunt metaphysicę tanquam scientiæ prioris, tractantis de separabilibus, & immobilibus. Motus autem, & principium motus ad naturalem facultatem pertinent, 6. met. 1. quamquam supranaturalis philosophia de principio motus, deq; motu plurima dicat, vt in 11.met. sum vlt. in 12.met. sum. 1. & 2. & in 8.met. tractatur de substantia sensibili, quæ naturalis est.

Insurgis, quia hoc efficiẽs absq; motu nõ est in metaphys. traditũ, sed eadem definitio efficientis in metaphysica & physica continetur, ergo tale genus efficientis non est approbandum. *Num. 31.*

An nihil refert, vtrum hic, vel ibi dicatur, modò dicatur dari principium primum, vnde alijs esse dependet? Posset hinc dici, vel Aristotelem non absoluisse sapientiã, vt Vicomercatus in 2. phys. comment. 1. & Theophilus Zimara in primum de Anima tex. 47. astruũt; vel si absoluerit sapientiam, id operis ad nos non peruenisse. Nam tres libri de Philosophia, quos Cicero legit ex libro 1. de natura Deorum: quos ipse Aristoteles in 2. de physico auditu, & in 1. de anima citat; libri tres de bono à Laertio relati, & ab Alexandro Aphrodiseo lecti ex 12. met. comment. 25. in tex. 37. liber de Pulchro apud Laertium; libri omnes hi, (qui non extant) & libri tres in Xenoph. Zenon; & Gorgiam sũt partes primæ Philosophiæ. Quamuis ergo in metaphysica incohata non haberetur efficiens absq; motu,

tu, non propterea negandum esset, cũ habeatur in primo lib. de cęlo. At quomodo potest dici, Aristotelẽ nõ tradidisse tale agẽs in metaphysicis libris, cum in tribus nouissimè citatis habeatur factio ex nihilo?

Sed hæc responsio, & si vera, nõ tamen est necessaria; nam efficiens sine motu probabimus secundo loco ex 9. diuinorum. Legamus primum textum. *Determinemus de potentia, & actu. Et primo de potentia ea quidem, quæ dicitur maximè propriè, non sane est vtilis, ad quod nunc volumus: potentia namq; & actus in plus est, quàm illa, quæ secundum motum dicuntur; sed cum de ea dixerimus in determinationibus de actu, apparebit etiam de aliis.* Cernis arbitror potentiam, & actum distingui, nam quædam est potentia cum motu, quædam sine motu, alioqui potentia non diceretur in plus, quàm potentia cum motu. Scopus intentus in scientia prima, est potentia sine motu: ad hunc scopum non est valde vtilis potentia cũ motu: nihilominus proponit de potẽtia cũ motu dicere, statimq; in tex. 2. eiusdẽ libri agit de potẽtia actiua, & passiua secundum motum, & eadem illic affert quæ in 5. met. 17. quapropter in his textibus tractat non de potentia in vniuersali, sed in speciali de potentia cum motu, nempe vt ex ipsa, tanquam ex opposito, aliquo modo appareat potentia sine motu. Id ipsum in eodem 9. lib. tex. 10. repetit, affirmãs se de potentia secundum motum tractauisse, & rursum ostendit possibile, & actum dici etiam non secundum motum. Quanquam autem ipsa tractatio esset instituta gratia potentiæ, & actus sine motu, protestatur se acturum de actu cũ motu, vt ex ista tractatione enitescat potentia sine motu, & actus eius tanquam correlatiuus. Verba sunt. *Cum autem de potentia, quæ secundum motum dicitur, dictum sit: de actu determinemus, quidnam actus, & quale quid sit. Etenim possibile quoq; simul manifestum erit, si diuiserimus, quod non solum hoc dicimus possibile, quod natum aptũ sit aliud mouere, aut moueri ab alio, aut simpliciter, aut quodammodo; sed etiam aliter; propter quod cum inquiramus, de his etiam tractabimus.* Conspicuè lucet, dicta de potentia vsq; ad 10. textum esse dicta de potentia cum motu, non de potentia vniuersè. Datur tamen, præter possibile mouere, aut moueri, aliquid *possibile aliter*; quod scilicet erit possibile actiuum, & passiuum, sed non erit motiuum, & mobile: hoc possibile aliter, & actus illi correspondens est scopus præfixus, propter quem fit inquisitio, & propter quem tractandum proponitur de actu cum motu. Vbi verò tractetur de possibili, & actuali sine motu, non quæro, sufficit probauisse talem potentiam dari, vt habeatur principium sine motu.

Tertiò Hanc distinctionem potentiæ effectricis cum motu, & sine motu insinuat Philosophus in 12. met. 30. *At verò si motiuum, aut effectiuum est, non autem operans.* Dispescuit motiuum ab effectiuo, *Num.* 2.

tiuo, per particulam d. iunctiuam *aut*. Quo in textu agnouit effectiuum de nihilo: Dubitat quippe, an actus sit prior, an potentia: probat potentiam non esse priorem, sic. *Verùm si hoc ita sit, nihil entium erit. Contingit enim posse quidem esse, nondum verò esse. At si, vt Theologi, qui ex nocte cuncta generant; sive vt Naturales dicunt, omnes res simul erant, idem impossibile erit. Quo namq; modo mouebuntur, si nulla erit actu causa; non enim ipsa materia seipsam mouebit.* Duas memorat sententias, primã Theologorum veterum qui concedentes ipsum nihil. ex nocte, ideſt ex nihilo (nomine noctis ipsum nihil significant) cuncta generant: nimirum, quia ex nocte facta sunt prima, ex primis cętera sunt genita, pro vt in libro contra Xenophanẽ Aristoteles docet iuxta Hesiodum vnum ex Theologis illis. Secundam Physicorum antiquorum, qui dicentes, ex nihilo nihil fieri, dicũt, omnia simul esse in materia: & ex illa materia, in qua cuncta sunt, cuncta generant, seu segregant. Adijcit Philosophus in vtraq; sentẽtia fore secuturum idem impossibile. In prima sententia si possibile est prius, quàm sit actus essendi, tunc nullum ens erit. In secunda sententia, si cũcta sunt in potentia materiæ, & nulla sit causa actu mouens, nullus erit motus, quia materia non potest mouere se ipsam. Requiritur itaq; in ambabus sententijs aliquod actu existens, & actu efficiens, quod sit simpliciter prius, quàm potentia. Hanc expositionem Antonius Andreas in illum textũ, & ab eo Suessanus attulit; quo ex loco patet Aristotelem posuisse effectionem entis possibilis ab ente actu efficiente, & ex nihilo posuisse item effectionẽ ex subiecto mobili ab efficiente actu mouente. Apertumq; iam est efficiens sine motu, & ex nihilo: atq; efficiens cum motu, & ex aliqua parte rei factæ.

De re facta ex nihilo pauca subnectam. Omne ens dependens est compositum, vel simplex; simplex negatiuè, vt secunda intelligentia; simplex positiue, quod constituit cõpositum, vt materia, & forma. Generari propriè est compositorum, vt primo phys. 64. legimus. *Quare manifestum est ex dictis, quòd omne, quod fit, semper compositum est.* Fieri autem generale, quod significat incipere, siue per generationẽ, siue absq; generatione competit simplicibus. Sic formæ nihil prius erat, posterius tota est. Eodem modo substantia immaterialis secunda, & materia prima factæ sũt ex nihilo sui præexistente, ipsum aliquid, quod sunt. An autem & compositum ita fieri possit, vt nihil sui prius fuerit, posterius totum fit immediatè, in Aristotele aserere non ausim. Remaneat nobis, quòd generari ex aliquo sui præexistente est compositorum, fieri ex nullo præexistente simplicium. *Num.* 33.

Ex modis efficiendi.

Caput. XII.

DE duplici efficiente dixi. Nũc autem distinguo, quòd aliud est efficiens, aliud modus efficiendi. *Num.* 34.

Digitized by Google

dj: Nullum verò est efficiens, quod non contineatur sub illa definitione 5. met. 2. Efficiens est vnde principium mutationis primú, aut quietis. Omne etenim efficiẽs siue mobile, siue immobile habet hoc, vt sit principium mutationis physicæ, & quietis. Non tamen omnes modi efficiendi continentur in ea definitione. Aristoteles quippè describebat efficientes causas, non efficiendi modos, quamuis illos quoq; ind cauerit.

Nam in 2. phys. 29. de efficiente inquit, *Et omnino faciens facti, & mutans mutati.* In 5. met. 2. declaratis exemplis specialibus de principio, vnde motus infert. *Et simpliciter faciens eius, quod factũ est, & transmutatiuum transmutati.* Ergo vniuersaliter in causa efficiente sunt duo modi, vnus est respectus facientis ad terminum factũ, vt pater faci: filium, statuarius statuam, vel figuram statuæ. Alter est respectus transmutantis ad subiectum transmutatum. Insuper in 5. primę philosophiæ tex. 20. exponit potentiam transmutatiuam in ordine ad transmutabile. *Vt puta calefactiuum ad calefactibile, quoniam possunt: & rursus calefaciens ad id, quod calefit, vt agentia,* Potentiam factiuam delineat. *Veluti quod fecit ad id, quod factum est: & id quod facturum, est, ad id, quod faciendum est; sic enim pater quoq; filij pater dicitur, hoc enim fecit, & illud paßum quid est.*

Loquendo de his respectibus in efficiente, Primus respectus ad factum est principij ad principiatum, vt patris ad filium; & hic reuera est respectus causę, quia causa vt causa dicitur ad causatũ. Secũdus respectus est vnius principij ad aliud, scilicet actiui ad passiuum, vt calefactiui ad calefactibile; qui respectus non est ad causatum, nec propriè est respectus causæ, vt causæ; isti duo respectus sunt alterius rationis, quia sunt ad correlatiua alterius, & alterius rationis. Vnus est vniuersalis in omni factione, & est respectus facientis: alter est peculiaris, quoniam si factum, nec ilt compositum ex materia, nec receptibile in materia; tunc adest respectus ad factum, non ad mutatum. Ita factio ex nihilo rei factæ, quandoq; est cum mutatione concomitante, veluti cum forma materialis fit; quandoq; non cum mutatione, quemadmodum si fiat substantia immaterialis, vel materia;

Duobus his modis in efficiente, correspondent duę potentiæ passiuę, vna subiecti transmutabilis, altera termini factibilis; si quidem ipsum factum, vt filius, asseueratur esse passum 5. met. 20. potentia rei transmutabilis est subiecti existentis secundum propriam entitatem, potentis tamen recipere formam: qua receptione subiectum non fit, sed fit tale. Potentia rei factibilis est termini non existentis secundũ propriam entitatem, sed possibilis transferri à suo non esse ad suum esse. Quando compositum generatur, eluceſcit vtraq; potentia; nam materia est in potentia transmutabilis à priuatione ad formam. Cõpositum est in potentia factibile ex

Num. 35.

non

non esse ad esse: prius quidem cõpositum secundum partem erat, secundum partem non erat: nunc secundum totum est. Forma item est in potentia factibilis, quæ secũdum totum prius non erat, secundum totum posterius est. Compositum fit ex ente, & non ente; & ex ente, quod est pars, & permanet: ex non ente, quod est negatio partis, sed non permanet, succedit enim affirmatio partis negationi partis. Forma fit ex non ente tantùm, quod non ens non permanet in forma. Scotistę potentiam subiecti trammutabilis nuncupant subiectiuam, potentiam verò termini factibilis dicunt potentiam obiectiuam. Ad rem. Cum in efficiente sint duo modi, vnus notior, & est modus mutatiui, alter obscurior, & est modus factiui; prudenter Aristoteles per notiorem modum notificat efficiens, cum per talem modum omne efficiens explicet; modum verò obscuriorẽ concomitanter declarat, tametsi in definitione non comprehendat. His expositis dico.

Ad Primum Pereri. Aristoteles definit efficiens per principium motus, at non leuiter in 9. met. 1. & 10. manifestat potentiam *aliter*, & *sine* motu effectricem: non leuiter factionem ex nihilo in 12. met. 30. & lib. in Xenoph. & primo de cęlo.

Num. 36.

Ad Primum Piccol. nego efficiens vniuersè sumptum illic definiri, definitur namq; & in 5. met. 17. & in 9. met. 2. solum possibile mouere, aut moueri, non autem possibile aliter facere, vt expressũ est in 9. met. 1. atq; 10.

Respondetur insuper, (dato definiri efficiens vniuersè) sub ea definitione contineri omne efficiens; non tamen in ea esse omnem rationem efficiendi, sed notiorem apertè contineri, concomitanter declarari proximè in textu rationem aliam efficiendi.

Per hæc ruunt secundum Pererij, & Picolom. ostendimus namq; ex Aristotele potentiam actiuam habere semper patiens, vel propriè in ratione subiecti, & hoc minimè, quoniam solùm potentiæ transmutatiuæ id congruit, vel communius in ratione facti, sicut filius patitur à patre ex 5. met. 20. sic factum est patiens respectu facientis, & in factione de nihilo tale passum adest. Consule primum de ortu 52.

Ad secundum Picolom. Neq; debuit in metaphysica definire, aliter efficiens (quam vis non absurdè id credatur feciſſe in operibus, quæ desunt) quoniam omni efficienti conuenit; illa definitio efficientis, & si non conueniat secundum omnes rationes efficiendi, vel respectu omnis effectibilis. At omni conuenit efficienti, quod namq; ex nihilo aliquid facere potest; potest & mutare aliquid, quod communicat esse, communicare potest & motum, siue eidem, siue alij, negligo.

Ad Confirmationem, dico, efficiens secundum rationem transmutantis respicere passum transmutabile, de quo argumentum est; at secundum rationem facientis est ad effec-

effectum, tanquam ad passum, ex cap. de iis, quæ sunt ad aliquid in 5. met. Textus 3. lib. de anima 17. de omni, natura loquitur, præsupponitur itaq; esse communicatum & materiæ, & formæ, quę sunt naturę; Quare authoritas non est ad rem, de qua agimus, cum naturæ ipsæ producuntur. Præterea in textu habetur, quòd in omni natura est materia, & factiuum respectu formarum in materia receptibilium. Non tamen est ibi conuersio, quã arguens prætendit: nempe hanc, vbi reperitur omnia facere, siue factiuum, reperitur etiam omnia fieri, seu principium materiale. Sanè etiam si hæc particula, quæ prætenditur esset in texu, intelligenda esse de factibilibus in materia, vel ex materia, sic enim textus ait de materia, *quod potentia omnia illa*: de factiuo *quod, faciendo omnia, quod ens ad materiam passa est*. Deniq; omnis potentia passiua poscit actiuam reducentem ad actum, sed omnis potentia factiua non postulat potentiam passiuam subiecti. solùm potentia transmutatiua postulat subiectum transmutabile: at potentia factiua quatenus huiusmodi postulat possibile factibile; tunc autem exigit etiam subiectum, quando res facta, vel est ex subiecto, vel in subiecto.

Postremò locus 3. phys. 18. est præcisè de potentia transmutatiua; atqui potentia aliter potens scilicet absq; mutatione, concessa e stab Aristotele locis notatis.

Eadem opera tollitur aliud argumentum Pererij dicentis. Aristoteles in omni productione requirit subiectum, terminum à quo, videlicet priuationem, vel contrarium motum, locum, tempus, prævias dispositiones, concursum causarum particularium, quę nullo modo cadunt in creatione.

Respondetur hæc in generatione incidere, in factione non necessariò incidere; semper quidem adsunt, faciens factum, termini à quo, & ad quem, ac tempus: cętera vel sunt mutationis propria, veluti dispositiones, subiectum, motus, locus: vel incerta, vt concursus causarum.

De particularibus conditionibus facientis ex nihilo.
Caput. XIII.

PEreriꝰ loco indicato, alijs efficientis causæ conditionibus adhibitis, factionem ex nihilo tollit, dum faciens abnegat ex Aristotele vt putat. *Num.* 17.

Aristoteles, inquit, (vt censent veteres Peripatetici, licet multi alij docti, & graues viri cõtra sentiant) non concedit infinitam virtutem, vt vocant, in vigore.

Neq; immediatè, sine causis secundis quicquam de nouo posse à Deo fieri.

Nec eum aliter agere actione transeunte, quàm per motum, & lumen cęli.

Nec operari liberè, sed ex necessitate naturæ, quibus de rebus alio loco. His autem rebus non concessis nullo modo potest concedi creatio.

Pico-

Picolomineus eandem incudem tundit lib. 1. cap. 6. ratione 7. de Creatione. Deus ex sententia Aristotelis nõ operatur, nisi per mediã naturam, & non generat, nisi lumine, & motu; at creatio nec lumine, nec motu, nec viribus naturæ subijcitur.

Insuper, creatio exposcit vires creatoris immensas, quas Aristoteles non nouit, vt distincta consideratione patefeci.

Præterea; Creatio noua exposcit modum operandi extrinsecus libere, & contingenter: at Aristoteles censet Deum operari cum quadam naturæ necessitate. Qui lib. 2. cap. 3 ait, Creatio siue æterna, siue noua vim immensam creatoris exposcit, Aristoteles vim immensam creatoris non nouit, vt patet ex libro de virtute Dei.

Hæ rationes ducuntur ab infinitate, libertateq; agentis, & immediatione in agendo. Si ex proprio capite dicantur, feram: si dicantur ex Aristotele, non feram.

Num. 38

Illa maior. Creatio vim immensam exposcit creatoris, vbi nã ab Aristotele dicta, si per eos neq; nouit creationem, neq; vim infinitam? Ignoratis scilicet terminis Aristoteles propositionẽ confecit. Noua. s. Aristotelis laus similis erit de alijs maioribus disceptatio, vt de istis, *Creatio exigit libertatem agẽtis, & immediationem agendi*, cuius sunt hæ propositiones? Aristotelis ne? Non vtiq; ostendunt locum, neq; conantur ostendere. Theologorum Christianorum sunt propositiones, non Philosophorum: vt propterea Piccolomineus qui lib. 2. cap 3. de creatione nõ immeritò taxat eos, qui miscent Theologica Philosophicis, nunc rete proprio irretiatur. Quanquam ego non videam, quomodo liceat Christiano philosopho impugnare Christianas veritates propositionibus propro marte excogitatis; quod quidem Piccolom. frequentissimè: Pererius nunc facit. Viderint hoc illi, quorum interest.

Nos illas propositiones esse christianorum Theologorum censemus, non autem veterum Peripateticorum. Auicenna, & Algazel nobiles, & antiqui Peripatetici concessere factionem de nihilo, non solùm primo, sed etiam secundis entibus multis. Nam primum causatum à primo esse, illis est intelligentia primi orbis. Intelligentia primi orbis causat intelligentiã secundi Orbis, animam primi orbis, & Corpus primi orbis. Atq; ita deinceps vsq; ad vltimum orbem, Cælum verò producit materiam sub cælestium: quæ omnia de nulla parte præsupposita facta sunt. Porro cum tàm multi sint efficientes de nihilo solùm primum ens est infinitæ potentiæ, reliqui finiti. Neque hi philosophi ponunt primum efficere dumtaxat per motum, & lumen. Neque sine voluntate Deum operari affirmant, cum Auicenna in 9. Metaph. c. 4. voluntatem in Deo esse causam ponat. Legantur de Auicenna Aquinas in prima parte q. 45. art. 5. & Scotus 4. d. 1. q. 1. Ægidius de erroribus Algazelis, quem nomine

præ-

Digitized by Google

præterito nomine refert Bonauẽtura in 2.d.1q.4.ſed neq; Alexander Aphrodiſeus,ſi tamẽ Aphrodiſeus eſt author Commentariorum in libros metaphyſicæ, ad calcem libri 8. ad iſta conſentiet. Quicumq; tamen ille ſit,ſiue Aphrodiſeus,ſiue Ægeus Alexander, inter Peripateticos veteres eſt connumerandus cum Philopono ipſius imitatore. Illæ itaq; maiores vnde ſint, viderint alij, nos eas tanquam Ariſtotelis non recipimus.

Ad minores verò quanta contẽtio futura? Ariſtoteles in 8. phyſ. tex.vltimo,& 12. met.tex.41.Primo mouenti concedit potentiam infinitam. Aperta verba negare, & aliorſum tranſuertere, eſt poſitionem ſeruare, non Ariſtotelem afferre. Ariſtoteles ait, mouens primum habere potentiam infinitam,tu negas in minore.

Similiter de actione primi cum cauſis ſecundis, vel ſine illis,Ariſtoteles contradicit in 8. phyſ. tex. 33. *Vtraq; igitur mouere dicimus, & primum,& vltimum mouentium; ſed magis primum, illud enim mouet vltimum, ſed non hoc primum: & ſine primo quidem vltimum non mouebit, illud autem ſine hoc.* Ariſtoteles aſſerit,primum mouens moturum eſſe ſine ſecundo, tu in minore negas.

Itidem de libertate agentis primi diſſidium eſt inter Peripateticos: & omniſſo nomine libertatis, quod parcius lego apud Ariſtotelẽ; omne agens eſt vel rationale,quod agit,vt intellectus,& ſecundum electionẽ: vel irrationale,quod agit ſine intellectu,& electione,pro vt exponitur in 2. de interpretatione cap.3.& 9.met.10.de potentijs;atq; in 2.phyſ.49.de cauſa effectrice, vbi conuincitur,idem eſſe intellectum, & agens ſecundum electionem. Ergo omne agens rationale agit cum intellectione, & electione. Qui autem Deũ Vniuerſi Principem,& Gubernatorem putat eſſe irrationale agẽs,& ſine intellectu: an non ſine intellectu eſt? Quid autem ſibi vult illud 8. phyſ. 8.de ſciente,qui voluntarius peccat,niſi, quòd primum mouens eſt ſciens quidem, & volens; at non vtitur ſcientia è contrario,neq; voluntarius peccat? Ad extremum; argumentorum propoſitorum maiores non ſunt Ariſtotelis: minores vero ſunt inter diſcipulos Ariſtotelis controuerſę, verbaq; Ariſtotelis potius aduerſa minoribus (verba inquam,nam fortaſsè criminabuntur,me non intelligere ſenſa) profectò non debet dici Ariſtotelicum argumentum,aut concluſio Ariſtotelica,quæ deducitur ex propoſitionibus alienis,& incertis.

Interea me res ipſa mouet ad veſtigandum,Vtrum primum, an ſecundum efficiens,ex nihilo faceret aliquid valeat. At ſi hæc potentia concedatur à Peripateticis ſecundo agenti,certè non eſt neganda primo æuo diuino,vnde alijs communicatum eſt eſſe,& viuere,imò & ipſum agere. Si autem ſecundo agenti non aſcribatur, ſaltem primo attribuenda eſt; cum etenim Philoſophus ex nihilo aliquid fieri ſcribat,igitur hoc fiet ab aliquo. *Num.* 39.

efficiente; vel ſaltem à primo actu, ex quo omne eſſe actuale alijs pẽdet; aut etiam fiet hoc à quouis actu immateriali, quoniam talis actus eſt prior ſubſtantia, & origine, quàm materia.

Non nulli probant, ſubſtantiam materialem, hoc eſt à materia pendentem, non poſſe ex nihilo facere: ſubſtantiam materialem vocãt, vel formam materialem, vel compoſitum ex materia. Ratio eſt, quod pendet à materia in eſſendo, non poteſt in agendo eſſe independens à materia. Sed compoſitum, & forma materialis dependent in eſſendo à materia, ergo & in agendo; quare materiam non producent, ſed preſupponunt productam.

Nimis probant ex dependentia. Quoniam omne compoſitum, & omnis forma materialis dependẽt à forma, & compoſito producentibus: à compoſito, vt faciente, à forma, vt ratione faciendi. Sed per eos, quod pendet in eſſendo non poteſt producere aliquid eiuſdem rationis cum eo, à quo pendet: ergo compoſitum non poterit producere ſibi ſimile, neq; forma erit ratio producendi ſimilem formam, ſicuti compoſitum non poteſt producere materiam ſimilem illi, quam habet: at Ariſtoteles in 2. de anima 34. proteſtatur, eſſe naturaliſſimum viuentibus perfectis generare ſibi ſimile: quod multis etiam non viuentibus conuenit, præſertim vniuocis agentibus. Quamobrem ſi materia eſſet ratio agendi, non inficiaretur, quòd compoſitum producat materiam ſimilem illi, à qua dependet: ſicut confiteor, quòd compoſitum producit formam ſimilẽ illi, à qua dependet, eo quòd forma ſit ratio agendi. Sed materiæ eſt pati, & moueri: mouere autem, & facere alterius potentiæ eſt, per ſecundum de generat. & corrupt. 53. ergo materia non poteſt eſſe ratio faciendi ſimilẽ materiã.

Cur autem forma non ſit ratio producendi materiam ſimilem illi, à qua dependet, laborioſius eſt dicere. Afferam autem textum Ariſtotelis è libro 2. de generat. animalium cap. 6. docentis, cor in animalibus eſſe primum viuens, vltimum moriens. *Euenit*, inquit, *namq; in omnibus, vt quod vltimũ ſit, id primum deficiat: & quod primum, id vltimum; quaſi natura decurſionem reducem agat, & à calce ad carceres, vnde prorumpit, redeat: eſt enim generatio ex non ente in ens: corruptio contrà, ex ente in non ens.* Collatis itaq; duabus naturis, materia, & forma: omnis forma preſupponit materiam primam in generatione, & relinquit materiam vltimam in corruptione; iuxta tradita in primo phyſ. 82. quòd materia eſt ſubiectum primum, & vltimum, igitur materia eſt per ſe prior natura & generatione, quàm forma; quod habes in primo cap. 2. de partibus Animal. Talis ergo erit progreſſio. Primò materia, ſecundò priuatio, tertiò forma, quartò cõpoſitũ: regreſſio è cõtra, cõpoſitũ forma, priuatio, materia. Si igitur materia in ſuo eſſe eſt per ſe prior forma, materia nõ poteſt effici à forma ſed neq; interire poterit, ſi deſtituatur

Num. 40.

tur à forma, quoniam materia poſt interitum formæ adhuc retinet proprium eſſe; quare materia reducetur in aliquod efficiens, cuius eſſe ſit per ſe prius origine, quàm materia: quale eſt ens immateriale, & ſimpliciter primum ens. Ex his argumentor. Nullum per ſe poſterius tempore, vel naturali origine poteſt eſſe cauſa effectiua ſui prioris, nam agens generans præcurrat genitum neceſſe eſt, per caput quintũ libri de communi motu. Nunc autem materia eſt per ſe prima, & poſtrema, prima in cõpoſitione, poſtrema in reſolutione: prima verò ſecundum naturalem originem, ac etiam ſecundum tempus reſpectu formę, per ſecundum de partibus cap. primo. Igitur nullius formæ naturalis vi poteſt effici materia, vel interire: ſed eſſe materię pendet à primo eſſe, à quo cęlum, & natura dependet 12. met. 38. Itaq; materies non poteſt effici à forma, nec à compoſito ratione formæ: non poteſt effici à compoſito ratione materię, aut à materia, cum hæc non ſit actiua: ſupereſt, vt in ſubſtantias immateriales reducatur eius efficientia, ſaltem in primam. Forma deinde, cum ex nihilo ſui fiat reuincit, ab agente corporeo aliquid fieri ex nihilo. Si etiam immateriales ſubſtantię factæ ſunt, vel altera eſt ab altera vſq; ad primam ineffectam, vt centuere Auicenna, & Algazel: vel omnes immediatè ſunt à prima, quod probabilius videtur. Hactenus de efficiente, & facto, atq; conditionibus eorum: nunc terminos factionis ex nihilo indagemus.

De terminis factionis ex nihilo. Caput. XIV.

INcipiamus autem explicando, quid ſignificet præpoſitio *Ex* cum affirmamus ex nihilo, vel ex aliquo fieri aliquid. Ex aliquando ſignificat ordinem tantùm prioris, & poſterioris, vt ex ludis Iſthmijs Olympiaci, ita dicitur fieri *hoc poſt hoc*: ſecundò ſignificat ordinem cum oppoſitione prioris ad poſterius, vt cum fit ex aqua aer, vel ex non albo album, lege ſecundũ met. 7. Ita dicimus ex nihilo fit aliquid, quia eſt ordo oppoſitorũ, prius eſt nihil, poſterius immediatè eſt aliquid. In primo de generatione animalium cap. 18. quatuor afferuntur ſignificata iſtius phraſis *ex altero fit alterum*: plura inſuper in 5 met. 29. At communiter & illinc, & ex primo phyſicorum bifariam dicitur alterum fieri ex altero: vel vt ex termino, vel vt ex parte: oppoſitum fit ex oppoſito, vt ex termino, ſiue in ſimplicibus, vt album ex non albo, ſiue in compoſitis, vt homo ex non homine. Ad hunc modum, aliquid fit ex nihilo, tanquam ex termino contradictoriè oppoſito. Compoſitum verò fit, vt ex partibus, ex materia, & forma; ex materia, & præexiſtente, & inexiſtente; ex forma non præexiſtente, ſed inexiſtente (Niſi quiſpiam ad aures Ariſtotelis dicat, animam rationalem eſſe ante corpus, vt videtur ex lib. 2. de generatione animalium cap. 3. Tunc etenim homo fieret ex forma præexiſtente, & inexiſtente, & ex mate- *Num. 41.*

ria proxima. Quod quidem Bessarion lib. 2. contra calumniatorem Platonis, & Contarenus in lib. 2. de immortalitate Animæ dixerunt.) Simplicia principia, nimirũ materia, & forma, si fiant, fient ex ex opposito suo, sicut ex termino subiecto, nó sicut ex parte: fiẽ sicut ex termino, quod nó inest, nó sicut ex parte, quæ inest facto.

Quapropter quatuor emergunt membra, quibus aliquid fit ex aliquo.

1. *Ex præexistente, & inexistente.*

2. *Ex non præexistente, sed inexistente.*

3. *Ex præexistente, non inexistente.*

4. *Ex non præexistente, & non inexistente.*

Compositum generatione fit ex materia primo modo, ex forma secundo; quibus modis nec forma, nec materia fit, si sint extremę, sicut loquitur Philosophus in 12. met. 12. Tertio ex præexistente, & non inexistente fit aliquid, vt primo de gener; & corrup. 23. quando *ex tota genitura fit sanguis, & ex aere fit aqua*. Tunc namq; oppositus terminus à quo est præexistens, sed, quia interit, non est inexistens in termino ad quem. Posset fortè dici forma corporea sic fieri ex materia, quæ præexistit formæ, nec inexistit illi. Verùm hoc mihi non probatur, cum forma nó fiat ex materia, nec vt ex parte, nec vt ex termino. Transmutamus ergo habitudinem vtramq;, quam inuenimus in fieri, scilicet vel termini vel partis, cum habitudine formę ad subiectum: quasi Aristoteles dixerit, musicum fieri ex homine. Quarto modo demum fit omnis forma (saltem si momento inducitur) ex nullo sui præexistente, aut inexistente, quemadmodum sustinet Philoponus contra Proclũ. Hoc modo, aliquid fit ex nihilo præexistente, & non inexistente.

Iam verò cum *nihil*, & *aliquid* contradicant, & in factione exnihilo, post nihil fiat aliquid: explorandum est, quid negetur per hoc signum vniuersale negatiuum *Nihil*. Negari enim potest vel entitas vniuersalis ad causatum, & incausatum; vel secundò entitas vniuersalis causata; vel tertiò omnis entitas siue totalis, siue partialis huius entis, quod fit ex nihilo. Non potest negari in primo sensu omnis entitas, quoniã si omnia essent possibilia esse, & nihil actu, non esset aliquid actu existens, & actu efficiens, quod est absurdum, quemadmodum Aristoteles adnotabat in 12. met. 30. Præterquã quod effectus fieret sine efficiente, quod est absurdum. Non potest insuper in secundo sensu negari omnis entitas causata: quoniam si cęlum, & terra, si substantia immaterialis, & materia sint in rerum natura: non propter hoc tollitur, quin aliquid fieri possit de nihilo; cum etiam id quod fit non habeat repugnantiam cum esse aliorum præexistentium, sanè esse aliorum, aut negatio ipsius esse aliorum, non est terminus *à quo* oppositus huic enti facto. Igitur *nihil* in termino à Num. 42.

quo

quo negat id, quod ponitur in termino ad quem: in termino ad quē ponitur hoc ens totum, atq; totaliter, ergo in termino à quo negatur totum hoc ens, quod fit, & omne quod ſpectat ad eſſe ipſius, vt in termino à quo, nec ipſum, nec aliquid eius præexiſtat. Negatur ergo per ſignum vniuerſale *Nihil* omnis entitatis totalis, vel partialis ipſius particularis cauſati: itaut nec ipſum cauſatum, nec aliquid inexiſtens illi, vt pars, præfuerit, ſed poſterius totum ſit beneficio agentis.

Lucubremus hunc ſenſum comparantes factionem ex aliquo, & factionem ex nihilo. Compoſitum fit ex aliqua parte ſui, ideò dicitur fieri ex aliquo; quòd ſi nulla pars compoſiti ſit prius, totum verò cōpoſitum ſit poſterius immediatè, certè compoſitum ex nihilo fieret. Igitur ipſum nihil negat totum eſſe compoſiti, & omnium partium, quę ſunt aliquid compoſiti.

Nec refert, an pars præexiſtens ſit materia, vel forma. Si namq; forma præexiſteret, & materia de nouo fieret, (vt non nullos de anima rationali sēſiſſe monuimus) certè homo fieret ex aliquo ſui non autem ex nihilo.

Quod ſi pars imperfectior ſatis eſt, vt compoſitum dicatur fieri ex aliquo ſui, non ex nihilo: multò magis ad hoc ſatis erit pars perfectior.

Accuratiùs annotandum eſt in factione ex aliquo, compoſitum fieri ex ente præexiſtente, tanquam ex parte, fieri ex non ente præcedente, tanquam ex termino ſed non omnis negatio entis ponitur terminus à quo in tali factione, quia ſola negatio partis eſt terminus à quo; fit ergo compoſitum ex parte, & ex negatione partis, igitur in termino à quo oportet intelligere negationem totius, & omnis partis, cum aliquid fit ex nihilo: cum autem fit ex aliquo, negationem totius, & vnius partis.

Obijciet quiſpiam. Terminus creationis eſt negatio extra ſubiectum, & extra genus: terminus generationis negatio in ſubiecto; ſi ergo fiat forma ex priuatione in ſubiecto præſuppoſito, forma vtiq; non fiet ex nihilo: nec fiet ex nullo præxiſtente.

Reſpondetur, fieri formam ex nihilo ſibi inexiſtente, & præexiſtēte aſſero, ſiue negatio formæ ſit in ſubiecto, ſiue extra ſubiectum, nihil moror: nec enim hoc refert ad rationem factionis, de qua loquor. Si autem hoc requiratur ad rationem creationis, de creatione non diſputo, nec de voce litigo.

Non refert, inquam, ad factionē formæ, quoniam neq; negatio in genere, neq; negatio extra genus ineſt formæ factæ: tametſi vtraq; negatio præcedat, tranſeatq; forma & à non eſſe ad eſſe ſui. & à non ineſſe ad ineſſe materiei. Itaq; forma fit ex vtraq; negatione præcedente, non inexiſtente, & reſoluitur in vtramq; vt in aliquid, quod non inextiterat: ex nihilo igitur fit, & in nihil reſoluitur.

Præterea ſi ſubiectum præſupponi eſt cauſa tollens factionem ex nihilo,

Num. 43.

nihilo, ergo subiectum non prę supponi est causa factionis de nihilo. Quare si anima præexisteret ante corpus, homo de nouo factus ex parte præexistente, esset factus de nihilo.

Amplius alia est habitudo termini ad terminum, alia est habitudo subiecti ad agens. Inter nihil, & aliquid est habitudo termini ad terminum, eo quod nihil termini ad quem reperiatur in termino à quo. Qui autem ex Philosophis creationem subruere tentarunt, disputatione de terminis mutata, disputare cęperunt de independentia agentis à materia, quæ probatu est difficillima. Nam in secundis efficientibus non apparet hæc independentia: si eam velis in primo efficiente ponere, exclamabunt te petere principium. Ommissa igitur disputatione de independentia in agendo à materia, dico subiectũ esse quid impertinens ad rationem factionis de nihilo, negationem termini ad quem, & cuiuscunq; partis, quæ sit aliquid termini arbitror per se requiri in termino à quo factionis ex nihilo.

Num. 44. Cur ergo plerumq; subiectum in factione formæ de nihilo sui reperitur? Respõdeo id prouenire ex ratione facti, nõ ex ratione effecti onis. Quãdo etenĩ res facta est nata esse in subiecto, à quocũq; vel quomodocũq; tandẽ producatur, in subiecto erit. Veluti calor siue à sole ęquinocè productus, siue à calore vninocè, siuè naturaliter in aerẽ, siue violenter in aquã, semper in subiecto producitur; quia ratio eius talis est, vt subiecto inhærere aptum sit; sed per secundum phys. tex 78. vnumquodq; vt aptum natura est, sic agitur. Quin etiam si calor esset ineffectus (sicut quidã de cęli quantitate, figura, luce credunt) adhuc esset in subiecto. Quando autem res facta est nata per se existere, & non in subiecto, tunc producens, quauis factione producat, faciet rem non in subiecto.

Adhiberi potest ad rem nostrã tex. 58 quarti physicorum, in quo Aristoteles euersurus vacuũ, postulat, an si in spatio esset color, vel sonus, & corpus tangibile non esset, futurum in eo spacio esset vacuum? & respondet, vacuum fore. Exhibeo casum Aristotelis. Si color vel sonus fiat, aut sit sine subiecto, corpore, erit color eiusdem rationis qui fit, & est in subiecto, ergo factio in termino ad quem est eiusdẽ rationis, quare & in termino à quo: sed subiectum est extra rationem vtriusq; termini. Vnde quod attinet ad rationem factionis ipsius coloris, eadem ratio est, licet, quo ad factionem corporis colorati, diuersa sit ratio. Ad extremum, aliud est esse coloris, aliud inesse, de colore verum est dicere, color est in rerum natura, & prius quàm fieret, non erat verum. Atq; hoc esse cõpetit colori respectu cuiuscunq; existentis. Si compares colorem ad Deum, color est in rerum natura, si ad cęlum, subcęlestia, ad quamcunq; portionem materiæ, vel corporis, verum est dicere, color est. Si autem dixeris de quauis portione

ne materiæ vel corporis color eſt in hac parte, falſum eſt, nam color factus eſt in vnica portione materiæ, vel corporis duntaxat. Iamq; pro viribus expoſui, quæ per ſe conſiderantur in factione ex nihilo, nempè & per ſe efficiens, ac factũ: per ſe terminos à quo, & ad quem.

Raguſei, & Pererij obiecta.

Caput. XV.

NVnc aduerſantia depellamus Georgius Raguſeus vir clariſſimus, Peripateticarum Diſputationum Diſp. 7. cap. 4. ſecutus Gregorium Ariminenſem, & Ioannem Bacconum ait, Ariſtotelis fundamentum eſſe ex nihilo nihil fieri. Hoc iecciſſe Ariſtotelem lib. primo de Phyſico Auditu tex. 33. & vbiq; in ſua philoſophia frequenter repetijſſe, atq; ab omnibus cuiuſuis generis Philoſophis adeò receptum, vt de illo nulla prorſus dubitatio contingat. Id Raguſeus ibi; quanquam Diſp. 21. cap. 17. in oppoſitum inclinare videatur, aſſerens, Ariſtoteli agnitam creationẽ fuiſſe. *Num. 45*

Reſpondeo eſt, illud fundamẽtum ex reliquijs priſcorum Philoſophorum adhuc in multis Peripateticis hærere. Ariſtoteles loco citato 1. phyſ. illud fundamentum, vt alienum, non proprium refert, quod, vt ita dixerim, perpetuò obſeruauit. Neq; verò cunctis philoſophis illud aſſertum fuit indubitatum, quemadmodum Ariſtoteles in Xenophanem oſtendit, dum probat ex aliorum opinionibus nõn eſſe rectam opinionem illam, quæ ſtatuit *Ex nihilo nihil fieri.*

Huc refero, quę Pererius in lib. 5. ſuę phyſicę, cap. 7. obijcit loca Ariſtotelis, quibus probet Ariſtoteli numquam veniſſe in mentẽ, vt exiſtimaret, creationem, quę eſt noua rei ex nihilo productio, eſſe poſſibilem. Nam in primo phyſ. tex. 33. & 34. commendat commune illud decretum omnium Phyſicorũ, *ex nihilo nihil poſſe fieri.*

In eodem lib. tex. 75. ait, eſſe impoſſibile ex ſimpliciter non ente aliquid fieri.

In 7. metaph. tex. 22. dicit, omne quod fit, ex aliquo, & aliquid fieri.

In 5. eiuſdem operis tex. 17. definit in vniuerſum potentiam actiuam per paſſiuam dicens, illam eſſe potentiam tranſmutandi aliud, inquantum aliud.

Ad hæc ita reſpondeo. In primo phyſ. 33. & 34. Ariſtotelem bis hoc principium tanquam alienum, non proprium referre; nullumq; verbum illic reperiri, quod commendet illud, *Ex nihilo nihil fieri*: imo doceri ex eo abſurdas manare opiniones conſtant. Nec omnium philoſophorum dicitur eſſe decretum illud, ſed naturalium duntaxat, quia primi Philoſophi, qui Theologi nuncupabantur, ex nihilo aliquid fieri conceſſere, pro vt ſuperius oſtendi ex lib. contra Xenoph. & ex 12. met. 30. *Num. 46.*

In primo phyſ. 75. tex. ſic habet. *Nos autem, & ipſi dicimus, fieri quidem nihil ſimpliciter ex eo quod non eſt. Sed tamen fieri ex eo quod non eſt; vt ſecundum accidens. Ex priuatione enim quæ eſt per ſe*

per ſe non ens, non ex eo quod non ineſt fit. Quibus verbis Ariſtoteles non adiecit particulam *ſimpliciter* ipſi *non enti*, ſed ipſi *fieri*. Fieri quippe ſimpliciter, & fieri ſecundum accidens opponuntur. fieri ſimpliciter eſt ex eo, quod ineſt; fieri ſecundũ accidens ex eo, quod non ineſt, pro vt Simplicius ex Aphrodiſeo in 2. expoſitione animaduertit primo phyſ. commentario 70. Itaq; aliquid ſecundum accidens fit ex non ente: idq; bifariã, primo modo in generatione, quæ ex priuatione ad formam eſt, qua generatione compoſitum fit. Nam de iſto fieri ſpeciali iuxta tex. 64. loquitur Philoſophus: idq; ſatis eſt in phyſica, quæ acceptis principijs, materia, forma, priuatione ex phyſico munere ſeruatur materię mutationes, & formas in materia per 2. phyſ. 26. Secundo modo aliquid fit ſecundum accidens ex non ente præſuppoſito ita, vt nec factum, nec aliquid facti ſit prius, ſed nihil, poſterius ſit ipſum aliquid factum. Talis productio ex non ente, quod non ineſt ad ens, fuit à Philoſopho conceſſa, pro vt ſuperius ſum conatus oſtendere. Quæ productio ex nihilo, quia phyſici non eſt, in alium eſt locum reſeruata. Quare ex non ente res per accidens fit, tanquam ex termino, quod non ineſt, non tanquam ex parte, quæ inſit.

Ad hunc locum ſimul, & ad alium 7. met. 22. Dico Ariſtotelem loqui de origine compoſiti, ſic omne quod fit ſemper compoſitum eſt atq; tale factum fit ex materia, & forma. In ſimplicium origine ſecus dicẽdũ eſt. Dico, loqui de ipſo fieri ſecundum rationem ſpecificatu, non genericam.

Ad poſtremum è 5. met. 17. promptum, denego potentiam actiuam in communi definiti. Nam eadem habentur de potentia in 5. met. 17. & 9. met. 2. Verùm præmonitio facta eſt in tex. primo 9. met. potentiam, & actum in plus dici, quàm potentiam & actum ſecundum motum. Nihilominus pollicetur Ariſtoteles ſe proximè tractaturum de potentia cum motu, vt innoteſceret potentia ſine motu.

Argumenta Vicomercati, & Lucretij. Caput XVI.

FRanciſcus Vicomercatus in primum phyſ. tex. 31. ait, Quod ad communem illam Phyſicorum attinet ſententiam, quanquam per ſe omnibus eſſet nota, communiq; omnium illorum conſenſu comprobata, à Lucretio tamen in Poemate ſuo fuit demonſtrata, multiſq; rationibus eõfirmata, ſic enim ait in primo lib. Num. 47.

Nam ſi de nihilo fierent, ex omnibus rebus
Omne genus naſci poſſet, nil ſemine egeret
E mare primùm homines, è terra poſſet oriri
Squammigerum genus, & volucres erumpere cęlo
Armenta, atq; aliæ pecudes . . .
. . . . .

Argumentum planè poeticum, cũm

Cũ dico, aliquã rẽ fieri ex nulla re, arguit, ergo quælibet res fieret ex qualibet re, nego cõſequentiã. Omne enim, quod fit, fit ex oppoſito, vt album ex non albo, muſicum ex non muſico, vt primo phyſ. 43. & 76. animal ex non animali erit, non ſecundum accidens. Quapropter ſi fiat ex nihilo materia, fiet ex ſui cõtradictorio preciſè, quia neq; ipſa, neq; aliquid ſui præexiſtit: iſtud verò contradictoriũ non ineſt materię; ergo materia per acidens fit ex non materia.

Secundo, fieri, de quo loquitur Lucretius eſt compoſitorum, quæ procul dubio requirunt determinatã materiam proximam, remotam eandem, vt in 8. met. 11. ſcriptum eſt.

Tertiò mutat habitudinem termini ex quo in habitudinem ex parte, & in habitudinem efficientis. Cum enim ait. *Nihil ſemine egeret* ſemẽ eſt cauſa efficiens, pro vt Ariſtoteles in primo de generatione animalium cap. 18. reuincit. At quando ex nihilo fit aliquid, fit per accidens ex nihilo, tanquam ex termino, quod non ineſt: fit verò ab agente determinato, vel primo vel ſecundo cum primo. Cum verò infert, E mare primum homines, è terra poſſet oriri ſquã migerũ genus: iam materiã, ex qua fierent, adducit, non terminum ex quo; ſiquidem ſi daretur ex his fieri aliquid, fieret ex aliquo præexiſtente, & inexiſtente, non ex nihilo.

Pergit Lucretius. *Genus omne ferarum*

Incerto partu culta, ac deſerta tenerent. Num. 42.

Reſpondetur; id non ſequi, nam à quocunq; , & quomodocunq; res facta ſit, ſi ſuæ relinquatur naturæ (ſepoſitis obicibus, quæ toti ſpeciei obijci non poſſunt) ſuum ipſa obtinebit locum. Ita Philoſophus in 2. de cęlo 104. quærens ex naturali motu terræ figuram terrę ait, *Oportet autem intelligere id, quod dicitur, perinde atq; ſi facta eſſet eo modo quo & Phyſiologorum aliqui factam eſſe dicunt. Verùm quidem illi violentiã cauſam ponunt eius, quæ deorſum fit lationis. Melius eſt tamen, ponere veritatem, & dicere, hoc accidere, propterea quod naturam habet id, quod grauitatem habet, vt ad medium feratur.* Siue igitur facta; ſiue non facta ſit terra, ſiue partes violentia, ſiue naturaliter, ſiue diſtractæ, ſiue coniunctæ producantur, ſemper idem facient, & ad medium conueniẽt, formabuntq; ſphæricam terræ molem. Idem dico ad Argumentum Lucretij, & feras, & alia quæq; exorta ſiue ex aliquo, ſiue ex nihilo, continuò in ſua ipſarum connata loca fore migratura. Tamen & hoc argumentũ eſt de compoſito, quod fit ex ijs, quæ inſunt: in quo fortaſſe, aliquid fieri ex nullo ſui, Ariſtoteles non concederet, nam omne tale habet duplex principium, alterum inexiſtens, ex quo fit, & alterum etiam præexiſtens, nempe materiam.

Proſequitur Lucretius.

Nec fructus ijdem arboribus conſtare ſolerent.

Sed mutarentur, ferre omnes omnia possent.

Quippe vbi non essent genitalia corpora cuiq;

Qui posset mater rebus consistere certa?

Respondetur, quęque res facta certas habet suæ naturæ proprias actiones, vel passiones: Quare si omnia non habent hanc vim, vt procreent omnia, siue de nihilo, siue de aliquo progenerent, progenerabũt illa præcisè, quæ possũt, nõ aliter, nec aliud. Cõsequẽtia igitur neganda est, si quid ex nihilo fit, igitur arbores non eosdem fructus ederent, aut omnia omnes ferre possent. Nam positis actu efficiẽte, & materia, effectus certus, statusq; prodibit, vt in 12. met. 11. & 8. met. 11. facilè eruitur. Quando autem aliquid ex nihilo facere valet, pater certus est, nempè (relicta metaphora poetica) efficiens certum est, & effectum certum habet, certosq; terminos exquo, & ad quem.

Rursus ait Lucretius:

At nunc seminibus, quia certis quæq; creantur

Inde enascitur, atq; oras in luminis exit,

Materies, vbi inest cuiusq; & corpora prima.

Atq; hac re nequeunt ex omnibus omnia gigni

Quod certis in rebus inest secreta facultas.

Respondetur, hæc vtiq; conficere, vt non possit quodlibet facere quodlibet, vel à quolibet fieri, neq; fieri ex quolibet. Fieri verò ex nihilo nihil posse, non concludunt: fiunt quæq; vbi sunt semina, efficientiaq; quæ secretam facultatem habent: hæc vera sunt de agentibus determinatis, & de ijs, quę fiunt exprimis, sicut & ipse ait, vbi materies est, & corpora prima. Quomodo verò prima materies fiat, & à quo, aut forma, dicendum erat, quod ab Aristotele aduersus Xenoph. docetur, & innuitur in primo de cęlo 100. & alijs locis adductis, cum dissolueremus argumentum ab efficiente deductum. Eadem Lucretij carmina retulit Theod. Angelutius contra nos in lib. de Instituto metaphysicæ cap. 21.

Argumenta Pererij reliqua tolluntur. Caput. XVII.

QVæ ab Authoritate Aristotelis Pererius attulit, diluta sũt Rationes item Pererij, ac Piccolominei ex efficiente suis locis depulsæ fuere. Reliqua Pererij prosequimur. *Num. 49.*

Primũ. Aristoteles, & Peripatetici putant, euidenter demonstratã esse æternitatem materiæ primæ in 1. phys. 82. quia si vnquam fuisset producta, oporteret eam esse productam ex aliquo subiecto. Quare ante materiam primam esset alia, & sic res procederet in infinitum.

Piccolomineus lib. 1. de creat. cap. 6. Rationem hanc secundam facit. Soluentesq; eo quòd Arist. ibi loquatur de factione, vt est compositorum, non simplicium:

Impugnat. Quoniam si daretur

tur modus productionis per creationem, præsertim competens simplicibus, peccasset Aristoteles per fallaciam consequentiæ, quia ex eo, quòd materia non potest propriè gigni, & ex materia fieri, infert absolutè eam nec fieri, nec interire: quod minimè posset inferre.

Respondetur *fieri* propriè est compositorum, quæ fiunt ex subiecto, & forma, vt author est Arist. 1. phys. 64. & 65. Postquam Aristoteles determinauit significationem istius vocabuli *fieri*, demonstrat in eadem significatione, quod materia non fiat. *Si enim fiat subijci aliquid oportet primum, ex quo inexistente fiat, hoc autem est ipsius natura.* Hæc Aristotelis propositio præcisè est de ipso fieri, vt competit composito, quod fit ex subiecto primo inexistente: igitur & conclusio Aristotelis præcisè est de ipso fieri compositorum; ne plus colligatur in conclusione, quàm seminatum sit in præmissis. *Fieri* verò commune (vt est cum generatione, aut sine generatione) in ratione Aristotelis non ponitur, ergo neq; in conclusione reponitur. At Obstat; quoniam esset fallacia consequentis, si non gignitur propriè, neq; interit propriè, igitur simpliciter non gignitur, neq; interit. Respondeo fallaciam non adesse. Quando enim vox aliqua absolutè profertur, stat pro suo famoso, & proprio significato: quapropter cum Aristoteles infert, quod materia sit ingenerabilis, & incorruptibilis, infert absolutè absq; vlla fallacia. Imò verba textus proposita in conclusione sunt, quod materia est ingenerabilis, & incorruptibilis: igitur in negationibus idem intelligit, quod in oppositis affirmationibus. Sed compositum tantùm est generabile, & corruptibile, igitur negatur generatio, & corruptio cõpositi duntaxat.

Miror autem, Viros alioqui eruditos, ex illo textu 82. primi phys. asserere æternitatem materiæ, cum in textu materia non dicatur æterna. Et meritò quidem, quoniam eadem ratione omnis forma assereretur æterna. Si quidem in 7. diuinorum 32. forma fieri negatur, sicut & materia fieri negatur. *Fit enim, vt puta ærea sphæra, sed non sphæra, neq; æs, & in ære fit: semper namq; oportet præexistere materiam, & formam* &c. In eodẽ 7. tex. 26. & 27. ampliauit hanc rationem probantem, quòd nec materia, nec forma fiant: ne infinitus progressus concedatur Idem præstat 12. met. 12 & eadem propositione. Omne quod fit, fit ex aliquo subiecto, & aliquid fit, quæ de composito est vera. Clarissimè verò in 8. met. tex. 8. de forma inquit. *Necesse est aut sempiternã hanc esse, aut corruptibilem absq; eo, quod corrumpatur, & factam esse absq; eo, quod fiat. Ostensum est autem, & declaratum in alijs; quod formam nullus facit, neq; generatur, sed efficitur hoc, fit autem quod ex his.* Si igitur isti Peripatetici arbitrantur, ex negatione ipsius fieri, & interire, probè colligi æternitatem: cum Aristoteles tàm multis locis negat, quòd forma fiat, vel intereat;

Num. 50.

tereat, consequens est, vt omnis forma sit æterna, quod est ridiculum. Quare oportet cum Aristotele dicere, quòd forma fit, absq; eo, quod fiat: & corrumpitur absq; eo quod corrumpatur: nam propriè fieri, & corrumpi est compositorum, & hoc modo materia, & forma non fiunt; sed alio modo forma fit, scilicet per fieri in communi, per quod fieri etiam materia fit. Certè Aristoteles propter eandem rationem negauit materiam, & formam fieri, ne si fiant ex aliquo, infinitus processus occurrat.

Itaq; fieri speciale, quod est ex parte præexistente, composito tribuitur, sed à forma, & à materia æqualiter remouetur: Fieri commune siue ex parte præexistente, siue non ex parte, procul dubio competit formæ; nosq; arbitramur materiam eadem ratione fieri.

At Aristoteles debuit indicare. *Num. 51.* Respondetur, nunquam satis indicatur ei, qui nolit indicari. Aristoteles pretiosiora paucioribus verbis docuit. Exemplum esto; finem gratia cuius esse in imobilibus latè negarat, vel in dubium vocauerat, primo de partibus cap. 1. ac 3. met. 3. atq; 11. met. sum. 1. cap. 1. Quem finem in immobilibus duabus, vel tribus voculis indicauit in 12 met. 37. Potentiam actiuam, & passiuam cum motu frequentissimè, & amplissimè inculcat: sed potentiam actiuam, passiuamq; sine motu, vix innuit 9. met. 1. & 10 Fieri ex aliquo vbertimè exposuit, sed fieri ex nocte, idest nihilo attigit in 12. met. 30. & in lib. contra Xenophanem. Materiã fieri hoc vel illud esse crebertimè tradidit; sed ipsi materiæ communicatum fuisse à primo, exposuit primo cęli 100. Deniq; cum in 12. met. posuerit finem in immobilibus, fini autem opponitur efficiens relatiuè ex 1. met. sum. 2. cap. 1. ergo dari debet efficiens in immobilibus, hoc est efficiens non mouens, nam relatiua sunt simul natura.

Secundum Pererij. In 8. phys. motus, & temporis æternitas demonstratur ea ratione, quoniam si hæc facta essent, non potuissent aliter fieri, quàm per motum, & in tempore; quare ante motum, & tempus, & motus, & tempus fuissent. Quas demonstrationes, quis non videt, posita creatione nullas esse? Idem Argumentum Piccolomineus extruxit sicut & præcedens. *Num. 52.*

Respondere possum vel secundum meam opinionem, vel secundum communem. Equidem arbitror omnia, quę Aristoteles dixit de mundi, ac motus æternitate, dixisse populariter, non philosophicè. Perterritus enim cicuta Socratis, & mulcta Anaxagoræ, vt populi, & legum iram effugeret, cęlum, sidera, mundum, tanquam Deos immortales vendicauit, conferens cum populi opinione, vt videre est in 2. de cælo tex. 2. & 6. ac 17. & primo de cęlo 22. ac sæpius. Vt scilicet populi auram captaret, ac iram legum effugeret in hac ipsa re de cęli deitate, quæ Anaxagoræ damno fuit. At si principia philosophi conferas, vt definitionem naturæ

turæ, temporis, mutationis, euertes æternitatem robuſtiſſimè, ſed hoc alias.

Piget verò in Pererio, quòd apellauerit demonſtrationes argumenti illa, quæ diſſoluit in 15. lib. ſuæ Phyſicę cap. 3. Si demonſtrationes ſunt, inſolubiles ſunt: ſi ſolubiles, non ſunt demonſtrationes.

Porrò illa ratio adducta, quàm leuis? Compoſita namq; oriuntur per motum, & mutationem. at motus ſeipſo oritur, non per alium motum vt in 5. phyſ. 13. apertè traditum eſt & in 11. met. ſum vlt. cap. 3. In infinitum proceditur, ſi mutationis mutatio, & generationis generatio fuerit. Legatur locus pulcherimus Philoſophi, quo concedit primam generationem, & mutationem: quo diſſoluit argumẽta facta in 8. phyſ. pro populari opinione.

Quid deinde, ſi communis teneatur ſententia, quòd Ariſtoteli, motus ſit æternus, factio ex nihilo æternitatem labefactat? Auicenna, & Scotus ęternam creationem ſuſtinent, ego temporariam quoq; probabiliter ſuſtineo, quam Sueſſanus tandem conuictus aſſeruit. Æternam reſpectu cęlorum, ac elementorum tanquam partium, quæ conſtituant vniuerſum, cuius motus, vt ęterni, erit æternus. At cauſæ illæ, quæ ab æterno facere ex nihilo potuerant, decurſu temporis uires non amiſerunt. Quare ſi ſunt cauſæ rationales, ſtatuto tempore, & loco, ſi recta ratio dictauerit, ex nihilo aliquid faciẽt. Si ſunt cauſę irrationales, ſuis loco, ac tempore, alijsq; circunſtantijs concurrentibus, exibunt in actum. Quod ideò dico, quia non omnia ſunt vbiq; aut ſemper factibilia: neq; Principis gubernantis entia concurſus eſt paratus ad faciendum ex nihilo vbiq; aut ſemper.

Tertium Pererij. Ratio illa, quæ in 1. de cęlo confutat ſententiam Platonis, qui facit cęlum ab aliquo principio natum, ſed nunquam interiturum. Omne, inquit, quod incipit eſſe, aliquando deſinet eſſe, nam quod tale eſt factum eſt ex materia, quare corruptibile; Quod autem corruptibile eſt, aliquando corrumpetur. Hæc inquã ratio, quam vim habet admiſſa creatione? nullam ſanè. *Num. 55.*

Multa dicuntur, pauca probantur. Cur nullam vim habet hæc ratio? imò eandem vim habet, quã habitura eſſet, data cæli generatione. Cęlum namq; ſiue fiat ex aliquo, ſiue ex nihilo, eandem naturã tùm formæ, tùm materiæ eſt habiturum, & eodem modo vel perennabit, vel interibit. Oportet ergo explorare, de qua materia cęlum Platoni conſtaret, nam de hac Ariſtoteles agit. Materia determinata ad contrarietatem eſt illa, exqua corruptibile conſtat, vt innuitur primo de cęlo tex. vltimo & definitur in libro de longitudine, & breuitate vitę cap. 2. Ex hac materia elementari cælum conflatum eſt ſecũdum Platonem; quod igitur ſic incipit ex materia, interibit. Quod habet materiam ſine contrario, nõ corrumpetur. Cęlum ex Ariſtotele habet materiam 1. cęli 95. ſed

eſt

est sine contrario primo cæli 20. ideò non corrumpetur à parte post. Nam quæ dicuntur de sempiternitate à parte ante, popularia sunt.

Quartum Pererij. Illa Disputatio, quæ luculenter tractatur in 7. met. & priore parte 12. formâ non posse produci per se, nec immediate à substantijs abstractis, nõne admissa creatione labascit?

Respondetur, vaga citatio textuum parum vtilitatis lectori, parũ fidei conciliat authori: quotus enim quisq; est, qui vnius authoritatis consulendæ gratia totum librum legere velit? certè in 7. & 12. met. ego nondum inueni hanc propositionem. A substantijs abstractis immediatè formam non posse produci. Quod ait admissa creatione, labascere illam disputationem, nego. Quoniam omnis res facta, per factionem, vt in pluribus tale esse recipit, quale sibi cõgruit; quare forma fiet ex nihilo sui, sed in subiecto: materia ex nihilo sui, & non in subiecto: compositum verò fiet ex aliquo sui præexistente, & ex aliquo non præexistente. Neq; Aristoteles omnem productionem à forma remouet, sed istam, quę est ex aliquo, quia generatio ex aliquo præcisè est cõpositi, quopropter argumentũ præcedens de cęlo non facit ad rem, cum enim cęlum sit compositum, si Aristoteles cęlum factum esse cõcedat, vtiq; concedet esse genitum ex aliquo, non factum ex nihilo.

Quintum Pererij. Peripatetici ita cogitarent. Si Deus potest creare res ex nihilo, aut is agit liberè, atq; contingenter, aut ex necessitate naturæ: si contingenter, cum sit infinitæ virtutis (non enim minor virtus, quàm infinita sufficit ad creandum) non posset Philosophus vllam causam, & rationem reddere de magnitudine, numero perfectione, & ordine earũ, rerum quę sũt in mũdo. Etenim hæc omnia penderent ex libera voluntate Dei, qui si voluisset multò plures, maiores, & perfectiores res creare potuisset. Sin autem agit ex necessitate naturæ, & habet infinitam virtutem ad creandum ex nihilo; cum in ipso nihilo nullus sit terminus, aut modus, deberet sanè semper in infinitum nouas rerum species efficere, nam si agit ex necessitate naturæ, agit quicquid potest, & quantum potest in infinitum.

Respõderur hoc argumentum non esse Aristotelis, sed Pererij. Postulat, an Deus sit agens secundum electionem, an secundum naturalem necessitatem. Dico primùm, quòd primus intellectus est primum efficiens; quare primum efficiens est agens rationale, & per electionem. At agens rationale alterum est, quod potest prauum esse: sic homo, quando contra rectam rationem facit, prauus fit, lege in 3. Ethicorum cap. 7. sic ex 8. phys. 8. peccat voluntarius sciens, dum vtitur scientia è contrario. Alterum, quod se ipso est rectum ita, vt nunquam intellectu erret, nunquam electione depraue-

Num. 54.

tur: talis est Deus: tale agens rationale semper secundum rectam

ratio-

rationem faciet, quod melius eſt: non ſibi, ſed effectis. Non inquam ſibi, cum ſit ſibi ſufficientiſſimum 14. met. cap. 6. & nullius bonorum ſuorum indigens 1. cęli 100. Faciet verò, quod eſt melius entibus factis, tanquam optimus entium gubernator 12. met. vltimo. Hoc eſt Ariſtotelis dogma contra Platonem in 1. de anima 50. Plato dixerat animam cęli ferri circulariter; Ariſtoteles hoc dictum tanquã inſufficiens redarguit, non enim dicere oportuit ſolum, *quod ita*, ſit, ſed *cur ita ſit melius* ipſi animę. *At verò*, inquit, *neq; quod melius dicitur: & tamen oportebat, propter hoc Deum facere animam circulariter ferri, quia melius ſit ipſi moueri, quàm manere: moueri autem ſic, quàm aliter*. Ariſtoteles rationẽ ex fine quærebat, quam Plato iuxa veterum conſuetudinem non vſq; adeò reddere conſueuerat. Veteres enim ex materia ſumebant rationes, vt refert ac refellit Ariſtoteles in 2. phyſ. cap. vltimo, & 1. de partibus capite 1. nec non in 1. met. ſum. 2. cap. vltimo, Ariſtoteles autem ex fine rationes reddendas cenſuit, ex fine inquam, vel generationis, qui eſt forma, vel rei genitæ, quod eſt opus. Hoc modo Philoſophus veſtigans rerum naturas indagabit ex forma, & functione, quid ſit melius ipſis rebus; & ex fine cognito reddet rationem de magnitudine, numero, perfectione, & ordine; ſciens ex Ariſtotele, quod Deus, vt agens rationale præcognouit, quid melius eſſet cęleſtibus, ac ſubcęleſtibus, & res in illum finem perpetim deducit. Quam cauſam Ariſtoteles in 2. de cęlo, & in libris de partibus, atq; alijs, & frequentiſſimè, & feliciſſimè producit in lucem. Non ergo tollitur, ſed eadem manet per ſcrutatio philoſophis ex rei natura cum naturæ author, & ſeruator, naturam, quam fecit, imperturbate perficiat, quantum eſt ex ſe. Si itaq; eędem ſint formæ, & operationes, eędem reddentur quoq; rationes.

Secundò Dabo, quamquam falſum ſit, Deum eſſe agens irrationale, agens ex neceſſitate naturæ. Hoc dato, modus in rebus non eſt ſumendus ex parte facientis infinitæ virtutis, ſed ex parte factibilium, quæ ſunt finita: non ex termino à quo factionis, puta ex nihilo, prout vellet Pererius, ſed ex termino ad quem. Quo circa faciens irrationale infinitæ virtutis tot, ac talia faciet, quot, & qualia ſunt factibilia, quatenus factibilia. Porrò infinitæ ſpecies non ſunt poſſibiles fieri; data hypotheſi tot ſpecies factæ ſunt, quot fieri poterant: nam ordo eſſentialis eſt finitus, ſpecies verò inter ſe ordinem eſſentialem adeptę ſunt. Infinita ſingularia actu nequeunt eſſe, potentia queunt; igitur fient actu finita in infinitũ. Quia verò cum primo efficiente ad multos effectus concurrunt cauſæ ſecundæ, quæ ſunt vigoris finiti, effectus ſequetur debiliorem causã, & rurſus finita cuncta euadent. *Num. 55.*

Sciſcitabere. Cur tale agens nó faceret quotidie ex nihilo nouam materiam, aut nouas formas?

Reſpon-

Reſpondeo, quoniam nulla cauſa poteſt excedere effectum adæquatum. Vna materia eſt poſſibilis, vna eſt facta. Formas quotidie produci de nihilo, vel cum ſecundo agente, vel cum præparatione facta à ſecundo agente, non negabo, modò formæ ſint nouæ ſecundum numerum, non ſecundum nouam ſpeciem. Deniq; qui arbitrãtur ad creationem eſſe neceſſariam infinitam virtutem, illam non arguunt ex re facta, ſed ex modo faciendi; Vndè ſi aliquod efficiens ſecundum eos, creet arenam, non minus concludent infinitam virtutem agentis, quàm ſi creet cælum. Igitur ex virtute infinita creatrice arguent à priori talem modum faciendi, non rem factam eſſe infinitam.

Poſtremò, in hoc argumento Pererij plures propoſitiones ſunt non Ariſtotelis Ad faciendum ex nihilo vim infinitam requiri, Ex ipſo nihilo, hoc eſt ex termino à quo, accipiendum eſſe modum rei factæ. Infinitatem ſpecierum eſſe poſſibilem. Imò Pererius qui ante negauerat ad aures Ariſtotelis Deo potentiam infinitam, Nunc audio cõcedere potentiam negatam.

Sed hæc miſſa faciamus, & ad Argumenta Piccolominei conuertamur.

Argumentum Piccolomenei reſoluuntur. Caput. XVIII.

Num. 56. FRanciſcus Piccolomineus lib. 1. cap. 6. de Creatione, nouam creationem, hoc eſt, nouam de nihilo effectionem, magno apparatu reprobat. Primo quidem, quia noua creatio euertit conditionem efficientis. Sed hoc eius argumentũ & colligauimus, & diſſoluimus antea, cum de faciente ex nihilo tractaremus.

Secundò quia euertit conditionem materiæ. Cui rationi occurrimus, dum argumenta Pererij ſolueremus.

Tertiò Quia creatio ex ſententia Ariſtotelis euertit conditiones effectionis rerum, & propterea euertit ſeipſam, quæ effectio dicitur. Aſſumptum oſtenditur, nam quod efficitur, tranſit de non eſſe ad eſſe, & dicitur terminus effectionis. Nõ datur terminus ſine via, conſtitutum in eſſe ſine conſtitutione, & mutatum eſſe ſine præcurente mutatione; Hinc Ariſtoteles in 6. Phyſicorum cumulatè oſtendit, omne tranſmutatum prius tranſmutari.

Reſpondetur ex Piccolominei, nõ ex Ariſtotelis ſententia per factionem ex nihilo euerti effectionem. Nam in factione ex nihilo, etiam repetiuntur terminus factus, & via: non pro vt via ſignificat magnitudinem, ſed pro vt indicat habitudinem. Profectò in re facta ex nihilo duplex eſt habitudo, altera ad faciens, altera ad nihil præcedens immediatè. Quam viam non adeſſe in creatione Piccolomineus proponere potuit, probare non voluit. Quę autem de mutatione dicuntur, non ſunt ad rem: alia enim eſt factio ex nihilo, alia ex aliquo præexiſtente; hæc ſecunda eſt mutatio, prior eſt factio ſine motu, & mutatione, quam eſſe concedendam ex

nono

nono met. primo, ac 10. textibus, alijsq; locis prius oſtendimus.

Quarta, Piccolominei. Creatio ex ſententia Ariſtotelis euertit conditionem rei, quæ efficitur, nam conditio eius eſt, vt primo effici poſſit. Propterea ita argumentor. Quod creatur, vel poterat creari, vel ne? ſi non poterat, non crearetur. Si poterat creari, quoniam poſſe fieri denotat poteſtatem patientem, vt poſſe facere efficientem: eſt neceſſe, vt præcurrat poteſtas patiens, quæ ſine materia non ſeruatur; quare eſt neceſſe, vt materia, & ſubiectum præcurrat.

Reſpondetur. Quod creatur, poteſt creari: habetq; poteſtatem patientem: ſed hæc eſt duplex, alia ſubiecti, vt menſtrui, alia termini, vt filij ex 5. met. 20. Terminus creatus habet poteſtatem termini: ſed hanc in poteſtatem ſubiecti mutat Piccolomineus cum vitio æquiuocationis. Certè ex 1. de gener. 52. dicimus pati ſubiectum, vt ſanari hominem, & calefieri: dicimus pati oppoſitum, vt laborantem ſanari, frigidum calefieri. Adde & tertium, dicimus pati etiam calotẽ factum: vt calor faciens tres inferat paſſiones, vnam in ſubiectum, ſecundam in terminum corruptũ, tertiam in terminum productum. In factione ex nihilo hæc tertia poteſtas attenditur, quę eſt facti ad faciens, in alteratione perfectiua, & vniuerſaliter in mutatione acquiſitiua, tantùm adſunt potentia facti, & potentia ſubiecti. In alteratione corruptiua tres illæ adſunt potentię patiendi.

Vt autem luculenter appareat potentiam rei factibilis prodire à cauſa effectrice, non à cauſa materiali, adduco textum clariſſimum ex lib. 2. Phyſ. 34. Diſtinguuntur ibi cauſæ per potentes, & operantes & per textum 36. omnes cauſæ ſunt aut actu exiſtentes, aut ſecundum potentiam. In textu autem 38. cauſæ potentia comparantur ad effectus poſſibiles, cauſæ actu exiſtentes ad effectus actu exiſtentes. Quamobrem ſingulis cauſis in potentia, tanquam correlatiuum, correſpondet cauſatum poſſibile, vt materiæ potenti, poſſibile materiale: formę, poſſibile formale: effectrici, poſſibile effectibile: fini, poſſibile finale; ſemper etenim verum eſt, quòd cauſæ potentia ſunt cauſæ poſſibilium: cauſę actu exiſtentes actu exiſtentium. Qui ergo accipit poſſibile effectibile in reſpectu ad materiam, non ne apertè refragatur Ariſtoteli docenti, cauſatum poſſibile dici ad cauſam potentia, & hoc cauſatum ad hanc cauſam? cauſatum igitur effectricis habet ſuam poſſibilitatem à cauſa effectiua in potentia, ſuamq; actualitatem à cauſa efficiente, hoc eſt, in actu: neutrum autem horum habet à materia, quia non poteſt idem relatiuum referri ad duo correlatiua per 5. met. 20. & 21. ſed cuilibet relatiuo ſuum correlatiuũ ritè eſt aſſignandum. Effectibile ergo ad effectiuum dicitur, poſſibile materiale ad materiam: ergo poteſtas, qua aliquid eſt factibile, præcisè cauſatur à poteſtate efficientis; & poteſtas, qua aliquid eſt componibile materialiter, præcisè

Num. 57.

fundatur in materia, vel terminatur ad materiam. Contingit tamẽ aliquando, vt idem effectus cauſetur à quatuor cauſis, quale eſt compoſitum: iſtudq; cauſatum antea erat poſſibile ſecundum quatuor poſſibilitates correſpondentes quatuor cauſis potentia. Aliquando verò vnus effectus cauſatur à duabus cauſis tantùm, puta ab extrinſecis, fine, & efficiente. Tale eſt ſimplex, quod non poteſt cauſari à cauſis intrinſecis. Iſtud poſſibile antequam cauſetur, quantum ad ſuum eſſe, habet poſſibilitatem in ordine ad duas cauſas potentia. Dixi quantum ad eſſe duas habere poſſibilitates; nam nihil vetat habere etiam alias, quantum ad ſubeſſe, vel ineſſe, agere, vel pati, conſequẽter ad eſſe receptum. Ita materia poteſt recipere formam, forma poteſt recipi in materia: materia ſubeſſe, forma in eſſe; non tamen materia cauſat formam, vel forma materiam, ſed præciſè efficiens, & finis cauſant formam, vel materiã: Ex his liquidò conſtat, quòd factũ ſiue ex aliquo, ſiue ex nihilo, habet ſuam poſsibilitatem ab efficiente potentia, non à materiâ potentia, niſi ipſum factum ſit etiam compoſitum ex materia.

Sed Piccolomineus occaſionem nactus adducit ad hanc ſuam quartam rationem Scoticum reſponſũ: ptæire ſcilicet poteſtatem, quam obiectiuam apellat. *Num. 58.*

Contra inſurgit Piccolomineus, quoniam ex ſententia Ariſtotelis, vt patet 5. & 9. met. omnis poteſtas vel efficiẽdi, vel patiendi eſt: & omnis poteſtas patiendi ducit ortum ex prima materia, & ſine ea ſeruari non poteſt.

Secundò, hac ratione vtitur Ariſtoteles in primo de cęlo 136. inquiens; *neceſſe eſt igitur generabilia quandoq; eſſe, quandoq; non: talium autem eadem poteſtas eſt contradictionis, & materia cauſa eſt, vt ſint, & non ſit.*

Id ipſum affirmat in cõtex. 103. *Amplius autẽ, quod non habet principium ita ſe habendi, ſed non poteſt aliter ſe habere prius per omne æuũ, nequit tranſmutari: erit enim aliqua cauſa, quæ ſi prius eſſet, poſſet ſecus ſe habere, quod nequit ſecus ſe habere. Si autem prius ex aliter ſe habentibus conſtitutus eſt mundus, ſi quidem ſemper ita ſe habentibus, & non valentibus ſecus ſe habere, non vtiq; factus eſset: ſi autem factus eſt, neceſſe eſt, & ea potuiſſe ſecus ſe habere, nec ſemper ita ſe habere &c.* Conſpicuè patet ex ſententia Ariſtotelis id ſolũ fieri, quod primo poteſt fieri, & omnem patiendi potentiam oriri ex materia.

Tertiò. Nec ſatis eſt potentia obiectiua, quæ eſt non repugnantia ex parte obiecti. Oſtendit, quia potentia, quæ eſt non repugnantia ex parte obiecti, inanis eſt ſine poteſtate patiendi: niſi enim adſit poteſtas patiendi, adeſt pugna ex parte materiæ, quæ dicitur cauſa ſine qua non, & neceſſaria, vt patet ex calce 2. phyſicorum.

Quartò. Poteſtas obiectiua vel nihil eſt, vel aliquid: ſi nihil pronihilo conducere poterit. Si aliquid

quid,vel eſt ſubſtantia,vel accidẽs; non ſubſtantia,quia vel eſſet ſubſtantia agentis,vel patientis, ac ita vel eſſet poteſtas efficiendi, vel patiendi. Non accidens,quia niteretur aliqua ſubſtantia,vel agentis, uel patientis:ac ita vel agens, vel patiens,vt prius. Et præſertim quia omnis poteſtas nititur aliquo fundamento, Non igitur datur poteſtas obiectiua, niſi vt redigitur ad poteſtatem agentis, vel patientis.

Num. 39. Reſpondetur ex prædictis à 2. phyſ.38.quatuor cauſis potentibus correſpondent quatuor cauſata poſſibilia,& quatuor actualibus cauſis quatuor actualia cauſata. In 5. & 7. met. Ariſtoteles quatuor non ponit,ſed duas potentias,nec tamẽ negat alias; ideò argumentum eſt ab autorritate negatiuè;ponit duas potentias actiuam,& paſſiuam,ergo non ſunt plures. Item in textu non dicitur,quòd *omnis poteſtas* eſt agendi,vel patiendi: vnde iſta particula *Omnis* à Piccolomineo addita eſt.Nec i textu affirmatur,quòd omnis poteſtas patiendi naſcitur à materia: planè pati,vt eſt ſubiecti tranſmutabilis,eſt à materia: pati, vt eſt termini factibilis,eſt ab efficiente. Et poſſibilitas,qua aliquid effici poteſt,nuncupatur à Scotiſtis potentia obiectiua.

Præterea in 5. & 9. & Met. citatis à Piccolomineo, eſt ſermo de potentia cum motu, non vniuerſaliter de omni potentia, quare non rectè dicitur *omnis poteſtas*

Tertiò, Ariſtoteles comparans potentiam actiuam ad paſſiuam, comparat cauſam ad cauſam, non autem comparat cauſam ad cauſatum: ideo authoritas non eſt ad propoſitum,quia potentia obiectiua eſt,qua aliquid dicitur poſſibile effici à cauſa efficiente.

Ad ſecundũ,poſſibilitas compoſiti generabilis,& corruptibilis poteſt reduci in cauſam extrinſecam, & intrinſecam,nam in 2.Phyſ.70. docemur naturaliter reſoluere effectus in omnes cauſas,& in 2. de generat.56.affertur cauſa efficiens propter quam res inferiores poſſũt generari, & corrumpi. Quia vero ex quatuor cauſis compoſiti duæ ſemper præexiſtunt, efficiens ſcilicet, & materia:ideò Ariſtoteles potentiam rei cauſabilis non exiſtentis,reducit in duas potentias præexiſtentes, vt non exiſtens dicatur eſſe in potentia beneficio cauſę exiſtentis. Idcirco tàm frequens eſt in Ariſtotele diſtinctio de potentia actiua, & paſsiua. Rurſus quia efficiens eſt cauſa extrinſeca,vt det cauſam intrinſecam,& præexiſtẽtem,reſoluit, quòd potentia rei generabilis,& corruptibilis fundatur in materia, vt in primo cęli 136. 7.met.23. Quanquam autem his in locis afferat vnam cauſam,reliquas alibi expreſſas non negat. Ita quia in ijs locis loquitur de compoſito,non negat de ſimplicibus:nã & ſimplicia,& compoſita ſunt poſſibilia fieri,quia cauſa efficiens poteſt facere.

Ad aliam authoritatem ex primo de cęlo 103.concedimus Piccolomineo, Id fieri, quod poteſt fieri, at non concedimus id ſolum

fieri, quod primò poteſt fieri, quia compoſitum fit primò, & per generationem: forma non primò fit, ſed per factionem in communi. Negamus item in his locis habeti quòd omnis potentia patiendi oritur ex materia. Hic loquitur Ariſtoteles de potentia ſubiectiua: ſed etiam obiectiua concurrit, quia forma, & compoſitum ſunt termini facti ab efficiente, non à materia, & ope efficientis tranſeunt à non eſſe ad eſſe; atq; hæc poſſibilitas, qua poſſunt ab efficiente deduci à non eſſe ad eſſe, vocatur potentia obiectiua, quam negare non poſſumus: nec eam negat Philoſophus in 12. met. 30. niſi ſi negaremus efficiens actu exiſtens, & actu operans.

Ad tertium dico, in eo proponi ſine probatione id, quod Aduerſarius vellet. Nos diſtinguimus dicentes potentiam obiectiuam non eſſe ſatis ſine ſubiecto, ad faciendũ ex aliquo: eſſe ſatis, ad faciendum ex nihilo. Negamus illud. *Potentia, quæ eſt non repugnantia ex parte obiecti, inanis eſt ſine poteſtate patiendi.* Negamus inſuper aliud dictum, nempè id, *Niſi adſit poteſtas patiendi, adeſt pugna ex parte materiæ, quæ dicitur cauſa, ſine qua non, & neceſſaria.* Nam ad compoſitum & tranſmutationem materia eſt neceſſaria, in omni factione materia non eſt neceſſaria.

Nam, 60.

Ad quartum Diſtinguo ens, & nihil per actum, & potentiã. Quod eſt nihil actu & potentia, eſt impoſſibile eſſe, aut fieri, ſicut chimæra: tale nihil pro nihilo ducatur. Quod autem eſt nihil actu, ſed potentia eſt aliquid, non eſt contemnendum; ſic potentia obiectiua eſt nihil actu, eſt aliquid potentia, propter quam ex nihilo aliquid fit. Tale nihil actu, eſt intelligibile & deſiderabile, & factibile ab agente actu præexiſtente. Sicut in 9. met. 7. legis. *Quare non entibus nõ attribuunt ipſum moueri, ſed alias quaſdam prædicationes, vt puta intelligibilia, & deſiderabilia eſſe ipſa non entia, non autem mota. Hoc autem, quia cum non ſint actu, erunt actu: non entium enim quædam potentia ſunt; non autem ſunt, quoniã actu non ſunt.* Hactenus Ariſtoteles. Vbi clarè nitet aliquid actu eſſe, aliquid potentia eſſe, non actu. Sed ens potentia duplex eſt, alterũ quod poteſt moueri, ſi quidem ex 3. phyſ. 6. & 11. met. ſum. vlt. cap. primo, motus ſit actus entis in potentia, quatenus in potentia: tale ens in potentia eſt actu exiſtens, quantum ad proprium eſſe, ſed eſt in potentia, quantum ad eſſe formæ ſubſtantialis, vel accidentalis terminãtis motum; de quo ente in potentia nõ loquitur Philoſophus in 9. met. 7. loquitur quippè de illo non ente actu, & potentia ente, quod non poteſt moueri. Alterum ens potentia eſt, quod poteſt intelligi, ac deſiderari, atq; ideò eſt obiectum agentis rationalis: à quo agente ipſum ens potentia poterit reduci ad actum eſſendi. Hoc ens potẽtia, non actu, eſt poſsibile fieri, & eſt in potentia obiectiua. Eſt nihil actu, eſt aliquid potentia. Hoc ens potentia non eſt materia, neq; fundatur in materia potentia talis entis,

tis,quia materia poteſt moueri motu generationis & corruptionis, quia generatio & corruptio ſunt motus,& actus entis in potentia 3. phyſ.6. Hinc habes in Ariſtotele vnã potentiá obiectiuã,qua aliquid eſt in potentia ad eſſe,non autem in potentia ad moueri, ſiue in potentia rei mobilis. Alia etiam eſt potentia obiectiua formę, & compoſiti:quę duo ſunt,etiam in potentia ipſius rei mobilis.

Num. 61. Soluta ſunt argumenta contra potentiam obiectiuam,cuius depellendæ gratia digreſſus eſt Piccolomineus; digrediar & ego,vt rem gratam Subtili ſcholæ faciam,atq; declarabo potentiam obiectiuam ex placito Subtilis Doctoris; nam Piccolomineus non ſatis eam percepiſſe videtur. Scotus in Quolib. 3.varia ſignificata, quibus dicuntur *Ens & nihil* recenſet. Primo nihil id apellatur,quod implicat cõtradictionẽ,ens verò quod nõ implicat. In quo ſenſu *nihil*, eſt veriſsimè nihil, quod ex rationibus formalibus terminorum includit repugnantiam,vt Centaurus. Tale nihil excludit omne eſſe, tùm extra intellectum,quia quod implicat contradictionem,nunquam poteſt habere veram eſſentiam, aut exiſtentiam: tùm intra intellectum, quia nunquam in eſſe intelligibili habet eſſe, cum non poſsit habere vnitatem;propterea quod duo contradictoria non fiunt vnum, neq; vt obiectum, & obiectum, neq; vt obiectum,& modus. *Nihil* in hoc ſenſu eſt impoſsibile logicum, & ei opponitur poſsibile logicum, quod non includit repugnantiam. Qua de cauſa conſtat Piccolomineum confudiſſe potentiam obiectiuam cum potentia logica, quando ſcripſit. *Nec ſat eſſe potentiam obiectiuam, quæ eſt non repugnantia ex parte obiecti*. Ergo ens poſsibile logicè dicitur,quod non includit contradictionem, & repugnantiam: quo modo ens accipitur communiſsimè, quatenus extenditur ad ens in anima, & ens extra animam: vel vt melius dicam cum Ariſtotele,ad ens in mẽte, & ens extra mentem iuxta 6. met.cap.vlt.

Secundo,Nihil appellatur,quod non habet, nec habere poteſt eſſe extra animam,ideſt,non poteſt habere veram eſſentiam, & exiſtentiam:quamquam habere poſsit eſſe intelligibile;& deſiderabile, intellectum, vel deſideratum in mẽte. Sic in primo de anima 8.dixit Philoſophus, animal vniuerſale eſſe nihil, aut poſterius; quoniam vniuerſale actu non datur extra mentem,ſed in mente. Ens,quod opponitur ipſi nihilo in hoc ſignificato,eſt ens, quod habet, vel habere poteſt eſſe eſſentiæ,& exiſtentię extra mentem,ſed in rerum natura. Hoc ens diuiditur per actũ & potentiam vt Socrates generandus, vel forma eius producenda ſunt potẽtia ens, non actu.Forma Socratis producta, & Socrates genitus ſunt ens actu. Ens extra mẽtem eſt duplex alterum eſt neceſſe eſſe ex ſe, alterum non eſt neceſſe eſſe. Primum ens independens eſt neceſſe eſſe ex ſe, cętera entia non ſunt neceſſe eſſe ex ſe. Vndè

Pri-

Primum ens, vt Deus non est in potentia obiectiua, secundum Scotũ; Ad hoc enim vt aliquid sit in potentia obiectiua duæ conditiones desiderantur. Prima, vt non sit impossibile esse extra animam: Secunda, vt non sit necesse esse extra animam ex se: Quod habet has duas conditiones est possibile producibile, vel possibile effectibile, atq; potentia, à qua denominatur tale possibile est potentia obiectiua Omnisso producibili, factibile ī potentia obiectiua est, cui nec repugnat esse, nec necessario competit esse ex se, & per consequens quod potest esse ex alio efficiente, siue sit ex nihilo sui actu, siue sit actu secũdum aliquid sui. Legatur Scotus in primo dist. 36. q 1. lit. M. *Nec est inquit, hoc fingendũ, quòd homini nõ repugnat (esse,) quia est ens in potentia: & chimæræ repugnat, quia non est ens in potentia; imò magis è conuerso, quia homini non repugnat, ideò possibile est potentia logica: & quia chimæræ repugnat, ideò est impossibile impossibilitate opposita. Et istam possibilitatem consequitur possibilitas obiectiua, & hoc supposita omnipotentia Dei, quæ respicit omne possibile, dummodo sit aliud à se; tamen illa possibilitas logica absolutè ratione sui posset stare, licet per impossibile nulla potentia eam respiceret. Ergo potentia logica, quæ dicit non repugnatiam præcedit, sed potentia obiectiua consequitur cum respectu tamen ad potentiã efficientis primi.* Legatur item Scotus in primo dist. 20. q. 1. lit. D. *Potentiæ*, inquit; *actiuæ primum correlatiuum est possibile: non communiter sumptum, vt opponitur impossibili; quia hoc modo possibile est Deum esse, & tamen illud possibile non est terminus alicuius potentię actiuæ. Ergo oportet, quod possibile, vt est potentiæ actiuæ correlatiuum, sumatur determinatiùs: hoc autem non videtur, nisi secundum quod Auic. accipit possibile 6. meta. & alibi frequenter, pro vt opponitur ei quod est necessarium ex se: & tunc cum quodlibet intrinsecum Deo sit in se formaliter necessarium, vel per identitatem cum essentia, quæ est formaliter ex se necessaria, nihil intrinsecum Deo erit terminus potentiæ prò priè dictæ.* Infra lit. E subdit. *Quod autem dictum est de primo correlatiuo potentiæ actiuę, quod sit possibile, intelligendum est de possibili obiectiuè, scilicet, quod est terminus potẽtiæ. non de possibili subiectiuè, quia illud non est correlatiuum conuertibile respectu potentiæ actiuæ. Non enim omnis potentia actiua habet aliquid sic possibile sibi correspondens, sed solum illa potentia actiua quæ est trasmutatiua. Æquatur igitur possibile obiectiue, vt correlatiũ potentię actiuę, non autem possibile subiectiuè; & tale est illud possibile dequo adductus est Auicenna, quod opponitur ex se necessariò formaliter.* Et in 2. dist. 12. q. 1. lit B. *Et forte est eadem potentia, sed vt comparata ad diuersa dicitur obiectiua, vel subiectiua: ita quod subiectum existens dicitur potentia subiectiua; & eadem vt respicit agens dicitur obiectiua. Possunt tamen separari, vt in creabili, vbi est potentia obiectiua,*

tiua, & non ſubiectiua, quia ibi non ſubijcitur aliquid. Ex his habetur obiectum potentiæ effectiuæ eſſe ſimpliciter poſſibile, & id quod eſt obiectum potentiæ effectiuę eſſe in potentia obiectiua. Deniq; potentia obiectiua eſt, à qua res aliqua denominatur poſſibilis fieri, quemadmodum domus nondum facta, dicitur poſſibilis fieri: Neq; iſta potentia obiectiua ſpernenda eſt, quia quod inuoluit contradictionem contemptui haberi par eſt, vt Ideas Platonicas in 1. met: 32. inter uaniloquia, & metaphoras poeticas Ariſtoteles collocat. Sed potentia obiectiua, qua res non exiſtens ex ſe, poteſt exiſtere per cauſationem efficientis contradictione non implicat. Eſt nihil actu, ſed aliquid potentia, radicaturq; non in potentia paſſiua materiæ, ſed in potentia actiua efficientis.

Reliqua Piccolominei Argumenta. Caput. XIX.

Num. 62. QVintum Piccolominei. Euerſa propoſitione illa *Ex nihilo nihil fit*, euerſam ait fore naturaliũ ſcientiam.

Sed nos meliora ſperamus. Sciẽtia naturalis alligata materiæ conſiderabit generationem compoſiti ex materia: ſcientia ſupernaturalis abiungens à materia, conſideratura eſt effectionem ſimplicium, & non ex materia. Naturalis, quia præſupponit ſua principia non poteſt ęquo iure principiorum originem ſcrutari: ſed hoc primi philoſophi intereſt, cuius eſt aſſignare principia ſcientijs omnibus.

Sextum. Piccolominei. Progrediuntur philoſophi ex ſingulis rerum productionibus ſub ſenſu cadentibus, quę materiam expoſcunt, ideò Ariſt. 60. 62. 63: primi phyſ. colligit materiam eſſe principium rerum.

Reſpondetur; hæc vera ſunt de productione compoſiti, de qua tex. 64. concludit, *omne, quod fit, ſemper compoſitum eſt*: de productione formę, vel materiæ, vel immaterialium non eſt verum. Nec ſenſus vllus materiam primam, ſed ſecundam tantùm attingit, ex definitione generationis primo de generat. 23 vbi diſtinguitur generatio ab alteratione, quia in generatione non manet idem ſenſibile ſubiectum, in alteratione manet. Sed fortè nulla ſubſtantia ſenſu percipitur, niſi per accidens, vt colligitur ex lib. 2. de anima 134. Sed ex paucis per ſenſum notis, intellectus rimatur ignota. Nam ſi omnis materia ſecunda fit, per ſenſum potius colliges & primam fieri; & quia non fit ex alia materia, ne infinitas intrudatur, ſequitur, vt fiat ex nihilo. Amplius magis cadit ſub ſenſum factio ex nihilo, quàm ex aliquo: cum enim oppoſitum fit ex oppoſito, tanquam ex termino, veluti album ex non albo, muſicum ex non muſico, ſenſu percipitur & accidens, & negatio accidentis: ſenſu percipitur ſucceſsio, qua poſt nõ album fit album, poſt non muſicum fit muſicum: ſenſu percipitur, quòd nihil ipſius non albi manet in albo, nihil ipſius non muſici ma-

ci manet in musico, sed cum vnum contradictorium prius esset, immediatè post, est alterum contradictorium ergo sensu percipitur, aliquid fieri ex nihilo presertim, quia substãtia subiecta sensu non cernitur. Quod cũ cernamus in tàm multis accidentibus, non est cur negemus in substantijs; quę quia non sunt in subiecto, non prę supponunt subiectum; & si aliqua præsupponat, hoc est ex indigentia termini facti deposcẽtis subiectum; non autem ex ratione factionis, quæ facit terminum secundum suæ conditionis exigentiam: si terminus natus est esse in subiecto, fit in subiecto; si non est natus esse in subiecto: non fit in subiecto: si natus est esse ex parte præexistenti, fit ex parte: si non est natus esse ex parte aliqua sui, fit ex nihilo sui.

Num. 63. Septimum Piccolominei, & octauum sublata sunt inter argumẽta Pererij. Sed in octaua ratione hoc ex proprijs addit. Quod creaturæ nouę ex Deo non procedant, nisi præcurrente mutatione, vt in animabus rationalibus. Quod Piccolomineo videtur absurdum, tùm quia sic actio Dei penderet ex mutatione mortalium, & voluntati hominum subijceretur.

Tùm quia huiusmodi creatio exposcit distinctam notitiam singulorum hominum: quam Aristoteles Deo competere non existimauit, vt patet ex 12. met.

Respondetur ad primum. Si ratio valeat, fiet vt Deus, neq; in genere finis causet res nouas, quoniam ex Deo non procedunt res nouæ in genere finis, nisi præsuppositа mutatione; quamobrem, & causatio finalis Dei pendebit à mutatione mortalium, & à voluntate hominum. Itaq; aliud est præsupponere effectum pendentem à se causa, quod Deo competit; aliud depẽdere. Quando agens producit effectus ordinatos, non producit secũdum, nisi prius producerit primum neq; tamẽ efficiens penderet à primo effectu, sed secundus effectus penderet à primo, & ambo effectus atq; ordo illorum dependent ab efficiente. Consimiliter dico de fine.

Ad secundum Respondeo, Deũ cognoscere omnia vniuersalia, & singularia distinctissimè per rationem sui ipsius, vt per primam causam: quoniam sapiens cognoscit omnia, eo quod cognoscit causas primas omnium ex 1. met. sum. 1. cap. 2. quæ sapientiai, vel soli Deo vel maximè conceditur ipsi Deo, ibidem, quia Deus omnibus est causa. At hoc alio loco à nobis excussum, transiliamus.

Nonò Ostendit Philosophus in primo de cęlo omne æternam ex vna parte esse æternum, ex altera, quod per nouã creationẽ euertitur. *Num. 64.*

Insuper in eodem primo de cęlo ostenditur, omne genitum esse mortale, quod etiam per nouam creationem animæ euertitur.

Respondetur, nimis fluxæ sunt hæ positiones, quod hoc per nouam creationem euertitur. Nam si cõcesserò, quòd de nouo creata intereunt; iam his cessat. Si negauero, per animæ creationem nouam tolli illud, *omne genitum esse mortale*, consequentia corruit:

Ari-

Digitized by Google

Aristoteles loquitur de compositio ex contrarijs genito, quod vel vltimo textu primi de cęlo constat. *Corruptibilia, inquit, omnia, & generabilia, & alterabilia sunt: alterantur autem contrarijs; & ex quibus constant, quę natura sunt, & ab eisdem ipsis corrumpuntur.* Neq; alius sensus erat necessarius, cum cęlum è contrarijs consarcinatum Plato statuerit; alij posuerint cęlũ esse vnũ contrariorum, vt Anaxagoras ignem. Aduersus quos disputat Aristoteles.

Possem hic excutere simplicem emanationem, vel consecutionem rerum ex Deo, vel creationem æternam. Prætermittam verò eam disputationem, tùm quia longior fui, ac voluissem: tùm quia diffusè à præclarissimis viris agitata est quàm, vt à me diffundi debeat; tùm tertio, quia in falso mihi videtur posita; id verò sentio, Difficilius esse probare, quàm reprobare veritatem; defendere, quàm offendere; ideò difficilius tentasse, sit satis.

VESTIGATIO SECVNDA
De Efficientia Primi Entis.

Opiniones, & authores circa efficientiã primi entis. Caput. I.

Num. 1. ANtiquitus cępit, nec dum desijt vestigatio proposita, neq; (propter ingeniorum contentionem) apparet, quando sit desitura. Eudemus, & Aphrodiseus negauit efficere, ac efficientiam primo enti ex Aristotelis opinione: Simplicius post Ammonium affirmauit; prout legere est apud Simplicium in fine cõmentariorum ad octauum librum de physico auditu. Eandem Aristotelis opinionem & ego vestigare nitar, si quo modo ex Philosophi aut verbis, aut principijs eam assequi, & optata veritatis præda potiri valeam. Neq; deerunt plures vel cum Alexandro Aphrodiseo, vel cũ Simplicio, vel etiam inter hos medij authores, qui eadem intentione ad inueniendam Aristotelis mentem diuersis vijs gradiantur. Siquidem aut primum ens ponitur nullius effector, aut omnium aliorum effector, aut non omnium effector, sed nonnullorum, puta, vt sit factor temporalium, non æternorum: vel si æterna quædam faciat, illa sint successiua, vt motus, ac tempus, non permanentia, vt cęli, vel mentes cęlorum motrices; aut faciat formas duntaxat, non materiam. Nam singulorum membrorum à nobis propositorum patroni adsunt, & ij quidem in schola Peripatetica illustres.

Num. 2. Prima via dicens, Deum esse causam finalem, non efficientem omnino, tribuitur Alexandro Aphrodiseo, quanquam non nihil dubitationis ingerat quia in 8. metaph. comẽt. vlt. & lib. 11. comẽt. 2 Deum esse efficiens omnium fatetur. Sed & Simplicius, loco relato,

postquam dixit cum Alexandro primum motorem esse finem, non efficientem, affert ex cõmentario Alexandri in primum de gener. tex. 14. hæc verba. *Porrò primum mouens motus diuini corporis causa efficiens est, cum sit ingenitum:*

Verùm sub nomine Aphrodisei hanc partem tuentur

Scaynus in 12. metaph. cap. 10.

Cremonin. de natura cęli car. 373

Gianin. de substantia cęli cart. 23 67. & 432.

Burleus 8. physic. in tex. 79.

Secunda, Via sustinet, Deum quidem, seu primum ens, esse ineffectum, alia omnia esse facta à primo ente, ab eoq; causata in genere efficientis siuè mediatè, siuè immediatè. Cuius opinionis assertor est

Simplicius Comẽt. vlt. in 8 physicorum

Suessan. 8. physic. in tex. 79. & in 5. metaph. disp. 4.

Auicenna in 9. metaph. cap. 4.

Tho. Aquinas in p.p. q. 44. art. 1:

Ioan. Scot. in 1. d. 8. q. 5. & quolib. 7.

Piccolomin. de motori. cęlorum cap. 15.

Vicomerc. in 12. metaph. coment. te x. 36.

Zimara in q. de triplici causalitate intelligentiæ.

Tertia Via, quæ negat primum ẽs, qui & primus est motor, esse causam effectricem æternorum, diuisa est: vna pars contendit effici à primo motum primum, alia negat effici etiam motum æternum.

Nullum æternum effici à primo ente secundum Aristotelem sustinet.

Gianin. de substãta cęli pag. 20. & sæpius illo in libro.

Iacob. Pauesi. disp. 5. metaph part. 2. cap. 18. car. 114. alios citat, non nominat.

Motum æternum esse effectiuè à Deo, atq; adeò tempus, cętera æterna non esse effectiuè à primo ente sustinet post

Gregor. de Arimin. 2. sent. d. 1. q. 1.

Georg. Raguſ. disp. 7. & 8. Perip.

Achil. quol. 1. dub 2.

Iacob. Pauesi. loco relato.

Secundus surculus opinionis est Bonau. Seraph. in 2. d 1. q. 3. cũ sequacibus, qui materiam primam non concedit factam secundum Aristotelem, actus verò omnes (nec distinguit, separatos, aut iunctos per informationem,) effectiuè causatos à primo asserit.

Relatis opinionibus extremis, ac medijs, earumq; defensoribus; illorum fundamenta tùm afferam, cum erunt soluenda, ne lectori graue sit vel memoria, vel regressu cõferre, bisq; legere eadem argumenta.

Apparatus ad Vestigationem.
Caput II.

Num. 2.

NOnnulla præmittenda videntur, antequam rem aggrediamur. Primum est ex parte efficientiæ, explicanda est enim causa efficiens, ac distinguenda, vt possit cognosci, quando de tali causa Aristoteles loquitur. Igitur in 2. physic. 29. & in 5. met. 2. totidem verbis dixit, quòd causa efficiens

est

eſt. *Vnde principium mutationis primum, aut quietis.* Quapropter particulę *Vnde, vnde motus, vnde primum* ſunt certiſſimi characteres, ſignaq; cauſæ efficientis apud Peripateticos, vt obſeruari poteſt ex primo met. ſum. 2. cap. 1. & 2. ex primo de Generat. animal. cap. 1. & 5. de gener. animal. cap. 1. ex lib. 2. phyſ. & ſexcentis locis. Semel tantum obſeruare licuit particulam *Vnde primum* fuiſſe vſurpatam in ſenſu communioti, vt extenditur ad omne principium in 5. met. tex. primo in deſcription e principij, dicente Philoſopho *Principium eſt primum vnde, aut eſt, aut fit, aut cognoſcitur*. Ex qua tamen annotatione animaduerto tùm definitionem, tùm nomen principij conuenire potiſsimum cauſę effectrici: definitionem quidem, quia particula *Vnde primum*, quę eſt definitiua principij, appoſita eſt in definitione ſolius efficientis; nomen verò, quoniam etſi omnis cauſa ſit principium, vt Ariſtoteles in 5. met. 1. ſcribit, tamen hæc vox *principiũ* in definitione ſolius efficientis expreſsè collocatur 2. phyſ. 29. ac in 5 met 2 & in 1. de gener. animal. c. 1

Num. 4. Quoniam autem duplex eſt agens, alterum principale, alterum inſtrumentale; & agens principale primò efficit, vel tranſmutat: inſtrumentale ſecundariò; idcirco hæc efficientis definitio ſoli efficienti principali congruit, quemadmodum Aphrodiſeus apud Simplicium 2. phyſ. coment. 23. & 24. aſſeruit, & ſequũtur, Simplic. Themiſt. Vicomerc. Piccolomin. in illum textum. Id quod bifariam probari poteſt. Primò ex eodem tex. 29. 2. phyſ. cum ſubdit. Philoſophus. *Et quæcunq; iam mouente aliquo intermedia fiunt ipſius finis: vt ſanitatis macies, aut purgatio, aut medicamenta, aut organa.* Igitur iam prę ſupponit aliquid mouens primum, vt medicum: deinde ponit poſt primum medicamenta, organa .i. inſtrumenta, & functiones eorum: igitur in deſcriptione efficientis non comprehenduntur, quę ſunt poſt primum ſiue ſimpliciter, ſiue in genere. Secũdo idipſum confirmatur per comparationem definitionis de efficiente, quã dedit in primo met. ſum. 2. cap. 1. Diuidit enim cauſas in quatuor, & ſingulas deſcribit, vt cauſas primas inquirat, hoc eſt, vt proprium metaphyſicæ munus adimpleat. Efficiens autem dicit eſſe. *Vnde principium motus*, & omiſit vocalem *Primum*, quia ſcilicet efficiens in communi comprehendit primum, & ſecundum, principale, ac inſtrumentale; quare illic eſt data definitio generalis, ſed in 5. met. 2. & in 2. phyſic. 29. data eſt ſpecialis, quæ de ſolo agente, principali eſſe videtur.

Deniq; circa definitionem efficientis animaduerto ex lib. 2. poſt 48. cauſas omnes in gratiam demonſtrationis exquiri: deſcribiq; efficientem cauſam eſſe, *quæ aliquid primum mouit*. In quem locũ eruditiſſimus Ludouicus Meda obſeruat rurſus, inſtrumenta non cõuenire ſub illa definitione, quoniam non primò mouent, ſed mota mouent: id quod authoribus Themiſtio,

stio, & Alexandro confirmat.

Num. 5. Posteaquam data est declaratio efficientis ex Philosopho, distinguẽda est vox efficere, & effectiuum. Gregor. Arimin. in 2. dist. 1. q. 1. vt est apud Zimaram in quęst. de triplici causalitate intelligentiæ, & post Gregorium Georgius Raguſ. disp. 7. cap. 2. atq; Piccolomineus 2. phyſ. in cap. de efficiente dicunt, quòd nomen efficientis, atq; ipſum, facere, ſi propriè ſumantur, competunt ſolicauſæ effectrici: ſi communiter, aut metaphoricè, cõpetunt omnibus cauſis. In cuius rei confirmationem potuiſſent adducere noſtram obſeruationem, quia ſcilicet eadem particula *Vnde primum*, & generaliter aptatur omni cauſæ, & ſpecialiter appropriatur ſoli effectiuæ. Dixerunt illi quidem, quòd efficere ſumatur cõmuniter ad omnes cauſas, at ex Ariſtotele non probarunt: & (quod magis deſideraſſem) nullam regulam dederunt, per quam liceret diſcernere, an Ariſtoteles vtatur vocabulo *efficere* propriè, an communiter. Cautè vtiq; vt liberiores eſſent ac vt poſſent ad libitum explicare pro opportunitate quemuis textum obiectum, nullaq; ratione tenerentur ad certam explicationem.

Num. 6. At ego conſidero Ariſtotelem in primo de gener. & corrup. tex. 55. applicauiſſe *effectiuum* propriè efficienti, effectiuum metaphoricè fini: alijs cauſis neutro modo. Textum produco. *Eſt enim effectiua cauſa, vt vnde principium motus: cuius autem gratia non effectiua; ideò ſanitas non eſt effectiua, niſi ſecundum translationem; etenim facientis cum inerit, generatur aliquid ipſum patiens: habitibus autẽ præſentibus, non amplius generatur, ſed eſt iam: formæ autem & fines quidam ſunt. Materia autem, ſecundum quod materia, paſſiuum.* Hic probat Ariſtoteles, quòd cauſa vnde motus eſt effectiua, & cauſa cuius gratia non eſt effectiua, forma non eſt effectiua, materia non eſt effectiua.

Probat primùm de fine, quia quando faciens eſt præſens paſſo, actio durat, & aliquid generatur: quando autem finis eſt præſens, nõ generatur aliquid, ſed iam eſt & actio ceſſat, igitur finis non eſt faciens, neq; cauſa effectiua.

Secundò probat de forma, quia forma eſt quidam finis; rectè quidem, nam vt oſtenditur in 2. phyſ. 23. forma eſt finis generationis, & materię. Id quod intelligere commodè potes in generatione & ſimpliciter, & ſecundum quid. Si ergo forma eſt generationis, & mutationis terminus, non eſt principium vnde motus, neq; efficiens.

Tertiò probat de materia. Materia, ſecundum quod materia, eſt paſsiuum: ſed efficiens eſt actiuũ, ergo materia non eſt efficiens. Idcircò eos, qui tribuebant ipſum efficere cauſæ materiali, cerripit in 2. de ortu, & inter. 53 inquiens. *Sed neq; hi rectè dicunt. Materiæ enim eſt pati, & moueri: mouere autem, & facere alterius potentiæ eſt*, nimirum potentiæ actiuæ. Igitur

cum

cum Ariſtotele habemus, quòd principium vnde motus eſt cauſa effectiua, nulla alia cauſa ſiue finis, ſiue forma, ſiue materia eſt cauſa effectiua, loquendo abſolutè, & ſimpliciter. Secundo excipit ab hac vniuerſali negatiua cauſam finalem, quia ſanitas non eſt effectiua, niſi ſecundum translationem, quæ Græcè metaphora dicitur. Optimũ fuiſſet, ſi ratio translationis declarata fuiſſet ab interpretibus, iuxta regulam 6. Topic. loco 9. *Omnes metaphora vtentes, ſecundum aliquã ſimilitudinem ea vtuntur.* Sed hoc aliàs.

Num. 7. Quamobrem ex Ariſtotele efficere propriè ſoli efficienti competit, efficere metaphoricè ſoli fini. Si autem plures cauſæ in vnam coincidãt, ſicuti materia, & efficiens coincidunt in actione immanente 9. met. 16. ſicuti forma, finis, & efficiens coincidunt 2. phyſ. 70. hoc eſt per accidens. Forma enim, vt forma eſt ratio ipſius quid erat eſſe, non autem efficiens. Quod Ariſtoteles diſtinxerat vocabulum *effectiui*, nonnulli imirantur in vocabulo motiui, vt aliquid moueat propriè, quod eſt efficientis, aliquid metaphoricè, quod eſt finis. Quod poſſet confirmari ex lib. de communi mot. cap. 6. & 7. phyſ. 9. vbi finis mouere dicitur.

Deniq; ex iſto eodem tex. 55. 1. de genet. & cor. conſpicio Philoſophum, nomen effectiui abſolutè dare principio vnde motus: fini negare, & non concedere, niſi cum addito, ſecundum translationem. Quamobrem ex hoc regulam elicio. Quando vocabulum effectiui, vel facientis ponitur ſine addito, accipiendum eſſe propriè, & hoc eſt in pluribus; metaphoricè autem non eſt intelligendum, niſi cũ addita declaratione. Tùm quia æquiuocatio in ſcientijs tradendis eſt vitanda: æquiuocatio autem eſt, vel ſimpliciter, & ſecundum quid accipere eandẽ vocẽ, vel propriè, ac translatiuè. Tùm quia dialectico interdictum eſt vti metaphoris in 6. topc. loc. 7. id, quod longè ſeueriùs prohibitum eſt demonſtratori in 2. poſter. 84. Quocirca in 2. meteor. ſum. 1. cap. 2. falsè excipitur Empedocles translatione vſus in declaranda cauſa ſalſedinis marinæ. *Translatio enim poeticũ eſt: quare ad poeſim eſt ſatis, ad philoſophiam non eſt ſatis.* Cauendum igitur nobis erit, ne eidem exponamus reprehenſioni Ariſtotelem, cui ſuppoſitus eſt Empedocles.

Hactenus declarata eſt æquiuocatio vocis effectiui, & quæ nam ſit cauſa efficiens, quę non: dataq; eſt regula accipiendi in textu ſignificationem propriam effectiui: ac deniq; dictum eſt, quæ ſint notæ efficientis in Ariſtotele *ſ. vnde motus*, & *primò mouens*: quæ ad prædicatum præſentis veſtigationis ſufficiant. Nunc pauca de ſubiecto.

Quodnam ſit primum Ens.
Caput. III.

IN entibus eſſe ordinem, eſt ferè per ſe notum, & ab Ariſtotele Num. 8.

tele affirmatum in 11. met.sum. 1.cap.3. & 12. met.cap.vlt.omnis autem ordo habet primum,medium,& vltimum:quare & in entibus est vnum primum ens,de quo 12.met.citato cap.in tex.52. *Ad vnum coordinata sunt omnia.*

Porrò ens distinguendum est per corporeum, & incorporeum, quia in primo met. sum.3. cap. 1. Philosophus non solum entia corporea,& eorum principia agnoscit, sed etiam incorporea:ac reprehendit veteres, qui neglexerunt incorporea.

Primum ens inter incorporea collocandum est:& si multa sint incorporea, primum incorporeum erit primum ens.

In 6.met.tex. 2. entium quædã ponit inseparabilia,& mobilia, de quibus naturalis: quædam immobilia, & non separabilia,de quibus mathematica: quædam separabilia, & immobilia, de quibus sapientia est. Primum quidem ens ex eodem capite,primumq; principiũ erit inter immobilia,& separabilia primum.

Num. 9. Quia verò ens diuiditur per substantiam,& accidens,accidens non potest esse primum entium, vt cõstat 7.met. primo & secundo.Substantia verò ab Aristotele in 12. met.tex. 5. & 29.tres in partes diuisa est. Prima est substantia sensibilis icorruptibilis,vt cęlũ:secũda sensibilis corruptibilis,vt subcęlestia: tertia substantia immobilis, & sensum fugiens. Duæ priores naturalis philosophiæ sunt, quia sunt cum motu, & materia: tertia est primæ philosophiæ,quia est substantia immobilis, & intellectilis.

Primum verò ens collocandum est inter substantias immobiles, tanquam primum immobilium,& primum intelligibilium; vnde & erit ens impartibile, siquidem est incorporeum; erit immateriale, quia separatum; erit intellectuale, quia immateriale: erit diuinum, imò primum, ac summum diuinorum,quia per 6.met.2. & 11.met. sum. 3. cap. 1. si diuinitas existit, maximè in ipsis separabilibus, ac immobilibus existit.Clarescit,hanc vestigationem esse totam metaphysicam, tùm quia prima philosophia,quæ est de ente,maximè, & propriè, & primò est de primo ente, 4. met. 1. & secundo. Tùm quia prima philosophia,quæ est de primis causis, est etiam de prima causa efficiente,quam sumus indagaturi.Igitur & subiectum,& prædicatum proposita,sũt ex metaph.

Num. 10. Illud interea noto, quoniam ponimus multas substantias immobiles, multaq; entia incorporea; si probatum fuerit, quòd omne ens incorporeum, aut immobile sit efficiens, multò magis id probatum erit de primo, per dictum de omni,primo priorum cap. 1.& primo poster. 29. Si etiam probetur de aliquo incorporeo, ac immobili,quòd ipsi competat ratio effectiui, aut efficere, probabile videtur idipsum per locum à minori,de primo eorum asserendum. Sed istud non est absq; controuersia.

Explicatis pro tempore, subiecto, ac prædicato vestigationis propositæ,

poſitę ſupereſt, vt iam veſtigare incipiamus Ariſtotelis mentem.

Partiar opus in tres claſſes, prima erit authoritatum ex ſcientia naturali, ſecunda ex diuina, tertia rationum ſuper principijs Ariſtotelicis erectarum. Neq; me pigebit ab alijs iam notata accipere, ſed hoc indicabo, reliqua per me obſeruata mixtim proponam.

Fieri autem poteſt, vt hæc eadē, quæ à me afferentur ad propoſitam veſtigationem, etiam ab alijs ſint ad idem allata (nihil dictum, quod non ſit dictum prius) nihilominus fateor, id mihi non eſſe perſpectum. Incipiamus ex ſcientia naturali.

Ex Phyſ. Caput IV.

Num. 11. PRincipiò prodeat ex 2. phyſic. textus 73. iam ab alijs quoq; adhibitus ad probandum, quòd ens ſeparatum, & incorporeum ſit efficiens. Tractat illic Ariſtoteles, ex quibus cauſis phyſicus debeat reddere propter quid, atq; in tex. 72. docet, reddendum eſſe per materiam, & per formam: deinde in poſteriore parte textus 72. & in toto tex. 73. loquitur de cauſa efficiente reddenda: in principio textus 74. de fine aſſignando agit, conſtatq; in phyſicis demonſtrationem propter quid per omnes cauſas aſſignari poſſe, ac debere. Quapropter textus 73. nulla ratione poteſt exponi de finali efficientia, & metaphorica, quia diſtinctio cauſæ à cauſa facit, vt de ſingulis dictum, de ſingulis propriè intelligatur. Neq; dignum erat ludere metaphoris in tradendis regulis de demonſtratione propter quid.

Itaq; de efficiente ſcribit Ariſtoteles. *Duplicia ſunt principia mouentia phyſicè, quorum alterum nō phyſicum eſt: non enim habet motus principium in ſe ipſo; tale autem eſt, ſi aliquid mouet, quod non mouetur, vt id, quod penitùs eſt immobile, & quod omnium primum eſt.* Contēplemur in hoc textu & cōmune diuiſum, & ſpecialia diuidentia. Cōmune diuiſum eſt *Mouens phyſicè*, ſpecialia diuidentia ſunt, alterum phyſicum, alterum non phyſicum:

Si percontemur, quid ſit mouēs phyſicè non phyſicum? Reſpondet, illud eſt, quod mouet (nimirum phyſicè,) & non mouetur, neq; habet in ſe principium motus, prout apparet per textum 71. eiuſdem libri. Quid eſt mouens phyſicè phyſicum? Reſpondebit, quod mouet phyſicè, & mouetur, habetq; in ſe principium motus. Si deniq; interroges, quodnā eſt iſtud mouens phyſicè non phyſicum, quod ſcilicet mouet, nec mouetur? Reſpondet, *quod omnium primum eſt*. Siue intelligas primum ens omnium entium, nam illud primū omnium eſt, & eſt penitus immobile: ſiue intelligas primum omnium mouentium, certiſſimè vides, ipſum primum non eſſe phyſicum, cum ſit penitus immobile: idem tamen primum vides eſſe mouens phyſicè .i. propriè, effectiuè, non metaphoricè, & finaliter.

Ex hoc textu ſic arguo. Idem commune prædicatum *Mouentis phyſicè* tribuitur vtriq; mouenti phyſico,

physico,& non physico: nam & cõmune diuisum stat cum vtroq; mẽbro diuisionis. Sed mouere physicè in mouente physico non licet vel fingere esse dictum finaliter,ac translatiuè,ergo mouere physicè etiam eadem voce, ac significatione est dictum propriè,non translatiuè, efficienter,non finaliter in mouente non physico:

Confirmatur,quoniam æquiuoca vox nõ numeratur,vt canis, neq; enim dices rectè tres canes,vel triplices canes,de cœlesti,marino, terrestri; sed dices, canem dici tripliciter, vel tria significata habere. Atqui Aristoteles ait, duplicia sunt mouentia physicè, numerans mouentia physicè,ergo vox, seu phrasis,mouentia physicè non est æquiuoca. Sed in mouente physico; & physicè, mouere physicè præcisè significat mouere effectiuè, & propriè,igitur eadem voce, & significatione in mouente non physico, sed physicè significat mouere effectiuè,ac propriè. Iam verò mouens non physicum non est corporeum, non mobile,non materiale,sed separatù,ergo primũ incorporeũ,immobile imateriale est mouẽs physicè.

Num. 12. Antonius Scaynus in 12. met. cap. 10. occurrit ad hanc authoritatem,& alias quasdam infra ex Aristotele proferendas,dicens: nullibi statui ab Aristotele quonam modo primum mouens moueat, nisi in 12. met. cap. 7. dum docui: , quòd mouet,vt amatum,& desideratum, & ita sub ratione causæ finalis. Vnde si mouet, vt efficiens, eatenus est efficiens,quatenus efficit,vt omnia moueãtur,scilicet per modũ amati: nec potest dici,quomodo Deus sit efficiens causa,nisi sub ratione finis optimi,& desiderati.

Hęc responsio prętium indicit Aristoteli. Aristoteles quippè dixit, quòd primum mouens immobile mouet *Physicè*, nempè &, effectiuè,& propriè.

Scaynus negat, quòd Deus, seu primum mouens moueat effectiuè, & physicè. Nam finaliter causare est efficere per translationem, non physicè.

Secundò,Scaynus repentè facit nobis Aristotelem ex demonstratore sophistã:quia tradentẽ præcepta de demonstratione propter quid per causam effectricem, Scaynus exponit de finali.

Tertiò, Locutiones illæ, *Si mouet vt efficiens, eatenus efficit, quatenus efficit per modum amati;* nonnè plenæ sunt æquiuocatione, & abusu vocis? cum enim vox efficere,& effectiuè absolutè proferatur, intelligenda est de principio vnde motus, vt supra diximus, & fini non competit. Scaynus, reluctante Aristotele,fini vt fini dat efficere.

Quartò,dato quòd nullibi Aristoteles declarasset modum,quo primum mouens mouet efficienter, non propterea negandum est,quod expressè docuit,scilicet quòd mouet physicè. At causare in genere finis, sicut est causa finalis appropriatur metaphysicæ ex primo diuinorum sum. 1. cap. 2.

Quintò. Si efficere duobus modis dicitur,& physicè, & metaphoricè: Aristoteles modum docuit, pri-

primum mouens non physicum, mouet *physicè*. *Mouere* est actus, *physicè* est modus ipsius actionis. Nam & aduerbium est modus verbi.

Num. 13. Sextò Scaynus falsò dicit, Aristotelem nullibi docuisse, quomodo primum mouens moueat. Duos textus tanquam duos testes contra Scaynum affero. Alter est in 3. physi. 8. propositis nanq; duabus opinionibus, prima, quòd omne mouens physicè, etiam moueatur: secunda, quòd non omne: promittit *ex alijs fore manifestum, quomodo se habent; est enim quoddam mouens, & immobile.* Duplex est modus mouentis (neq; enim incongruit eiusdem rei multos esse modos) alter mobilitas, alter immobilitas; promittit modum fore manifestum, & probat, quia datur mouens immmobile, scilicet quia in 8. physicorum hoc probabitur, & patebit, quòd mouens aliquod mouet isto modo. Alter textus est in libro de communi motione cap. 6. *Nam de primo*, inquit, *quidem, & perpetuo mobili, quonam moueatur modo; quouè pacto moueat primum mouens, in primis philosophiæ commentarijs determinatum est prius*. Ergo Aristoteles prius determinauit, & quomodo mouetur primum mobile, & quomodo mouet primum mouens, nempè in 8. de physico auditu. Quia etenim philosophia naturalis ordine doctrinæ est prior, philosophia diuina posterior, vnde & post naturalis appellatur vocabulo Metaphysica, in primis philosophiæ naturalis, quales sunt 8. de physico auditu, prius hoc esse dictum asseuerat, non posterius in prima philosophia. Aut igitur nos Aristoteles fallit, aut non tantũ in 12. metaph. explicat modum, quo moueat primum mouens. Cęterum de modo, quo primum ens mouet, suo loco; sat est 8. phys. tex. 53. *Immobile enim eodem, & vno motu semper mouebit Eodë Modo, tanquam nihil ipsũ mutetur ad id, quod mouetur*. Infra. *Immobile autem, vt dictum est, tanquam simpliciter, & Eodë Modo, & in eodem permanens, secundum vnum, & simplicem mouebit motum*. De hoc modo mouendi, qui est immobilitas, & vniformitas, crebrò in 8. illo physicorum fit memoria ergo rem, & modum tradidit Aristoteles. Ad principale.

Alter locus a Simplicio consideratus, est in eodem libro 2 physicorum tex. 67. Cum enim causæ per accidens, vt casus & fortuna, reducantur ad causas effectrices per se, vt naturam, & intellectum: inuehitur in quosdam veteres relatos antea in tex. 43. & 44. qui dixerant, cęlum à casu fieri: inuehitur, inquam tali argũmento Philosophus. *Posterior itaq; casus est, atq; fortuna, & intellectu, & natura: quare si quàm maximè cæli causa est casus, necesse est prius intellectum, & naturam esse, & aliorum, multorum, & huius vniuersi causam*. Idem in 11. met. sum. 3. cap. vlt. *Cum autem nihil secundum accidens prius sit his, quæ secundum se sunt, nec igitur causæ. Si itaq; fortuna, aut casus cæli causa est, prior mens*

Num. 14.

& naturæ causa est. Quæ de alio, quàm de primo intellectu, dici non possunt.

Respondebunt facilè Aduersarij, hæc ab Aristotele scripta conditionatè, non absolutè. Conditionatè inquam, si cœlum est factum à causis per accidens, ex hypothesi veterum; non absolutè, & ex propria sententia asseritur, cœlum esse factum à mente, vel natura.

Quanquam conditionalis vocula *si* vbiq; sit nota conditionis, non vbiq; est nota dubiæ affirmationis, sed pleruncquè est nota certissimæ illationis, & assertionis; vt in primo posset. 9. *Si itaq; est ipsũ scire, quale posuimus, necesse est & demonstratiuam scientiam ex veris esse*. Atq; tex. 44. *Si igitur est scientia demonstratiua ex necessarijs*, & in primo de anima. 12. *Si autem est & hoc imaginatio quædam, aut non sine imaginatione, non contingeret* (sic enim legendum) *hoc sine corpore esse. Si igitur est aliqua animæ operatio, aut passionum propria, cõtinget vtiq; ipsam separari; si uerò nulla est propria ipsius, non vtiq; esset* (ita legito) *separabilis*. Quamobrem & in prædictis locis ex 2. naturalium, & 11. supranaturalium, conditio esse nota illationis, non dubitationis dici potest.

Num. 15. Tamen bifariam resisti potest huic responso, primò indirectè postulando, vt ostendatur in Aristotele ab Aduersarijs hæc negatiua resoluta, quam proferunt, cœlum non esse factum à natura, aut à mente. Secundo directè, idq; dupliciter.

Primùm, quoniam omne efficiens per se est natura, vel intellectus, seu mens: efficiens per accidẽs est casus, vel fortuna ex 2. phys. 66, & antea tex. 49. ac sequentibus. Si igitur efficiens per se est commune; & natura, atq; intellectus sunt inferiora, quasi species per se contẽtæ sub cõmuni; cõmune est quippe diuisũ diuidentibus, igitur efficiẽs inest ũni naturę, & intellectui: rursus intellectus inest primo. enti, qui etiam est primus intellectus, ergo in tertio modo figuræ primæ, efficiens per se inest primo. enti.

Secundùm, quia primum ens non est propter aliquid, omnia alia sunt propter primũ, ex 12. met. ſ 2. Idem etenim sunt primum ens, & primum bonum. Primum, quod non est propter aliquid, nec etiam est ab aliquo efficiente per se, siue natura, siue intellectu ordinatum ad finem, propter quem sit: ergo quod est propter aliquid, videtur esse ab aliquo efficiente siue natura, siue intellectu ordinatum ad finem, propter quem; Nam & in 2. phys. 49. scribitur. *Sunt autem propter aliquid, & quæcunq; ab intellectu vtiq; aguntur, & quæcunq; à natura*. Atquì omnia alia sunt propter primum, ergo ab intellectu, vel natura sunt facta.

Confirmatur, quia esse propter alterum, & esse ab altero efficiente, vel sunt conuertibilia, vel magis commune est esse propter alterum, vel magis commune est esse ab altero. Si primum detur, cum omnia alia entia diuersa à primo sint propter primum, ceu ducem exercitus, Num. 16.

citus,ordiniſq; vniuerſi 12.met.52 omnia alia, etiam cęli,ſunt facta, & certè non,niſi à priore omnibus, quia efficiens eſt prius facto,ex lib. de communi motione cap. 5. *Si magis commune eſt eſſe propter alterum, ergo omne factum eſſet propter alterum, quod eſt abſurdum:quia caſualia, & fortuita ſunt in ijs,quæ propter aliquid,ſed non ſunt,aut fiunt propter aliquid.* Hoc eſt, materialiter ſunt propter aliquid, & in potentia: actu, & formaliter non ſunt, niſi fiant ex per ſe intentione agentis. Cum autem ex 12. met. 52. ſicut in domo,liberorum vel omnia, vel plurima ſunt ordinata ad finem: mancipiorum, aut beſtiarum pauciora, idq; fit, quia cuiuſq; eorum principium tale natura eſt. Sequitur, vt ſola naturalis inclinatio, vel eſſentia cuiuſq; non ſatis ſit, vt hæc dicantur ordinata ad finem, ſed requiritur efficiens ordinans: atqui ad finem vltimum coordinata ſunt omnia,igitur omnia ab efficiente aliquo ordinantur. Præterea. Quando aliqua duo comparantur, vt magis commune,& minus commune,ſub magis communi continetur nedum illud minus commune, ſed etiam aliquod aliud, diſparatum ab illo minus communi; ita vt duo minus cómunia ſint ſub eodem magis communi contenta. Nunc autem eſſe propter alterum ex hypotheſi eſt magis commune, eſſe factum eſt minus commune;ergo ſub ente propter alterum, continentur ens factum, & ens non factum. Quapropter ens non factum eſt minus cómune,quàm ens propter alterũ. De quocunq; autem prædicatur minus commune de eodem prædicatur magis commune; ergo de quocunq; prædicatur ens non factũ, de eodem prędicatur eſſe propter alterum. Atqui primum ens eſt non factum; ergo eſt propter alterum.quod eſt abſurdiſſimum. Reſtat, vt eſſe propter alterum, vel ſit minus commune, quàm eſſe ab altero, vel ſit adæquatum. Et profectò eſſe per ſe ad finem, & eſſe à per ſe efficiente conuertũtur,ſicuti & eſſe ad finem conuertitur cum eſſe ab efficiente per ea, quæ probata ſunt. Hinc fortaſſe eluceſcet ex Ariſtotelis principijs, ne dum cęlum dici factum ex hypotheſi, ſed abſolutè,cum abſolutè ſit propter alterum.

Afferuntur alia loca ex phyſicis. Caput. V.

Num. 17.

AScribo rextũ 8.lib.3.phyſ.qui præcisè eſt de actiuo,& paſſiuo. *Quoniã,quædam eadem & potentia,& actu ſunt, at non ſimul,aut non ſecundum idem, ſed vt calidum quidem potentia, frigidum autẽ actu, multa iam agent,& patientur à ſe inuicem, omne enim erit ſimul actiuum, & paſſiuum:quare & mouens phyſicè mobile eſt, omne enim huiuſmodi mouet,cum & ipſum mouetur. Videtur igitur quibuſdam, omne, quod mouet, moueri; ſed de ijs quidem ex alijs erit manifeſtum,quomodo ſe habent; eſt enim quoddam mouens, & immobile.* Textus in duas partes ſecatur,in prima ex prĩ-

cipio particulari, quædam eadem ſunt actu, & potentia, colligit: ergo multa agent, & patientur à ſe inuicem. Hinc aſcendit ad vniuerſalem propoſitionem, omne erit actiuum, ſcilicet ratione actus, & paſſiuum ratione potentiæ, quare omne mouẽs phyſicè mobile eſt. Cæterum collectio ex propoſitionibus particularibus eſt imbecilla, & ſi vniuerſaliter ſumatur illa propoſitio, *omnia eadem ſunt in potentia, & actu*, ergo omnia *ſunt actiua, & paſſiua*, falſa eſt illa propoſitio; datur enim aliquid, quod eſt purus actus 12. met. 49. atq; ideò quod tale eſt, agere, & mouere poterit: pati, vel moueri non poterit. Idcircò in ſecunda parte oſtendit hanc opinionem, quòd omne mouens (ſcilicet phyſicè, de quo ſupra) moueatur, eſſe alienam. *Videtur quibuſdam, omne quod mouet, moueri.* Deindè innuit opinionẽ propriam, quòd aliquod mouens eſt immobile. Ex quo loco ſi priora cum poſterioribus conſentiant, ex actu colligit actiuum & agere, atq; mouere: ex potentia paſſiuum, pati, moueri. Certè mouens immobile dicetur, quod eſt actu, & actiuum, & agens, & mouens vt actiuum. Nam de fine tractare non eſt ad propoſitum. Quorum autem ſit opinio prædicta infra dicã proferens loca ex primo de anima.

ad Nũ. 38.

Num. 18. In eodem 3. phyſicorum locus illuſtris eſt à textu 19. ad 22. cum enim tex. 18. ſtatuiſſet motum nõ recipi in mouente, ſed in moto, dubitationem contra proponit, quia motus eſt actus actiui, ideſt actio, & actus paſſiui, ideſt paſſio, & tamen actus actiui, & actus paſſiui ſunt motus; poſtulat ergo, an actio, & paſſio ſint diuerſi actus, an ſint idem actus. Si ſunt diuerſi actus, in quo ſubiecto ſunt recepti? duoq; membra conſtituit, vnum, vt actio, & paſſio ſint in patiente mobili; alterum, vt actio ſit in agente recepta, paſſio in patiente; & impugnans hoc ſecundum, quòd actio ſit in agente, ait. *At verò, ſi hoc eſt, motus in mouente erit; eadem enim eſt ratio in mouente, & moto; quare aut omne mouens mouebitur, aut habens motum non mouebitur.* Atq; hoc membrum dubitationis tanquam legitimum concedit, vt ſcilicet mouens actiuè non recipiat motum actionem, nam ſi eam reciperet, alterum dandum eſt, vel quòd agens habens motum, qui eſt actio, formaliter non mouetur, quod eſt abſurdum: vel quòd omne mouens moueatur, quod etiam eſt Ariſtoteli abſurdum. Reſtat igitur, vt motus actio, & paſſio ſint in patiente, neutra earum ſit in agente recepta; quæ autem profert ad probandum, quod actio, & paſſio non ſint in patiente, & moto, accuratè ſoluit, ſicuti exponentes illum textum diximus, non ſunt autem nunc opportuna.

Si etiam dicantur actio, & paſſio eſſe vnus actus, arguit, quia irrationabile eſt, vt duorum ſpecie diuerſorum ſit vnus, ac idem actus; ſed ſi actio, & paſſio ſunt idem actus, iam idem actus erit & agentis, & patientis; agens nanq; & patiens ſunt ſpecie diuerſa: inconue-

niens

niens autem videtur, vt idem actus sit vtriusq; agentis, & patientis, quia, *si disciplina, & doctio idem sunt; passioq; & actio: & docere idē quod discere: & agere, quod pati. Quare omnem docentē discere necesse est, & agentem pati.* Vbi rursus ad hāc sacram anchoram confugit, quòd absurdum sit, si dicas, omnem agentem pati; omnem mouentem moueri. Hæc in dubitatione dicta, sed in resolutione non reiecta, imò virtute huius absurdi vitandi concessum est ab Aristotele, actionem, & passionem esse in passo, & omnino motum esse in moto. Item concessum est, quòd idem motus re, ratione tamen differens, est actio, & passio. Quæ cum expressè, & præcisè conscripta sint de agēte, & actione principij actiui scilicet efficientis, non video, quomodo declinari possint à vero Aristotelis sequace. Neq; hoc loco solùm Philosophus refudit motum omnino in mobile, ne motiuum omne poneret moueri, sed multis locis, quos referemus ex 1. & 2. de anima, atq; ex metaphysicis. Nunc non cito, ne ordinem præscriptum euertam.

Num. 19. Ex 4. phys. locum non ōmittam, quanquam illum alibi copiosè declarauerim, ne hæc disputatio quicquam desideret; & vt liber sit lector in statuendo, etiam si aliud meum scriptum non *ederetur.*

Igitur in 4. phys. 21. docens Philosophus modos, quibus vna res *est in* alia, scribit. *Amplius vt in Rege Græcorum res, & omnino in primo mouente. Amplius, vt in ipso bono, & omnino in ipso fine; hoc autem est id, cuius causa.* Igitur omnes res, quæ reguntur, & gubernantur sunt in Rege, seu Principe, vt in efficiente, seu mouente primo, contra distincto à fine. Coincidunt quidē in Rege, vt sit & principium efficiens, & principium finale: tamen euidentissimè Rex dicitur esse principium mouens, & res gubernatæ in Rege, vt in mouente, non vt in fine. Adde minorem ex 12. diuinorum vltimo tex. *At entia noluut malè gubernari; non est bonum pluralitas principatuum: vnus ergo Princeps.* Ergo entia gubernata, sunt in principe entium, tanquam in primo mouente, & efficiente. Qui locus ex lib. dogmatico confirmat locum ex lib. exoterico hoc est 7. ad Eudem cap. 14. car. 369. Vbi Aristoteles, quærit, vnde in anima proueniant primæ cogitationes, & cōsultationes; & si à fortuna, cuiusmodi facultate prædita est, vt sit principium cogitatiuum, consultatiuumq; atq; subdit. *Quod perinde est, ac si principium motus in anima quid sit, inquiratur. Patet autem sic esse, quemadmodum in vniuerso est Deus, & vicissim cuncta in illo: mouentur enim omnia ab inexistente in nobis numine. Rationis autem non ratio, sed præstantius quiddam est principium. Quid autem scientia præstantius est, nisi Deus?* Igitur Deus est principium vnde motus bonarum, prosperarumq; cogitationum in nobis: est principiū vnde motus, in quo omnia, & quod in omnibus, vt efficiens in factis, & è conuerso.

Ex

Ex Octauo phyſic. Caput. VI.

Num. 20.

AD Octauũ phyſicorum tranſcendo, in quo de primo mouente phyſicè agitur. Cauſarum quatuor ſunt modi, ſed cauſarum externarum ſunt duo modi, modus efficientis, & modus finis, de quibus modis 2. phyſic. 30. 31. & 5. met. 2. & 3. In 8. phyſ. ne verbũ quidem eſt ſuſpicionem adducens de modo finali, omnia ſunt de modo efficientis, quod eſt principium motus primum. De primo motore quidem oſtenditur, quòd eſt immobile per ſe, & per accidẽs, quòd eſt ſempiternum, inparũbile, incorporeum, hoc eſt neq; in magnitudine, neque magnitudinem habens, quia eſt potentiæ infinitæ. Igitur aliquod immobile, & incorporeum ens eſt primum mouens effectiuè.

Verùm ne dixiſſe videar, non probauiſſe; ex plurimis tria ſeligo loca, vt ea, quæ virtute ſunt in textu, exeant in actum pro concluſione optata. Neq; enim ſufficit proferre textum, niſi clariſſimus ſit, nam & clariſſimos obſcurant nonnulli, ne ipſi textus dicant, quod dicunt. Sed pro viribus res eruenda eſt in actum ex textibus allatis.

Igitur in tex. 36. & 38. oſtendit Ariſtoteles iſtam concluſionem.

Non eſt neceſſarium, vt quod actiuè mouet, paſſiuè etiam moueatur.

Ad eam probandam diſtinguit tria, Mouens, quo mouet, atq; mobile. Quorum textu 35. dederat inductionem, vt hominem primi, baculum ſecundi, ſphæram tertij. Homo mouet, non mouetur: baculus eſt, quo mouet, atq. ipſe mouet, ac mouetur: ſphæra lapidea mouetur, non mouet. Tunc interrogat, ſi omne mouens etiam mouetur, aut moueri ei competit per accidens, aut per ſe. Per ſe quidem eſt, quando ipſum moueri paſſiuè neceſſariò requiritur per tex. 38. veluti cauſa, ſic namq; moueri paſſiuè in baculo eſt cauſa ipſius mouere actiuè. Per accidens, quando mouens mouetur vtiq;, at moueri non eſt cauſa, propter quam mouet.

Iam verò ſi mouens mouetur, ſed mouetur per accidens: quod autem ineſt per accidens, non ineſt neceſſariò, ergo mouens poteſt non moueri, & eſſe non motum. Quod repetitur in tex. 41. & 42.

Si mouens mouetur, ſed moueatur per ſe, aut mouetur eadem ſpecie motus cum illa, qua mouet, vti ſi proijciens etiam proijciatur: aut diuerſa ſpecie, vti ſi alterans augeatur. Si primum dixeris, nempè quòd mouens per ſe mouetur ſecundum eandem ſpeciem motus, ergo docens geometriam docetur geometriam, proijciens proijcitur, ſanans ſanatur, ædificans ædificatur: quod eſt impoſſibile. Si ſecundum dederis, videlicèt, quod mouens ſecundum vnam ſpeciem motus, per ſe mouetur ſecundum alteram, vt quod fert, augetur: quod auget, alteratur, quod alterat, fertur, ergo à primo ad *vltimum*,

quod

quod fert fertur, quod augetur auget, nam primum mouens mouet etiam omnia inferiora, & magis. Id verò figmentum eſt, ergo mouens neq; per ſe, neq; per accidens habet, vt neceſſariò, moueatur.

Num. 21. Addit Ariſtoteles tex. 38. ſi dicas quòd mouens etiam mouetur. *Amplius autem his magis irrationabile eſt, quòd accidit, omne motiuum eſſe mobile; ſi omne, quod mouet, ab eo, quod mouetur, moueatur; erit enim mobile, vt ſi aliquis dicat, quod omne ſanatiuũ, & ſanans, eſt ſanabile, & ædificatiuũ ædificabile, aut ſtatim, aut per plura.* Vbi conſtat, Ariſtotelẽ nõ tàm probare, quòd aliquod ſit mouens non mobile, quam afferre tãquam abſurdum, ſi non concedatur aliquid eſſe motiuum immobile.

Hæc eſt ratio, & authoritas Ariſtotelis. In ea fit inductio præciſè in genere cauſæ efficientis, vti ſunt ædificans, ſanans, ferens, alterans, augens, docens. Si colligat propoſitiones, & concluſiones de efficiẽte, quod mouet effectiuè, nec mouetur, probè procedit. Si de fine colligat, captiosè infert, non tanquã Philoſophus, ſed tanquam ſophiſta. Nam in præmiſſis nihil prorſus eſt de fine: ſi concluſio inferatur de fine; vtiq; Ariſtoteles collegit in concluſione, quod non eſt ſeminatum in præmiſſis; eritq; ſyllogiſmus in quatuor terminis.

Num. 22. Secundus locus eſt in tex. 37. Tria prædicta ſumit, quod mouetur, quod mouet, quo mouet. De mobili vltimo conſtat, quòd mouetur, non neceſſariò mouet. De inſtrumento medio apparet, quòd mouetur à primo, & mouet vltimũ, ergo primum mouet, & non neceſſariò mouetur. Textus habet. *Quoniam autem videmus vltimum, quod moueri quidem poteſt, motionis autẽ principium non habet: & quod mouetur quidem* (ſcilicet habet) *ab alio autem, ſed non à ſe ipſo; rationabile eſt* (vt ne neceſſarium dicamus) *& tertium eſſe, quod mouet quidem, cũ ſit immobile. Quapropter, & Anaxagoras rectè dicit, Mentem impaſſibilem inquiens, & immiſtam eſſe; quoniam motus principium ipſam facit eſſe. Sic enim vtiq; ſolum mouebit, cum ſit immobilis, & vincet cum ſit immiſtus.* In iſta philoſophi authoritate apparet Anaxagoræ ſententia approbata, quo ad iſtas propoſitiones. Mens eſt impaſſibilis, & immiſta: Mens eſt principiũ motus. Reddit rationem Ariſtoteles, *Sic* nota, vt vertit Vicomercatus *Hoc modo*: etenim ſolùm mouebit, cum ſit immobilis. Igitur Mens immiſta, & ſeparata, & immobilis, quia eſt immobilis, ideò eſt principium motus: ergo tãtũ abeſt, vt immobilitas mentis primæ incorporeæ impediat rationem efficientis (idem enim eſt efficiens, & principium motus): vt ipſa immobilitas ſola ſit cauſa, propter quam mouet effectiuè. Nam quòd Mens ſit ſecundum Anaxagoram principium vnde motus, ſeu effectiuum, nemo dubitat, qui in Ariſtotele ſit, vel leuiter verſatus. Legatur primo met. ſum. 2. cap. 2. & 12. met. 55. quod & nos infra dicemus.

Item

Item, in ratione philosophi constat, cum tria ponantur, quod mouet, quo mouet, & quod mouetur. Hoc tertium, quod mouetur, tantũ moueri efficienter. Medium instrumentum *quo mouet* ipsum & mouere effectiuè, & moueri effectiuè ab agente principali. Si quidem causa instrumẽtalis ad causã principalem effectricẽ reducitur; & certè motus passiuus instrumenti est ab efficiente, & agente propriè, ac precisè. finem verò mouere instrumenta, inopinabile est. Itaq; primũ mouens immobile, & efficiens principale mouet effectiuè instrumentũ medium, & magis mouet tertium, quàm instrumentum possit mouere illud tertium. Primum enim magis mouet, vt antea dicebamus, ex 8 phys. 33. 38 & 41. Hic locus de prima mente, & primo mouente efficientibus impugnari potest, expugnari non potest. Prima mens, est primum ens, ergo primum ens est primum mouens, idest efficiens.

Num. 23. Tertius Locus ex 8. phys. 46. promitur. *Quod autem necessarium est esse aliquid, quòd semper immobile quidem ipsum sit, omni extranea mutatione, & simpliciter, & secundum accidens: Motiuum autem alterius manifestum est considerantibus sic.* Hic Aristoteles duas habet propositas intentiones, alteram de sempiternitate, alteram de immobilitate primi mouentis. Immobilitatem omnimodam concludit initio textus 52. quia motiuum immobile per se, sed mobile per accidens non potest esse principium continui, & incessabilis motus, ideò datur motiuũ immobile, & per se & per accidẽs. Verba textus 52. sunt. *Ex quibus credere licet, quòd si quid est immobilium quidem, mouentium autem, & ipsorum, quæ mouentur secundum accidens, impossibile est continuo motu mouere. Quare si necesse est quidem continuum motum esse, esse quid oportet primum, mouens immobile, & non secundum accidens.*

Distinguit Aristoteles ipsum Motiuum immobile, quia est immobile per se tantùm, sed mobile per accidens, aut immobile & per se, & per accidẽs. Immobile per se non per accidens est, vt anima mouens animatum corpus. Immobile per se, & per accidens est primũ mouens. Quæro, an intelligat motiuum effectiuè, an finaliter, an communiter ad vtrunq;. Si communiter, iam æquiuocatio est in demonstratione, quod Peripatetico dicere nefas est. Si effectiuè, igitur primum mouens effectiuè est ens immobile & per se, & per accidens. Quare est incorporeum, & separatum, quale est primum ens. Si finaliter, tota ratio tex. 51. de anima, quæ immobilis mouet animalia, vana est. Sed & illa duo inconuenientia sequuntur, primum, quòd in 8 phys. de primo fine fit sermo, cuius tractatio soli primæ philosophiæ vendicatur primo met. sum. prima cap. 2. & 3 met. 3. secundum, quòd vocabulum mouere, vel motiuum æquiuocè extendunt ad causam finalem, quam rem ne semel quidem ab Aristotele factam in 8. physico ostendunt. Sed ita dicunt

accipi,

Num. 24. accipi, quia illis ita placet.

Redeamus ad textum 46. qui eſt de ſempiternitate mouentis immobilis Quia multa ſunt mouentia immobilia: duo de ijs profert Philoſophus, Primũ, Non omnia motiua immobiila eſſe ęterna, id enim non eſt ad rem; ſub illis verbis. *Vnum quodq; immobilium quidem, mouentium autem, perpetuum eſſe, nihil ad præſentem ſermonem.* Secundum, Non omnia mouentia immobilia incipere, vel deſinere eſſe, ideſt, eſſe tẽporanea, ſic inquiens. *Principiorum immobilium quidem, motiuorum autem, quædam aliquando q uidem eſſe, aliquando autem non eſſe, contingat & hoc: ſed nequaquam omnia quidem poſſibile eſt.* De quibus motiuis loquitur? de finalibus? non vtique, ſed de effectiuis: quia inter mouentia immobilia collocat animas mortalium, que loco mouent, neq; mouentur: quarũ animarũ aliquæ quãdoq; sunt, quãdoq; non ſunt. Sed anima eſt principium motus immobile, prĩcipium, inquam, effectiuũ. Igitur ex motoribus immobilibus effectiuis, quædam temporaria ſunt, ſed non omnia, nam eſt vnum æternũ. *Nequaquã õnia.* i. quãdoq; sũt, quandoque non ſunt. Rurſus diſtinguit *mouentia ſe*, quia vel ſunt generationi, & corruptioni ſubiecta, vel ſunt ſemper.

Ex qua conſideratione patet, quòd Ariſt. loquitur ſolum de primis mouentibus; nam per textum 44. duplex eſt primò mouens, vnum immobile: alterum mobile à ſeipſo, ſiue mouens ſeipſũ, quod ſæpius notatur in 8. phyſ. Hæc mouentia ſubdiſtinguit, nam mouens immobile, aut ſemper eſt, aut quandoq; eſt, quandoq; non: ſimiliter mouens ſe, quandoq; eſt quãdoq; non, aut ſemper eſt. Cum autem ſit in mouentibus ſe temporaneis, & in immobilibus temporaneis generatio, & corruptio, vel primò, vt compoſitorum, vel ſecundariò, vt animarum: generationis, & corruptionis perpetuæ, quæ eſt prima cauſa? nam cum hic ſit difformitas vniformis. i. cõtinuata ſucceſſio primorum mouentium, tùm mobilium, tùm immobilium, Ariſt. ponit quatuor aſſertiones.

Prima. Mouentia ſe non ſunt cauſa ſucceſſionis continuæ in generatione, & corruptione. Num. 25. 2. Mouentia immobilia nõ ſempiterna, non ſunt cauſa eiuſdem ſucceſſionis continuę, ſed aliquid extra totam illam multitudinem: non enim vnum eorum, quia quando illud vnum non eſt, non poteſt eſſe causa: neque tota multitudo ſuccedens, quia & eſt infinita, & non ſimul: Sed per ſe cauſa eſt in numero finito, & ſimul cum toto effectu; igitur aliquod ſempiternũ vniforme eſt cauſa ſempiternæ difformitatis. 3. Mouens ſe ſempiternum non eſt cauſa prima cõtinuæ ſucceſſionis. 4 Reſtat, vt primum mouens immobile ſempiternum ſit cauſa.

Prima, & 2. aſſertio eſt in illa clauſula. *Vt igitur alia quidem generentur, alia vero corrumpantur*

& hoc ſit continuè: nulla cauſa eſt immobilium quidem, non ſemper autem exiſtentium &c. Infra tex. 47. idē repetit.

Tertia aſſertio eſt in tex. 46. illis verbis. *Neque rurſus eorum, quæ ſemper quidem hæc mouent, horum autem alia,* Quæ ſēper mouent hæc generabilia ſunt corpora ſempiterna: *ſed horum* ſempiternorum alia ſunt mouua, ſcilicet aliquid immobile mouens ipſa, ſempiterna.

Quarta aſſertio concluditur tex. 47. *At nihilominus aliquid eſſe, quod continet, & hoc præter vnū quodque eſſe id, quod eſt cauſa, vt alia quidem ſint, alia vero non: & cōtinuæ mutationis; & hoc quidem his, hæc autem alijs cauſa motus ſunt. Si igitur perpetuus motus eſt, perpetuum erit & mouens primum &c. quod cum primum immobilium ſit, erit alijs principium motus.*

Omnia hęc eſſe de primo immobili, tanquam de efficienter mouente, patet ex ipſa phraſi, erit alijs *principium motus*: ex eo, quod eſt cauſa generationis, & corruptionis, nam vt finis harum aſſignatur forma in 2. de generat. tex. 51. hic autē aſſignatur primum immobilium 2. Id conſtat, quia de primis mouentibus eſt ſermo, quando ponit immobile non perpetuum, loquitur de effectiuo: quando mouens ſe non perpetuum, loquitur de effectiuo: quando ponit ſemper mouens ſe, loquitur de effectiuo. Mirabile eſt, & incredibile, vt quando concludit de immobili perpetuo, nō loquatur de effectiuo, ſed extra chorum ſaltet.

Denique in compendio eorum quæ tractauerat, facto ſub tex. 50. ait. *Ponentes omne, quod mouetur, ab aliquo moueri, & hoc eſſe aut immobile, aut quod mouetur, & quod mouetur, aut a ſe ipſo, aut ab alio ſemper; proceſſimus, vt accipiamus, quod eorum, quæ mouentur, eſt principium, eorum quidem, quæ mouentur, id quod ſe ipſum mouet; omniū autem id quod eſt immobile.* Igitur ſi comparemus mouentia mota, primū mouens eſt inter illa id, quod mouet ſe ipſum; ſi mouentia omnia, & mobilia: comparemus primum mouens omnium eſt immobile. Plura nolo: totus liber legatur.

Reſponſiones ad hæc loca ex 8. phyſic. Cap. VII.

THom, Gianinus tantam lucem in 8. phyſicorum rutilantem ferre non ſuſtinuit cum eni ſibi præſtituerit, primum motorē eſſe motorem, permodū finis, nō efficiētis, defendere, fultus authoritate tex. 12. poſt naturalium 36. idcirco Gianinus in cap. 7. libri de nat. cęli cart. 23. & 24. ſcribit, quòd licet non conſentiat cum decretis Ariſtotelis, primus motor cauſæ efficientis: attamen in eo contemplando, Ariſtotelem varijs in locis, & præſertim in libro 8. phyſ. ſic fuiſſe verſatū, perinde ac ſit cauſa motus efficiens. Ratio eſt, quia veteres philoſophi rationem mouendi per modum

Num. 268

modũ finis pro nihilo habuerũt, & quæcunq; induxerunt mouentia, hæc mouere per modum efficientis voluerunt. Quia igitur Aristoteles optabat ostendere primum motorem esse immobilem, & impartibilem: quòd per viam efficientis probare poterat, eam viam retinuit. Qui si per viam finis processisset, aut per ignota pergere debuit, aut si per probata, tunc longam, & alienam à physico tractationem instituisset. Nam primi philosophi est docere modum, quo mens separata, & primus motor mouet.

Gratulor, quòd collegam habeam. Ego in prima parte 8. phys. & in ijs, quæ ab ea pendent, dixi, Aristotelem populariter constituisse motum æternum, vt cælum, & mundum, tanquam Deos immortales statueret. Philosophicè ex propijs principijs cõtrarium tenuisse. Ideo dixit primam rationem, quæ motum ante motum probat, solutam antea in 5. phys. 13. atq; 11. metaph. sum. vlt. cap. 3. neq; enim mutationis est mutatio, sed prima aliqua datur. Secundã de priori ante prius, ratione temporis, exolutam 4. phys. 99. quia ad prius & posterius in magnitudine hęc sunt in motu, & tempore; cum ergo sit primum in magnitudine omni, vt potè finita, ergo in motu, & tẽpore erit aliquid primum. In cæteris Aristotelem cum sapientibus sensisse, dixi; vt cum probat, vnũ primum mefficiens, immobile, impartibile sempiternum. Nunc autèm Gianinius in tot rationibus 8 physicorum docet, Aristotelem nõ ex propria mẽte eas tractauisse, sed ex veterum placito, quando dixit, Deum esse efficiens. Sic eludit omnia loca, in quibus Aristoteles ponit primum efficiens esse ens immobile, incorporeum. Saltem ego attuli quatuor loca, in quibus Aristoteles suam opinionẽ cum populari conformat, è quibus apparet Aristotelem populariter locutum, sc licet primo de cælo 22. & 2. de cælo 2. & 6. ac primo meteor. sum. 1. cap. 3. Gianinus nullo loco Aristotelis ostenso, quo probetur, dicta de efficiente iuxta priscos dicta esse, id absq; fundamento asserit.

Neq; dictum ex 12. met. 36. probat, Deum, seu primum mouens non mouere vt efficiens; primò, quia & ratio finis, & ratio efficientis possunt in idem coincidere, vt constat 2. phys. 70. & 2. de anima 36. ac 37. nec non in 2. phys. 23. cum nos vtimur omnibus propter nos, & 12. met. 55. cum sanitas dicitur etiam arl. Vnde si arguas de homine, homo est finis vsus rerum, ergo non efficiens illius vsus, sophisticè arguis. Ita de primo ente, quia est finis, ergo non est efficiens, sophisticum est argumentum, quia vt est actus, potest esse efficiens: vt est bonum, potest esse finis. Num. 27.

Secundò, qua falsum est, quòd obiectum cognoscibile, & appetibile moueat, vt finis tantùm, imò verò mouet, vt efficiens, quod infra explanabo: nunc tantum cito textum 2. de anima 59. vbi visi-

bile, audibile &c. dicuntur actiua in ſenſum: ſicut intelligibile actiuum in intellectum 3. de anim. 2.

Verùm nõ credo in 8. phyſ. Ariſtotelem tot, ac tantas rationes, tanto ordine, cura, robore conſtruere voluiſſe, ſi non ſuæ erant. At obiectionem negliget Gianinus.

Item, falſum eſt, veteres efficientem cauſam agnouiſſe. nam pauci admodum ante Anaxagoram, & quasi eloquium attigerunt, Materiam omnes, ex primo metſum. 2.

Illud nobis ſatis eſſe debet, nõ poſſe nos, quę in 8. phyſ. de primo motore dicuntur, tanquam Ariſtotelica accipere, niſi dicamus primũ motorem effectiuè mouere.

Num. 28. Scaynus reſponſione ſuperius data cap. 4. vtitur ad loca 8. ſicuti ad loca 2. phyſicorum, nempe primum efficere vt finem.

Contra, quia efficere, ac finire, alia ſunt, aliuſq; eſt modus efficientis, alius modus finis, tanquam diſparati modi ſub eodem communi. Si igitur homo, & aſinus ſub animali communi ſunt, & dixero, homo diſcurrit per modum aſini, planè abſurdiſſimè dicam. Itidem, quia ſub cauſa ſunt modus efficientis, & finis: ſi dicas mouens efficit per modum finis, eſt, ac ſi dicas, homo diſcurrit per modum aſini.

Præterea, cum rationes 8 phyſicorum, & concluſiones dicant & rem, & modum: non eſt, quod modum alium quæramus, nempe modi modum. Rem dicunt, ſicet eſſe aliquod cauſans, & mouens. Modum exponunt, qualis eſt ædificatiui, alteratiui, docentis, ſanantis, ferentis. At iſte modus eſt modus efficientis. Si rurſus quæras modum efficientis per modum finis, modi modum quæris in infinitum.

Illud etiam argumentum ex 8. phyſ. 79. non ſoluitur à Scayno. *Num. 29.* Ariſtoteles probat, quòd potentia infinita non poſſit eſſe in magnitudine finita, quia maior potentia ſemper facit in minori tempore, igitur finita magnitudo habens potentiam infinitam faciet, ſed in nullo tempore, niſi potentia finita, & infinita moueant æquali tempore. Subde minorem, ſed primus motor habet potentiam infinitã, ergo primus motor non eſt in magnitudine finita. Maior illa eſt in tex. 79. minor in tex. vlt 8. phyſ. vbi & concluſio. Quæro de potentia infinita, eſt nè efficiens, an finalis?

Reſp; Scaynus, probatio Ariſtotelis non habet vim ſub alia ratione conſiderandi, niſi inquantum ſupponit virtutem in magnitudine, quæ moueat in magnitudine exiſtens: quæ certè mouet pellendo, trahendo, aut alio ſimili modo. Quare cum primum mouens immobile ſit ab omni materia ſeiunctum, huiuſmodi demonſtratio ipſi non aptatur: cũ non ſit in magnitudine, neq; aliquid pellendo, aut trahendo moueat.

Primò dico facile reſponderi, quando conſideratur concluſio, &

non

non conſiderantur propoſitiones illam probantes: quod ſi feciſſet Scaynus, agnouiſſet, ſe non ſoluiſſe argumentum.

Ariſtoteles nanq; accipit iſtam maiorem. *Maior potentia ſemper facit æquale in minori tempore*, facit, inquit, loquitur enim de efficiente; probat maiorem inductione, *vt quæ calefacit, aut dulcefacit, aut proijcit, aut omnino mouet*. Quæ præcisè de efficiente ſunt vera. Infert concluſionem vnam Ariſtoteles. *Neceſſe eſt ergo, & a finito quidem, infinitam autem potentiam habente pati aliquid patiens, & pluſquam ab allo*. Vbi ponit paſsū pati ab efficiente magnitudinis finitę cum potentia infinita. Sed cum oporteat eſſe minus tempus maioris potentiæ, addit minorem. At potentia infinita in magnitudine finita mouebit in nullo tempore; ad hanc roborandum, inquit: Detur oppoſitum & potentia finita moueat in aliquo tempore, in quo vis infinita calefecit, aut pepulit: tunc accipiatur potentia finita, quę in aliquanto tempore moueat, & augendo potentiam finitam ſemper tēpus fiet breuius, quare perueniam ad idem tempus, in quo potentia aucta, ſed finita mouet, & in quo eadem infinita potentia mouet. In æquali igitur, imò eodem tempore potentia finita, & infinita mouent, quod cum ſit impoſſibile, reſtat, vt potentia infinita non ſit in magnitudine finita. Si maiorem explices de cauſalitate finali nullam omnino apparentiam habet maior ipſa, vel eius probatio. Nam finis intelligibilis intelligitur momento indiuiſibili prout in 3. de anima 25. & 24. ſolet concedi. Verba item textus 79. omnino peruertuntur.

Deniq; quod ait, hanc demonſtrationem nō applicari ad primū mouens immobile; non conſentit Ariſtoteli, qui in vltimo tex. 8. arguit ex iſta cōcluſione textus 79 ſic. Magnitudo finita non poteſt habere potentiam infinitam: primum mouens immobile habet potentiam infinitam, ergo primū mouens immobile non habet magnitudinem finitam. Neq; infinitam, quia magnitudo infinita non eſt poſſibilis ex 3. phyſ. Aut igitur idem per ſe vnum ſignificatur nomine potentiæ infinitæ in maiore, & minore, & cōſtat, quod illam potentiam infinitam negat in magnitudine, quæ eſt in primo motore: & quę ſi eſſet in magnitudine, moueret ſine tempore, ſed extra magnitudinem mouet infinito tempore. Aut aliud ſignificatur per ſe in vna præmiſſa, aliud in altera, quod ſi dicatur, tutpiter in æquiuocationis ſophiſmate, ait Philoſophus, ſe demonſtraſſe. Itaq; eadem potentia infinita aliter efficit, ſi eſt in magnitudine, aliter ſi extra, ſumpta alietate à tempore. *Num.* 30.

Vbi deniq; argumentor. In prędicta demonſtratione vltimi textus: Potentia infinita nō eſt in magnitudine, dicitur nè de cauſalitate effectiua, an finali? Si maior eſt de effectiua, vt apertiſſimū eſt per

est per textum 79. & minor de finali, quàm turpis paralogismus cómittitur. Sic. Nulla potentia infinita effectiua est in magnitudine finita; sed primum mouens immobile est potẽtia infinita finalis, ergo primum mouens immobile non est in magnitudine finita. Syllogismus in quatuor terminis. Qui sic textum Aristotelis inuertunt, peruertunt.

Maneat nobis ex 8. phys. inuictè probari de Aristotelis sententia, primum immobilium, quod est immobile, & per se, & per accidens, habere potentiam effectricem.

Ex lib. de Cælo, & Gener.
Cap. VIII.

Num. 31. SImplicius ex libro de cælo duos textus adducit. Nam in tex. 32. ait Philosophus. *Deus, & natura nihil frustra faciunt.* Facere est efficientis. Neq; id facile ad subcælestia detorqueas, vt Pauesius disp. 5. met. cap. 6 torquet. Loquitur enim de cælo hoc, & alio æquali faciendo, atq; de motibus æqualibus cælorum, & de inæqualibus. Certè natura, ideſt, forma, siuè compositum ex forma informante, non potest facere cælum, ergo solus Deus potest facere cælum; aliud non fecit, quia frustra esset; hoc ergo fecit, nec frustra.

Item in tex. 100. loquens de æuo immortali, & diuino, quod continet totum tempus, & infinitatem, *Æuum est & immortale, & diuinum, vnde alijs communicatum* (vel pendet) *his quidem apertius, his autem obscurius esse, & viuere.* Principium vnde primum communicatum est esse, & viuere alijs: est effectiuum aliorũ. Primum æuum est eiusmodi, igitur effectiuum. Neq; aliud est primum æuum, quàm primum ens Aristoteli; alioqui primo æuo daretur aliud æuum prius; si quidem æuum, quod continet totum tempus, & infinitatem, est ipsa æternitas. Plura nolo, nam hoc prolixè valde alio loco discussi.

Num. 32. In primo de Gener. & corrupt. 14. textus verè singularis à Simplicio indicatur. Cum enim textu 13. proposuerit, tractandum esse de causa sempiternę generationis, generationis, inquam, & simpliciter, & secundum quid, sequitur Philosophus. *Cum autem sit causa, vna quidem vnde principium motus, esse dicimus, vna autem materia: talem causam dicere oportet; De illa enim dictum est prius in de motu sermonibus, quòd est illud quidem immobile per omne tempus, hoc verò, quod mouetur semper, horum autem de immobili quidẽ principio distinguere prioris est philosophię. De eo autem, quod propterea quod continuè mouetur, alia mouet, posterius assignandum est.*

Causam, vnde principium motus in duo principia partitur, vnũ est immobile per omne tempus, reliquũ mouetur semper, & quia mouetur, mouet. Tuncargumẽtor. Quod est principium Vnde motus, est causa efficiens, ex definitione

tione efficientis assignata prius cap. 2. Sed principium immobile per omne tempus est principium Vnde motus; ergo principiũ immobile per omne tempus est causa efficiens. Atqui primum ens est primum omnium immobiliũ, & incorporeorum, igitur & ipsum est causa efficiens. Si iraq; cui cõpetit definitio efficientis proprijssima ipsũ est causa efficiens: & principio sẽper immobili definitio proprijssima efficientis ab Arist. assignatur, planè eadem, quæ assignatur principio semper moto; ergo primum immobile est proprijssimè efficiens.

Ex hoc etiam loco refellitur glossa eorum, qui nolunt in 8. physicorum tractatum fuisse de immobili principio vnde motus, sed de principio cuius gratia. *Num. 33*

Alios duos textus ex eodem libro, ideſt, de ortu, & interitu profero. Prior est 48 in quo probat Aristoteles contra Democritum, simile à simili non posse pati, hac ratione. *Atqui si à simili pati aliquid possibile est, & ipsum à se ipso. Proinde his ita se habentibus, nihil vtiq; erit aut incorruptibile, aut immobile, si simile secundum quod simile actiuum: ipsum enim se ipsum mouebit omne.* Constat philosophum in tractatione de ipso Agere, & pati, verba retexere de factiuo, & motiuo, quod si agat in simile, etiam aget in se ipsum, & omne actiuum erit passiuum, omne motiuũ erit mobile. Quod apud Stagiritam tanquam impossibile exhorretur; quanquam hoc non esset Democrito displiciturũ, authore Arist. in primo de anima 20. vt in fra commonstrabo. Quapropter Democritici sunt, non Aristotelici, qui dicunt, omne mouens moueri, & omne actiuũ pati.

Posterior locus est in eodem primo de ortu tex. 53. 54. 55. quos textus per partes afferam, ne mẽtem lectoris confundam. *Num. 34.*

In tex. 53. statuitur eadem ratio inter facere, & pati ex vna parte, atq; mouere, & moueri ex alia parte. Quod probat Aristoteles bifariam, primò quidem, quoniam sicuti mouens, est vel primum, vel vltimum, ideſt remotum vel proximum: ita faciens est primum, vt medicus, atq; vltimum, vt vinum. Scribo textum. *Eandem quoq; rationem existimandum est de ipso facere, & pati: quam & de ipso moueri, & mouere. Dupliciter enim dicitur & mouens: in quo enim est principium motus, videtur hoc mouere (principium enim prima causarum est) & rursus vltimum ad id, quod mouetur, & generationem. Similiter autem & de faciente, etenim medicum dicimus sanare, & vinum.* Quando loquitur de facere, & pati, proculdubio loquitur in genere causæ efficientis: ergo similiter quando loquitur de mouere, & moueri; quoniam in istis ait esse *eandem rationem*, sed ratio causæ finalis, & ratio causæ efficientis sunt à toto genere causandi diuersæ. Abusiua vtiq; esset comparatio, & æquiuoca contra regulas 7. phys. 24. &c. Præterea, nemo dixerit in ipso fine esse principium motus respectu

reſpectu eius, quod mouetur, & reſpectu generationis, niſi à ſe loquatur, non ab Ariſtotele, qui loquitur de mouente, in quo eſt principiũ motus & generationis.

Num. 35. Secundò, cauſa, propter quam inter mouens, & motum, atq; faciens, & paſſum eſt eadem ratio, adducitur, nempè quòd primum mouens non neceſſariò mouetur, imò in quibuſdam primũ mouens neceſſariò non mouetur; vltimum verò mouens ſemper etiã mouetur. Similiter in facientibus eſt, nam primum faciens eſt impaſſibile, vltimum patiens patitur ſemper. En textum. *Primum igitur mouens nihil prohibet in motu quidem immobile eſſe, in quibuſdam autem eſt neceſſarium: vltimũ autẽ ſemper mouere, motũ. In actione autem primum quidem impaſſibile eſt, vltimum autem & ipſum patiens eſt.* Hic rurſus apparet, ſermonem eſſe de mouente effectiuo, tùm quia comparatio eſt inter mouens primum, & vltimum; ſed ipſum vltimum mouetur, ac mouet, tanquam mouens phyſicum, atq; adeò effectiuè: comparatio autem primi, & vltimi mouentis eſt in eodem genere cauſæ, non in altero. Profectò materia vltima non dicitur reſpectu primæ formę, ſed reſpectu primæ materiæ: & vltima forma reſpectu primæ formæ, non reſpectu primę materiæ; itaq; & vltimum mouens effectiuè reſpectu primi mouentis effectiuè dictum eſt. Præterquam quòd finis neq; vltimus, neq; primus mouetur, finis enim eſt terminus motus, nõ ſubiectum, ergo vltimum mouẽs, quod mouetur, effectiuè accipitur, quare & primum. Cum etiam primum, & vltimum faciens alteratiuè (ſumit quippè faciens pro alterante corruptiuè) ſint in genere efficientis, quomodo haberent eandem rationem cum vltimo, & primo in genere cauſæ finalis?

Num. 36. Pergit Ariſtoteles, atq; dat regulam de primo faciente, & vltimo, qua diſcernamus, cur primum faciens non patiatur, vltimũ patiatur. Si nanq; faciens, & patiens communicãt in materia, faciens viciſſim patitur, tale eſt vltimum; ſi non communicant, non patitur, tale eſt primum. *Quæcunq;* inquit, *non habent eandem materiam faciunt, impaſſibilia exiſtentia: vt medicatiua, ipſa enim faciens ſanitatem, nihil patitur ab eo, qui ſanatur; cibus autem faciens, & ipſe patitur, aut enim calefit. &c.* Infra poſt declaratam hanc regulã in tex. 54. concludit. *Ideò quemadmodum in motu, eodem modo res ſeſe habet & in factiuis, illud enim primò mouens immobile eſt, & in factiuis primò faciens impaſſibile eſt.*

Ne quis autẽ ſuſpicetur hæc dicta eſſe de fine, quod moueat, nec mouetur, faciat, nec patiatur: ſtatim finem, & omnes alias cauſas remouet à ratione efficientis; dicens, quòd principium vnde motus, eſt cauſa effectiua: ſed ipſum cuius gratia non eſt cauſa effectiua, niſi per translationem, quia

prę-

præſente effectiuo res ſit, ac motus durat; præſente fine, res eſt, non fit, & motus ceſſat finis autem, ac forma coincidunt. Materia patitur, non facit, ergo ſolummodo principium Vnde motus eſt cauſa effectiua; reiectisq; tribus cauſarum generibus, regreditur ad efficientem, de qua in tex: 55, ſcriptum reliquit. *Ignis igitur in materia habet caliditatem. Si autem aliqua eſſet ſeparata caliditas, hæc nihil vtiq; pateretur. Hanc igitur forſitan impoſſibile eſt, ſeparabilem eſſe. Si autem ſunt quædam talia, in illis vtiq; erit, quod dicitur verum.*

Præclarè ait de efficiente propriè, & phyſicè. Caliditas facit, & patitur, quia eſt forma in materia, & à materia ſeparari non poteſt. Si autem eſt aliqua forma ſine materia, in ea eſt hoc, quod dicitur, verum, ſcilicet quòd illa forma facit, nec patitur: mouet, nec mouetur. Tunc annecto minorem ex 12. met. 49. *Ipſum verò quid erat eſſe primum non habet materiam, cum actus ſit.* Ergo primum quid erat eſſe facit, nec patitur: mouet, nec mouetur. Imò non ego dicam concluſionē, ſed Ariſtoteles in eodem textu 49 *Vnum ergo tùm ratione, tùm numero primum mouens immobile eſt.* Proculdubio caliditas eſt mouens effectiuè, ſiue concipiatur coniuncta, ſiue ſeparata, eadem enim manet ratio agendi; deq; hac ratione agendi præcisè loquitur Ariſtoteles, cum expreſsè finem excluſerit.

Amplius in 2. de ortu, & interitu tex. 51. incipit quærere principium effectiuum generationis, & corruptionis, quemadmodum receperat ſe facturum in primo de gener. & corrup. 14. Igitur in 2. textu 51. generabilium cauſas materialem, formalem, finalem expoſitas fuiſſe commemorat, dicendum eſſe de efficiente monet, quare diſſertatio ſecutura de efficiente propriè, & verè texitur. Diſtinguit ad hoc, entium, quædam eſſe neceſſaria, quædam contingentia, neceſſaria ſunt ſemper, vt exempli cauſa mentes ſeparatæ, cęleſtia corpora: contingentia sūt, quæ poſſunt eſſe & non eſſe, cuiuſmodi ſunt, generabilia, & corruptibilia: Hinc tranſiliens ad textum 59. inquit, naturam deſiderare in omnibus, quod melius eſt. Melius autem eſt eſſe, quàm non eſſe: eſſe autem dicto dupliciter ſcilicet ex neceſſitate, ac æterno atq; contingenter, ac temporali, addit de ipſo eſſe ſemper, & ex neceſſitate, *Hoc autem in omnibus impoſſibile exiſtere, propterea quòd longè diſtant à principio. Reliquo modo compleuit totum Deus continuam faciens generationem, ita enim maximè continuabitur ipſum eſſe.* Num. 37.

Cernis, arbitror, quædam entia longè à principio poſita, quædam propè. quæ propè ſunt, neceſſariò ſunt ſemper eadem ſpecie, & numero; talia ſunt ingenerabilia, & incorruptibilia. Quæ longe ſunt, non neceſſariò ſunt, nec ſemper: quia tamen natura

desiderat in omnibus semper esse, prout possibile est, possibile autem est, contingentia semper esse in specie, non numero; ideo Deus fecit generationem continuam, qua facta, completus est mundus ex vtroq; entium principiatorum genere. Vbi duo effectiua generationis Aristoteles aperuit, cœlum, tanquam mouens motum, quod est instrumentale; ac Deum, tanquam mouens immotũ, quod est efficiens principale. Hoc in loco facere generationem attribuitur Deo. Facere significat causam efficientem, præsertim isto loco, in quo de efficiente solummodo tractatur: in quo absolutè ponitur vocabulum faciendi. Sicut autem in tex. 51. proponitur causa generationis effectrix quærenda, sic indicato cœlo, in tex. 56. & Deo in tex. 59. colligitur in tex. 60. causam effectricem generationis esse patefactam scilicet cœlum, vt primam in genere physico. Deum, vt primam simpliciter. Neq; textuum connexio finit de fine intelligere, sed cogit de efficiente accipere, nisi coactè textus exponantur. Nunc erigo rationem. Deus est principium faciens generationem, Deus est primum ens, ergo primum ens est principium faciens.

Ex Lib. de Anima, Cap. IX.

Num. 38. DVplici via tentarunt veteres assequi notitiam de anima, cognitione, & motu, teste Aristotele primo de anima 19. eoquòd animalia ab anima moueri pro compertò haberent. Quia verò in antiquorum philosophorum animis insederat hæc propositio, omne mouens mouetur, ideò dicebant animam quoq; moueri. Legamus Aristotelem primo de anima 20. *Dicunt enim quidam & maximè, & primò animam esse id, quod mouet: existimantes autem, quod non mouetur, ipsum non contingere mouere alterum eorum, quæ mouentur, aliquid sic animam arbitrati sunt esse.*

Ex hoc fonte effluxit opinio Democriti, ponentis, quòd anima sit athomi igneæ & rotundæ: nam istæ athomi tex. 22. & mouentur, & mouent. Ex eodem fonte opinio Pythagoreorum affirmantium, quòd ramenta apparentia in aere sint anima, *propterea quòd nihil videbatur mouens, quod non & ipsum moueatur.* Ex eodem fonte opinio dicentium, animam esse id, quod se ipsum mouet, quę Platoni, & Xenocrati solet ascribi. Quibus authoritatibus patet Aristotelem accusare illud assertum Antiquorum, Nihil mouet, quod non & ipsum moueatur. Quod certè est de principio effectiuo, nam anima est principium primũ vnde motus secundum locum, 2. de anima 37. Quare secundum Aristotele aliquid est principium primum vnde motus, sed illud principium est immobile. Vnde refutaturus eos, qui asseuerant, animam moueri vt moueat, in primo de anima 36. quasi ipsa sit seipsam mouens, ait.

Quod

Quod igitur non neceſſe ſit mouens, & ipſum moueri, prius dictum eſt. ſanè in 8. phyſicorum. ſi de mouente finaliter hoc dixit, non eſt ad propoſitum de anima; quoniã antiqui loquebantur de mouente effectiuè, & propriè, Finem autẽ, & cauſalitatem finalem, ne nouerunt quidem, ſi Ariſtoteli fidem habemus in 1. met. ſum. 2. cap. vlt. ergo ſuperuacaneum eſt intelligere de cauſante motum finaliter, tùm quia aduerſarius nõ impugnaretur, tũ quia anima nõ eſt finale, ſed effectiuũ motus prĩcipiũ.

Veniamus iam ad ſenſibile, & intelligibile; atq; exploremus qua ratione mouent ſenſum, & intellectum. Confitebor, ſub initio me communi opinione raptum, plerumq; intellexiſſe, quòd ſenſibile, atq; intelligibile cauſat, vt finis, non vt efficiens, & actiuum: Ita ferè omnes in 12. met. 36. quãdo audiunt Philoſophum dicentem, quòd primum mouens mouet, vt intelligibile, & concupiſcibile, ſtatim accipiunt mouere finaliter, tanquam cuius gratia: non effectiuè, tanquàm vnde motus. Verum conſtiti, exploratis ijs, quę in 2. lib. de anima dicuntur, atq; accuratiùs conferendo, affirmo, me nuſquam hactenus obſeruaſſe locum Ariſtotelis, in quo abſq; controuerſia vocabulum *Mouere* fini attribuatur. Nec fortè immeritò, quia Ariſtoteles ipſum *mouere*, & *motum* veluti proprium efficientis cauſæ characterem noluit alijs communem facere. Ali oculatiùs rimabuntur, neq; enim tantæ ſum obſeruationis, vt omnia Ariſtotelis loca perfectè obſeruauerim, qui fortè ne vnum quidem textum exactè ponderaui.

Num. 39.

Sed agè, quæ ex lib. 2. de anima à tex. 51. ad 60. quantum ad rem ſatis eſt, conſideremus. Quærit Ariſtoteles, quare ſenſus ſeipſum non ſentiat, cum ex elementis conſtet. elementa enim vel ipſa, vel quæ accidunt ipſis, ſunt ſenſibilia, ergo & ſenſus ſunt ſenſibiles. Reſp. quia ſenſus eſt in potentia paſſiua, ideò non poteſt ſe reducere ad actum nam motus, & actio, & paſſio ſunt ab actu exiſtente, & mouente. *Manifeſtum igitur eſt*, inquit Ariſtoteles, *Quòd ſenſitiuum non eſt actu, ſed potentia tantùm: vnde non ſentit, ſicut combuſtibile non comburitur ipſum per ſe ſine combuſtiuo: combureret enim ſeipſum, & nihil indigeret ignis actu exiſtentis.* Deindè cum diſtinxiſſet de potentia ad actum primum, & ſecundum: itemq; de actu primo, & ſecundo: atq; feciſſet comparationem cum intellectu in potentia ad habitum ſcientiæ & deinceps in potentia ad ipſum ſcire: ponit differentiam inter ſentire, & ſcire ex parte principij actiui. Differentia eſt, quia actiuũ ipſius ſentire eſt extra ſenſum, vt viſibile, vel audibile: actiuum ipſius ſcire eſt intra intellectum, ſcilicet vniuerſale: loquitur enim de intellectu, qui iam habet ſpeciem, & habitum. Tex. 59. ait *Differt autem, quia huiuſmodi actiua operationis extra ſunt, viſibile, & audibile, ſimiliter autẽ & reliqua ſenſibilium. Cauſa au-*

tem, *quoniam ſingularium quidem ſecundum actum ſenſus, ſcientia autem vniuerſalium: hæc autem in ipſa quodammodo ſunt anima. Vnde intelligere eſt in ipſo, cum vult, ſentire autẽ non eſt in ipſo: neceſſarium eſt enim eſſe ſenſibile. Similiter autem ſe habet in ſcientijs ſenſibilium*. Qui locus eſt attentiſſimè legendus, in quo clariſſimè eniteſcet, ipſum ſenſibile eſſe principium effectiuum ſenſationis: ac intelligibile principium effectiuum intellectionis.

Itidem & de viſibili tractans tex. 73. & 74. docet, colorem mouere perſpicuum, puta, aerem, aerem verò continuum vſq; ad oculum mouere oculum. Sed neq; perſpicuum, neq; oculus cauſantur finaliter à colore. Locus hic certè de fine exponi nequit. Idemq; in tex. 75. dicitur de omni ſenſibili, quod facit ſenſum.

Num. 40

Ad rem noſtram autem luciditſimus eſt 2. de anima textus 138. 139. quorum textuum poſteriotem hic pono. *Si igitur motus, & actio, & paſſio eſt in eo, quod mouetur, & patitur: neceſſe eſt & ſonum, & auditum, qui eſt ſecundum actum, in auditu, qui ſecundum potentiam, eſſe; actiui enim, & motiui actus in patiente fit, vnde non eſt neceſſe mouens moueri*: & infra tex. 140. *Sicut enim actio, & paſſio in patiente eſt, ſed non in agente: ſic & ipſius ſenſibilis actus in ipſo ſenſitiuo exiſtit*. Ex quibus locis duo nobis profuturà elicio, Vnum eſt, quòd obiectum ſenſibile ſit principium ſenſationis in genere efficientis, & non in genere finis, niſi fortè coincidant, ſed ratio alia erit vnius cauſæ, alia alterius. Alterum eſt, quod mouens effectiuè non mouetur de neceſſitate: ſicuti color mouet viſum, vel perſpicuum, ſed color nõ mouetur. Simul quoq; & ratio redditur, quæ tùm in hoc tex. 139 tùm in 3. phyſ. 19. & 20. habita eſt, ob quam mouens non mouetur. ea eſt, quia vnus & idem actus eſt actiui, & paſſiui; qui vt ab actiuo, eſt actio; vt in paſſiuo eſt paſſio; ſed tàm actio, quàm paſſio refunduntur in patiente. Si igitur agens agendo moueretur, certè hoc eſſet, quia recipit actionem, vel paſſionem, vel motum, ſeu terminũ motus. At hæc omnia in paſſo recipiuntur, ergo agens non mutatur, vel mouetur, qua agẽs, & qua eſt in actu; ſed præcisè per accidẽs, ſi cum actu coniunctam habeat potentiam, vel reſpectu eiuſdem paſſi reagentis, vt ignis repatitur ab aqua, vel reſpectu alterius agentis, vt ſaturnus eſt in potentia reſpectu firmamenti. Primum verò ens eſt purus actus ſine vlla potentia, igitur mouebit, quatenus eſt in actu, ſed quia nullatenus eſt in potentia, ideò nec per ſe, nec per accidens mouebitur, aut patietur.

Poſtremò, quæ de ſenſibili, vt efficiente in ſenſum dicta ſunt, & in 2. de anima ad intellectum extenſa fuere: eadem in 3. de anima repetita ſunt conciſiùs tex. 2. *Intelligere eſt pati quoddam ab intelligibili, aut quid ſimile*, vnde in *Num.* 41.

tellectus

intellectus efficacia intelligibilium, non aliter ac ignis est calefactiua ad sensum, scilicet actiua intelligibile ad intellectū.

Quamob cauſam inquiunt Ariſtoteles in 3 de anima 14 & 12 met. 36. docet, duplex eſſe motum in motu locali, alterum immobile, quod eſt intelligibile, & appetibile: ſub intelligibili etiam imaginabili, ſenſibili & comprehenſibili: alterum mobile, & eſt intellectus, atq; appetitus: illum intelligo tripliciter, locutum de motore proprie cauſæ efficientis, cum ea ipſius doctrina ſenſibile, & intelligibile ſint actua proprij, & cui ſimilabilium, aut ſonatiuum: Nolui autem hoc capite diſtinguere de ſpecie ſenſibili, & ſenſationem exteriorem ab interioribus: deijs ſpecie intelligibili, & intellectione. Nam eam obiectiua vim in ſe efficiat ſpecies externam, & hæc ſpecies efficiat alias interiores: ſtue obiectum omnes hoc efficiat operationes ſentiendi, aut intelligendi, nobis non eſt curæ. Satis eſt obiectum intelligibile, & ſenſibile mouere efficiens ſenſum, & intellectum: neq; tamen obiecta mouentur.

Alius ex naturalibus ſuper eſt locus in libr. de commun. motion. ſed illum expendam operuam, eſt de modo efficiendi primi efficientis eos tractatus, ſcilicet Veſſiprienſe.

Hi ex naturali ſcientia veſtigia ab Ariſtotele impreſſis, à nobis obſeruatis, adiungamus alia ex ſupranaturali ſcientia.

Ex prima Philoſophia.

Cap. X.

PRima philoſophia, quæ eſt ſapientia, contemplatur cauſas primas, & primatæ communi- Num. 12.
nitatis, & primatæ ordinis, ſcilicet ab Ariſtotele definitur in 1. met. alia cap. 1. *Sapientia eſt ſcientia, quæ verſatur circa primas principias, & primas cauſas.* Eapropter Philoſophus in 6 lib. 2. primi exercitat intelligentiarum cauſa primas tractiquis ſapientibus aſſignatarum, & in communi, & in ſpeciali primarum cauſarum.

Igitur in primo met. ſum. 1. cap. 2. offendit cauſam materialē non ſufficere ſed materiatam, & alteram cauſam quam non dicimus, *Cauſæ principium motus.* Poſthac demonſtrat in 8 met. cauſam efficientem 3. vt. entia de nouo fiunt, & bene fiunt, & omnino efficiencem generationis in mundo, ſuppoſita diſtinctione de cauſa efficiēte, per accidēs, à quaſi eſt cauſa, vel ſeruatiua de nouo, per ſe efficiētiue, de qua fit agens tam naturale, quæ ſtrictiori ſenſu, quam per accidens, vt in cauſam per fortunam non in cauſam per ſe, ſed intentionalem, qui ſit agens, & terram: igitur in primam cauſam, quæ ſit efficiens rationale. *Quæ cauſa ſit in animalibus, an in natura intellectum. Cauſæ cauſam mundi, talium, ordinis diuerſi, quæ ſi fabrica comparatur ad Antiquiores vana dicentes apparuit. Illas autem rationes, qui palam eſtaſit, Anaxagoram fuiſſe primum.* Colligo laudat

laudat ſingulariter Anaxagoram, non ſolùm quia poſuerat cauſam efficientem in communi, ſed quia primam cauſam effectricem totius ordinis mundi conſtituit intellectum; quemadmodum & in 8. phyſ. 37. laudauit, quia fecerat intellectum immobilem eſſe principium motus. Quem locum Ariſtotelis, vel Anaxagoræ de cauſalitate finali exponere eſt deſipere. Sed neq; loquitur Anaxagoras vel in 8. phyſ. vel in hoc primo met. de efficiente immixto, & immobili quod faciat non vt in ſe ipſo, ſed vt in ſecundis mentibus quibuſcunq; , quia vt eſt in mentibus determinatis ad corpus, vel materiam, iam intellectus primus vt ſic, eſt mixtus cum corpore, ac materia, modo aliquo.

Adijcio coniecturam, quòd ſcilicet Ariſtoteles in ijs, quæ retulit de mente Anaxagorica, ſtet ab Anaxagora. Quia ex primo met. ſum. 2. cap. 1. affert aliorum placita, vt quæ ſibi non placuerint, refellat: quæ placuerint, recipiat: Sed inter examinandam opinionem Anaxagoræ in eodem primo met. ſum. 3. cap. 2. refellit ipſum, quo ad dicta de chao; quo ad dicta de intellectu effectiuo omnino ir reprehenſum, nam antea laudauerat, relinquit. Si ergo Stagirites, quæ non placent, reprobat; quod non reprobat, placuit; nimirum, cauſam primam effectricem eſſe ipſum primum intellectum ſeparatum, immobilem, immixtum.

Num. 41. Quia de Anaxagora mentio incidit, vt quę de ipſo ſunt, ſimul dicantur, tranſuolo ad 12. met. tex. 54. & 55. Vbi Philoſophus partim approbat, partim improbat Empedoclem, & Anaxagoram. Approbat, quòd poſuerint, bonum eſſe principium: improbat, quòd non declarauerint, in quo genere principij, an finis, an efficientis, an formæ. Poſtea ſpecialiter notat Empedoclem, qui ſtatuerat, Amicitiã eſſe principium, tùm vt efficiens, quia cõgregat: tùm vt materiam, quia eſt interna compoſito; at nõ diſtinxerat, ſecundum quam cauſæ rationem ipſa amicitia obtineret rationem boni. Res quidem eſt eadem, ſed ratio materiæ, & ratio efficientis non eędem.

Tertiò ſpecialiter conuertitur ad Anaxagoram,

Anaxagoras autem bonum ponit principium, vt mouens, mens enim mouet. Verum alicuius gratia mouet: quare alterum. Niſi ſit, vt nos dicimus; ars enim medendi quodammodo ſanitas eſt. Quibus verbis accuſat Anaxagoram, & excuſat. Accuſat, quia non expreſſit cauſam finalem, ſiquidem Anaxagoras poſuit ipſum bonum eſſe principium effectiuum, quia mens effectiuè mouet. Quia verò ex 2. met. 9. quicunq; intellectum habet, alicuius gratia agit; Ideò Anaxagoras debuerat ponere alterum bonum, vt cuius gratia, ſiue alterum principium, vt cuius gratia. Excuſat, quia ſi Anaxagoras dixit, ſicut nos dicimus, benè dixit nos autem dicimus, quod *ars medendi eſt quodammodo ſanitas*. Ars medendi eſt principium effectiuum,

tium, finitas ex principiis finalibus: sed ipsum principium efficitivum est suum principium finale quemadmodum quia sunt idem essentiæ tione differuntur. Itaq; in primo bonorum, ut principiorum quo Aristoteles ferè omnia tractandicunt in idem re principium primum tum efficiuum, tum finale.

Sivero Aristoteles confuliter, quòd primum principium efficiens tractare in genere suo finium, duos Anaxagoræ errores debuit fe vorare alterum, quorum primus est bonum ipsum, et efficiens esse alterum, quandam de fine cuius gratia non meminisset. Locutus fit eft accurate expendendus eft Alexis, Aquinate, Antonio Andrea, Suriliano, Themistio, Philopono, Aphrodisæo. Cuius textus adoreabo propius Scayrus, videtis ne gare finem, verbo negare non posse, ipsum esse causa nonnisi ens. Ex quo colligitur non esse aliquid aliud efficiens, a fine in Deo secundum Aristotelem. Verum non adverti, quòd efficiens operat ponitur in Deo, non aliud sed idemat nò omnino, sed quandam modo idem. Sic nanq; Aristoteles declinat reprehensionem in Empedoclem di rectam, qui duas tantum principio rum in vna re posuit, necillas distinxit. Aristoteles autem distinguit. Nec item animadvertit Scayrus, quid sit in enunciatione Aristotelis dum subiectum, scilicet aliquid prædicatum quæ sunt idem re, differunt essentia. Ex quo efficitur, Aristotelem supponere in me te prima, artem, deft casu alistem, efficacium cum Anaxagora, quæ cere etiam finis tem, hoc efficacissimum finalem.

In quo deuiat Scayrus dupliciter ab Aristotele, primò quia ipsum finem, & efficiens negat fe cundi, quia quæ unt eficiens, non distinctum vllatenus à finali re no. Nos autem optamus Aristoteles defendere, tanquam Philosophum scientiarum principem. Num. 44.

Tertiò occurit 7. metaph. text. 32. In quo composita substantia, vel accidentalia fieri dicuntur, non formæ. In materia ponitur discrimen inter substantiam factam, & inter quale, vel quantum. quæ sine facta: propterea quod ab inis substantia facta necessario fit à substantia præexistente quæ facta est. Sed quantum vel quale, vel aliud accidentale compositum, quod est factum, non necessario præsupponit aliud quantum, aliud præexistens quod fuerit ipsum acquisitum efficiens actu scilicet, quod fit quanti in potentia, scilicet actus. Addimus tertium. *Cæterùm ex his propriam substantiæ est accipere, quod necesse est præexistere semper aliam substantiam actu ex ipsa fieri: quæ fuit, vel potest, fieri, & animal fit quando non est, quantum non est fit necesse, nisi potentiæ, solum.* Da, quòd primum efficiens fit ens in corpoream, nonnisi substantia facta præsupponit substantiam actu existentem, & actu fit rentem. Quia nam, vel quæ ita factum non præsupponit aliquid actu quantum, vel actu quale ad fo-

Digitized by Google

lùm aliquid actu existens, & in potentia effectiua quantum; seruaturq; ea hoc dato ea, quæ ab Aristotele assignata est, differentia inter compositum substantiale factum, & compositum accidentale factum. Si autem dederis, quòd primum efficiens sit aliquod corpus, vt cælum omne quantum vel quale, vel locatum, si factum est, necessariò præsupponit cælum actu quantum, & quale, & alicubi collocatum. Perit igitur differentia facti substantialis, & accidentarij, si primum efficiens sit corpus, vel ens corporeum.

Num. 41. Quartò sese offert 9. metaphysicorum, qui de actu, & potentia disserit.

Potentia, & actus maximè propriè, & maximè clarè sunt cum motu. De hac potentia, & actu disputare non est metaphysici, sed de potentia, & actu, quæ abstrahunt a motu (siue per indifferentiam, siuè per essentiam, nihil attinet dicere). Dari tamẽ potentiã, & actũ sine motu, tex. 1 & 10. cõstat. In tex. 1 legis. *Et primò de potẽtia, ea quidem, quæ dicitur maximè propriè, non sanè est vtilis ad quod nũc volumus. potentia nanq; , & actus in plus est, quàm illa, quę secundũ motum solùm dicuntur: sed cum de ea dixerimus in determinationibus de actu, declarabimus etiam de alijs.* Potentia, & actus in communi ad potentiam, & actum cum motu: atq; ad potentiam, & actũ sine motu, est in plus. Vbi habes potentiam, & actum abstrahentes à motu secundum indifferentiam sed necessariò etiam in vno mmbro cernis abstrahentes à motu secundum essentiam. Si autem, vt multis, gratioſioribusq; placet, omnis potentia sit actiua, vel passiua, dabitur potentia actiua, & passiua sine motu, vel actiua tantùm, quam non est necesse moueri. Idem clarius tex. 10. *Cum autem de potentia, quæ secundum motum dicitur, dictum sit: de actu determinemus, quidnam actus, & quale quid sit. Etenim possibile, quoq; simul manifestum erit, si diuiserimus, quòd non solum hoc dicimus possibile, quod natura aptum sit aliud mouere, aut moueri ab alio, aut simpliciter, aut quodammodo: sed etiam aliter: propter quod, cum inquiramus, de his etiam tractabimus.* Consectarium est, quęcunq; de potentia actiua, & passiua cum motu dicuntur in 9. met. 2. & 5. met. 17. dicta sunt, ea esse physicę cõsiderationis, quoad motũ, sed metaphysicę, quo ad potẽtiam, & actum. Tractari verò potentiam transmutatiui, & transmutabilis, in gratiam potentiæ, & actus, facientis, & facti sine motu; nã potentia duplex est 5. met. 20. altera factiui ad factibile, vt patris ad filium; nam pater facit, filius patitur quodammodo, scilicet quia est terminus factus. Altera calefactiui ad calefactibile, vt ignis ad aquam. Prima respicit ipsum terminum non præexistentem, sed factum à potentia; secunda respicit subiectum præexistens, quod mutatur, quas potentias efficientis in 5. met. 2. & 2. phys. 29. apertissimè ponit, cum ait, *& omnino faciens*

faciēs facti, & mutās mutati. Secūda potentia tranſmutatiui ad trāſmutabile nō poteſt abſtrahi à motu: prima vt huiuſmodi non includit motum, ſed quandoq; concomitatur eum.

Quòd ſi potentia factiua non eſſet diſtincta à tranſmutatiua, Philoſophus non diſtingueret. Hæc igitur potentia facientis ad factum poteſt eſſe cum motu, & ſine motu. Quæcunq; autem illa ſit, nobis ex Ariſtotele obſeruatum eſt, inueniri potentiam, vel actiuam, vel paſſiuam ſine motu. Proinde quando Ariſtoteles definit efficiens cū motu, definit potentiam maximè propriè, non potentiam efficientem in cōmuni, vel ſaltem non omnem rationem efficiendi; quod Veſtigatione prima num. 34. diximus copioſè ſatis.

Num. 46. Poſſemus fortè ex eodem libro duo argumenta promere. Vnum ex definitione potentiæ tranſmutatiuæ, quæ eſt prima potentia phyſicè mouentiū. Potentia enim tranſmutatiua, ſeu actiua eſt, quę *eſt principium tranſmutationis in alio, prout aliud eſt.* Potentia paſſiua, *quę in ipſo patiente principium eſt tranſmutationis paſſiuæ ab alio, prout aliud eſt.* Ita proditum in 9. met. 2. cui conſonat 5. met. 17. Si verò in eodem concurrant potentia paſſiua, & actiua, hoc eſt per accidens, quemadmodū 2. phyſ. 3. medicus per ſe ſanat, ægrotus per ſe ſanatur, medicus ſanatur per accidens. Per ſe etiam ex definitione eſt, vt potentia actiua tranſmutet aliud: quòd ſi vel ab eodem, vel à ſe repatiatur, per accidens eſt. Si igitur nihil per accidens eſt prius ijs, quæ per ſe, 11. met. ſum. 3. cap. vlt. datur potentia tranſmutatiua præcisè, nullo modo in eodem coniuncta cum paſſiua: atq; adeò incorporea potentia actiua, tranſmutatiuaq; erit. Sic ſi conceditur aliquid, quòd eſt patiens tantùm, vt prima materia, quæ eſt potentia ſolùm: & aliquid patiens, & agens, in quo adſunt potentia, & actus: par eſt, vt concedatur potētia actiua ſine paſſiua coniuncta in eodem ente ſubſiſtente, quale eſt purus actus.

Amplius 2. argumentor ex eodem libro 9. tex. 16. Diſtinxit illic philoſophus actiones, eo quòd vna præter actionem ipſam relinquat opus, alia minimè. Num. 49.

Quoruncunq; aliud quiddam præter vſum eſt id, quod fit: horum actus in eo, quod fit, eſt; vt ædificatio in eo, quod ædificatur, & contextio in eo, quod contexitur, & omnino motus in moto. Quorum verò non eſt aliud quoddam opus præter actionem, in ipſiſmet actio eſt, vt viſio in vidente. Ex qua authoritate luculenter habes, quòd motus omnino eſt in moto, & nullatenus in mouente. Quæ doctrina eſſet ſimpliciter falſa, ſi in primo mouente eſſet falſa. Nā quod primo competit, ſimpliciter dicendum eſt competere: vt in omni analogo, ſiue in omni dicto ad unum, vel ab vno conſpicitur.

Itaq; in primo ente, & primo mouente erit speculatio, & intellectio: motus refusus erit in mobili.

Ex 12. Metaphysicorum. Cap. XI.

Num. 47. AD 12. metaph. conuerso mihi sese obijcit tex. 30. Nã diuisa substantia in tres partes, mobilem corruptibilem, mobilem incorruptibilem, & tertiũ immobilem: de hac Aristoteles exorditur, probatq; esse substantiam quandam immobilem, & perpetuam: atq; in tex. 30. ostendit, quod substantia illa est motiuum, & effectiuum principium. Quæ conclusio, si de omni substantia immobili est, de primæ quoq; substantiarum immobiliũ intelligetur, per dictum de omni primo priorum cap. 1. & primo poster. tex. 29. Si verò loquatur de sola prima substantia immobili, illa est primum ens, de quo sermo nobis est institutus. Ostenderat ergo in tex. 29. ex motu perpetuo dari substantiam, quæ perpetua sit, vt perpetuò mouere possit. Subdit in tex. 30 non satis esse, si possit, sed oportere hãc substantiam perpetuam mouentẽ esse actu, non potentia, ita vt eius substantia actus sit. *At verò*, inquit, *si motiuum, & effectiuum est, non autem operans aliquid, non est motus: possibile nanq; est non operari, quod potentiam habeat. Nulla igitur vtilitas erit, ne quidem si perpetuas substantias faciamus, quemadmodum, qui faciunt formas, nisi aliquod principium insit, quod mutare possit. Non igitur sufficit illa, nec alia substantia, præter formas. Nam si non operabitur, motus non erit. Nec item si operabitur, substantia verò eius potentia sit; non enim erit perpetuus motus. Quod enim potentia est, contingit non esse. Oportet igitur esse tale principium, cuius substantia actus sit. Item has oportet esse substantias absq; materia, sempiternas enim esse oportet, si aliquid quidem æternum est; actu igitur sunt. Atqui dubium est. Nam omne quidem agens, posse quoq; videtur, potens verò non omne, agere. Quare potentia erit prior.* In his verbis substantia immobilis dicitur esse principium motiuum, & factiuum: non in potentia, sed actu operans: non in potentia existens, sed actu; cuius q; substantia sit actus, sit absq; materia, sit sempiterna. Et ne quis contentiosè dicat, factiuum, & motiuum esse finem (tametsi vocabula repugnent) dubitatio statim proposita cum solutione sequenti, de agente meracissima est. potens: non agit: nam agere, operari, mouere, facere, si non significant causam effectiuam, neq; finalem significãt. Præterea formas ideales à Platone positas, non sufficere, ait, quãuis ponantur esse substantiæ perpetuæ, sed esse necessarium *principium, quod mutare possit.* Quæ obiectio in Platonem facta est 2. de gener. 52. Formæ nanq;, & participatiua non sufficiunt, sed

neceſſarium eſt efficiens, ſeu motiuum. At qui ponunt finem eſſe (finis, & forma penè idem) Platonici ſunt, negant enim actiuum, & factiuum, & motiuum in ſeparatis à materia. Tantundem enim eſt ponere finem ſine efficiente, quantum formam ſine efficiente, æternam, & immaterialem. At iſtud non ſufficit Ariſtoteli. Sed principium, quod poteſt mutare, facere, agere, dicit eſſe actum ſine materia.

Num. 48. Deniq; reſpondens ad dubitationem propoſitam, an potentia mouentis prior ſit, an actus; probat potentiam non eſſe priorem: *Verùm ſi hoc ita ſit, nihil entium erit, contingit enim poſſe quidem eſſe, nondum verò eſſe. At ſi, vt Theologi, qui ex nocte cuncta generant, ſiue vt Naturales dicunt, omnes res ſimul erant, idem impoſſibile erit. Quo nanq; modo mouebuntur, ſi nulla erit actu cauſa? Non enim ipſa materia ſe ipſam mouebit, verùm opifex virtus: neq; menſtrua, neq; terra, verùm ſemina, atq; humanum ſemen. Propter quòd quidam faciunt ſemper actum, veluti Leucippus, & Plato, cum ſemper motum eſſe dicant. Cur verò, vel quem non aiunt: nec cur ſic, nec cauſam. Nihil enim ſuſq; deq; mouetur, ſed oportet, vt ſemper aliquid præexiſtat, ſicuti nunc natura quidem hoc modo, vi etiam, aut ab intellectu, aut ab aliquo alio.* Hæc Ariſtoteles. In quibus clariſſimè cernimus, quod nã principium motus Ariſtoteles ponat in ſubſtantijs immobilibus: tale ſcilicet quod generat, quod mouet materiam, quod eſt, ſicut opifex, vel ſemen: ſcilicet omnia iſta cõueniunt præcisè in ratione principij effectiui. Sed vltima verba huius textus quemlibet non pertinacem reuincunt. *Oportet, vt ſemper aliquid præexiſtat, ſicuti nunc natura quidem hoc modo, vi etiam, aut ab intellectu.* Quæ purè, verè, propriè ſunt principia effectiua, natura, & intellectus, 2. phyſ. 49. & 67. & 11. met. ſum. 3. cap. vlt. vis quoq; infertur ab altero horum extrinſecus exiſtente, & mouente ipſi mobili. Itaq; in ſubſtantia immateriali collocandum eſt principium effectiuũ, atq; motiuum.

An reſpondebit quiſpiã, ſubſtãtiã immaterialẽ eſſe mouẽtẽ, nõ vt in ſe, ſed vt coniunctam cęlo per intellectionem, & amorem. Cęterùm cum in tex. 29. Philoſophus ſeiunxerit ſubſtantias duas naturales ab immobili ſubſtantia, de qua texta eſt oratio in particulis 30, 31. 32. libri 12 non eſt vero ſimilis reſponſio. Vbi enim res conſiderandas à cęlo ſeparat, & ſeparata conſideratione docet, ibidem non coniungit cum cęlo. Præterea, Subſtantia immobilis, vt in ſe eſt, re vera eſt immaterialis, & ſubſtantia actus; ſed vt eſt in cęlo amante, intelligenteq; eſt mobilis, materialiſq; quia cęlum non eſt ſine materia, aut ſine motu. Igitur hoc prædicatum *factiuum*, & *motiuum* pronunciatur de ſubſtantia immobili, & immateriali. Atqui

Num. 49.

ſubſtantia illa, vt eſt in cęlo amata & intellecta, nō eſt immaterialis ergo nō pronunciatur de ſubſtantia immateriali, vt iuncta cęlo, ſed vt ſeparata, quòd ipſa eſt principium factiuum, motiuum, operans, ſicut natura, & intellectus.

Amplius. Medius terminus in ratione Ariſtotelis eſt motus perpetuus, vnde concluditur ſubſtantia motiua perpetua, quæ non debet eſſe potens eſſe, vel potens mouere, ſed debet eſſe ſubſtantia actus, & ſine materia. Qualis autem eſt medius terminus, talis debet eſſe concluſio: ſed medius terminus eſt effectus principiatus in genere cauſæ efficientis, ergo concluſio non debet excedere genus cauſę efficientis. Si igitur ſubſtantia efficiens non eſt immaterialis, non immobilis, falſiſſima eſt concluſio, quòd ſubſtantia illa, quæ eſt principium factiuum, & motiuum, ſit ſubſtantia actus, ſit immobilis, ſit immaterialis. Certe loquendo formaliter, & propriè, & iuxta ſignificata terminorum, & iuxta res, ſecundum ſic reſpondentes, falſum eſt, quòd ſubſtantia immobilis moueat effectiuè.

Vlterius. Si ex hoc, quod aliquid in efficiente eſt amatum, & intellectum, ſequitur, quòd ipſum in ſe ſit immobile, immateriale, ſubſtantia actus, quia in ſyllogiſmo propoſitiones debent eſſe vel ambæ vniuerſales, vel vna: hæc erit illa, in qua vis argumenti Ariſtotelici conſiſtit. Quicquid, vt in aliquo efficiente mouet, ſicut intellectum, & amatum in genere finis, illud eſt, vt in ſe ſubſtantia actus, immobile, immateriale. Sed mouens cęlum, vt in ratione intellecti, & amati, eſt huiuſmodi, ergo &c. Maior propoſitio neq; vllam habet in textu veſtigium, & eſt pluſquā falſa, & omnino nullam habet apparentiam. Si quis pater à filio intellecto, & amato vt fine, mouetur ad generandum filium, ad educandum, ad cum ditandum, ergo filius, vt in ſe erit ſubſtantia immaterialis, immobilis. Similiter ſi cęlum infimum amet, intelligatq; ſupremum, & illius amore moueatur ab oriente in occidens, contra proprium motum: igitur cęlum ſupremum erit ſubſtantia actus, immobilis, immaterialis: fortè ratione materiæ illa maior in aliquo ſingulari erit vera, ſed ex ſe eſt prorſus falſa.

Poſtremò. Subſtantia immobilis, vt in ſe, & ſubſtantia immobilis, vt cognita & amata à cęlo, differt eſſentialiter. Quandocunq; autem aliquod prædicatū conuenit vni, & illud prædicatum tribuitur alteri eſſentialiter diſtincto, eſt manifeſtus error, atq; deceptio. Si igitur immaterialitas, atq; immobilitas ab Ariſtotele tribuuntur cęlo, vel ſubſtantiæ immobili, vt in cęlo (nam tribuuntur efficienti) reuera autem conueniunt immobilitas', & immaterialitas ſubſtantiæ immobili, vt in ſe, & eſſentialiter diſtinctæ; ergo & ipſe Ariſtoteles

errat.

errat,& nos decipit. Quæ cum non deceat de Ariſtotele exiſtimare, dicamus, ſubſtantiam immobilem, vt in ſe eſt, eſſe effectricem. Nam & ipſum eſſe cognitum, atq; amatum eſt in mente ſecũda aliqua, qualis cęlo tribuitur. Itaq; eſſe cognitum,& amatum eſt ens rationis, eſt ens non propriè per 6. met. vlt. Motus autem, & facta per motum ſunt entia realia, & ſimpliciter: quomodo igitur ens rationis poteſt eſſe principium efficiens entis reale? aut ens quod non verè eſt efficiens, poteſt efficere illud, quod verè eſt? Oportet enim ſemper, vt primum efficiens ſit actu exiſtens, & perfectum per tradita 8. phyſ. 40. & 9. met. 13. & 12. met. 40. vt modò dicam.

Tex. 40. 12. Met. aſſertur.

Cap. XII.

Nam. 40.

COncluſerat Princeps Peripateticorum in 12. diuinorum contextu 39. Deum eſſe viuens ſempiternum,& optimum. Sed opinio Pythagoricorum, atq; Speuſippi obſtabat, quoniam Deus eſt principium, quemadmodum ſanxit Ariſtoteles tex. 38. Aduerſarij autem dicunt ipſum optimũ & pulcherrimũ non eſſe in principio: ſed in principiato: argumento, quòd optimũ, & pulcherrimum non eſt in ſemine plantarum, ſed in floribus, & fructibus: neq; in ſemine animalium, ſed in animalis iuuentute, & virilitate.

Hanc obiectionem ſibimet obijcit Philoſophus tex. 40. duodecimi. *Quicunq; verò (ut Pythagorici, & Speuſippus) putant optimum, & pulcherrimum non eſſe in principio, eo quòd plantarũ quoque, ac animaliũ principia cauſa quædam ſunt: bonum verò, & perfectum in his eſſe, quę ex his ſunt.*

Diſſoluit Philoſophus illicò ſubdens. *Non rectè putant. Semẽ nanq; ex alijs prioribus perfectis eſt: neq; ſemen primum eſt, ſed quod perfectum eſt; veluti hominẽ dicere quiſpiam poſſit priorem ſemine eſſe, non illum, qui eo generatur: ſed alium, ex quo ſemen eſt. Quod itaq; eſt quędam æterna, immobiliſq; ſubſtantia &c.* Hæc dicta ſunt de primo ente, primoq; principio. Solutio eſt de principio effectiuo; nam homo generans eſt efficiens perfectum, ſemen verò efficiens imperfectum.

Negant aduerſarij in operante eſſe optimum,& pulcherrimũ, ſed ponunt in opere rationem pulcherrimi & optimi: hoc eſt, negant in principio effectiuo rationes iſtas, ponunt in principio finali, nam per 2. de cęlo 17. vnumquodq; cuius eſt opus, eſt gratia operis, ſicut & 9. met. 15. ac 16. aſſeritur. Quid igitur? ſentit ne Ariſtoteles primum principium eſſe effectiuum, aut non? ſi non, ſed finale tantùm: iam idẽ dicit, quod Pythagorici, primum effectiuũ non eſſe pulcherimũ, & optimum, ſed finem vltimum eſſe talem; fruſtra ergo illos ſibi aduerſarios putat. Præterea ſi primum principium eſt effectiuum, ſolutio de efficiente perfecto, &

imper

imperfecto, eſt ad propoſitum: ſi oſt finale ſolummodo, ſolutio nõ eſt ad propoſitum, ſed pro allijs cępas, vt aiunt. Quia obiectio, & ſolutio ſunt de efficiente. Diſtinguere autem oportuiſſet de principio effectiuo, & finali: atq; concedere ipſi fini eſſe optimum, & pulcherrimum, negare id efficienti, quemadmodum negabant Pythagorici & Speuſippus. Itaq; Ariſtoteles intelligit, quòd primũ principium effectiuum ſit Deus, in quo principio & optimum, & pulcherrimum, & perfectum inſit.

Num. 51. Conſimiliter in 14. metaph. cap. 6. quærit, an optimum ſit in principio, an in principiatis. Primóq; recentiores Theologos memorat, negantes, quòd primum principium ſit bonum; ponunt enim ipſum bonum eſſe vltimũ, quia principium omne, vt inexiſtens ponunt, ſicut vnum ineſt numero. Secundo memorat antiquos poetas, qui vltimum Principem, actu regnantem dicunt eſſe Deum, ſiuè principium entium. Vt Cęlum, Oceanum fuere Iouis progenitores. Sed poetæ non adulantur mortuis: ideò non dixerunt Cęlum, vel Oceanum eſſe principium entium, ſed Iouem. Mutant enim principia entium cum mutatione principum.

Tertio refert medios, qui non fabulosè hæc tractant, ſed ſeriò: at iſti ponunt principium generans eſſe optimum. *Quia*, inquit, *hi quidem eorum, qui miſti fuerunt, nec omnia fabulosè dicunt (vt Pherecydes, & alij quidam) primum generans optimum ponunt; ac etiam Magi, & poſteriorum quoq; ſapientum, vt Empedocles, & Anaxagoras, cum hic quidem amicitiam, ille verò intellectum principium fecerit.* Vbi noto illa verba. Nec omnia fabulosè dicunt, in græco eſſe οὐδὲ πάντα μυθικῶς ταῦτα λέγουσιν latinè verò: *Et non fabulosè hęc dicunt.* Laudantur hi ſapientes, quia ipſum primum generans, ſeu principium effectiuum poſuere eſſe optimum, ſicuti ſunt intellectus, & amicitia, tanquam effectiua poſita ab Empedocle, & Anaxagora. Nam ipſum nomen primi generantis in fronte portat ſignificationem cauſæ effectricis.

Dubitatione propoſita, reſoluit Ariſtoteles affirmatiuam, quòd Primum eſt optimum: ſed non eſt ipſum vnum, neq; eſt elementum numerorum; atq; ad hanc ſecundam partem rationes affert, non ad primam, niſi quia eſſe primum, perpetuum, ſufficientiſſimum ex eo competit, quia benè ſe habet. Concludit in fine capitis, ſicuti in tex. 40. 12. contra Speuſippum: *At etiam nec is rectè putat, qui vniuerſi principia, animalium, plantarumq; principio aſſimilat: quia ex indeterminatis, ac imperfectis ſemper perfectiora, & ideo etiam in primis ita ſe habere aiunt, vt nec ens aliquod ſit ipſum vnum. Verùm etiam hic perfecta principia ſunt, ex quibus hæc ſunt. Homo enim hominem generat, nec ſemen primum eſt.* Repe-

tit

tit obiectionem de principio effectiuo, da q; ſolutionem de principio effectiuo. Quapropter & ex laude mediorum, ſeu mixtorum doctorum: & ex obiectione, & ſolutione de efficiente, ſatis clarè apparet, Ariſtotelem ponere ipsũ effectiuum eſſe primum ens, & è conuerſo, primum ens effectiuum.

Num. 52. Ad extremum, in 12. met. vlt. contra negantes ſubſtantias ſeparatas arguit, & contra non ponentes vnum efficiens, vt principium. Contra priores ita. *Si non erunt alia præter ſenſibilia, non erit principium & ordo, & generatio, & ipſa cęleſtia; ſed ſemper principij principium, vt Theologis, & Naturalibus cunctis:* ſi non ſunt entia inſenſilia, non erit principiũ ? cuius modi, vel generis ? Materiale, formale, efficiens, finale? Entia ſeparata non ſunt materia, vel forma componentes: Principium autem generationis eſt efficiens: ſed & Dux eſt efficiens ordinis in exercitu, & paterfamilias domũ conſtituit, & princeps eſt principiũ mouens regni. Finis igitur, & efficiens continentur in ſeparatis entibus. Si enim non ſint inſenſibilia neq; cęlum & generatio, neq; generabilia erunt. Si rurſus ponantur inſenſilia, poſſunt poni, & cęleſtia, & ſubcęleſtia: ſubcæleſtia profectò genita ponuntur, atq; adeò effecta. Cęleſtia, vel ponuntur tanquam præcisè cauſata in ſuo eſſe à fine, vel tanquam cauſata ab efficiente. Secũdum dari opto; primum qui det, intelligat ab ſe probari oportere, quòd poſito fine, abſq; efficiente, ſequatur eſſe reale, & actuale entis ad finem. Dicunt hanc aſſertionem aliqui, ſed nimis magna petitio eſt, niſi vel inductione, vel demonſtratione fulciatur, monente id Ariſtotele in 8. phyſ. 15. Inductione ergo illam propoſitionem in rebus ſenſilibus non experior: atq; à ſenſilibus arguimus vt poſteà à notis, Sic Ariſtotelem conſueuiſſe aiunt. Aſt ego non animaduerti vel brauium ponere curſum in eſſe ſine curſoribus efficientibus: neq; mercedem, dare eſſe domui, niſi ædificator accedat. Neq; cibum poſitum ſequitur in ſuo eſſe homo, vel brutum, imò generans actiuè hæc ponit in eſſe. Deniq; finis ſolus, vt ſic habet ſolum eſſe intentionale, igitur non dabit eſſe reale, & actuale cuipiam, niſi efficiens actu, & realiter exiſtens, actu & realiter cauſans acceſſerit.

Proſequitur Ariſtoteles. *Si autem dentur entia ſeparata, ſicut formæ ſeparatæ, ideſt ideæ Platonis, & numeri ſeparati, vt Platonis diſcipuli, Speuſippus, & Xenocrates dicũt:* ait Ariſt. *Si autem erunt formæ, aut numeri, nullius cauſę erunt, ſi verò non neq; prorſus ipſius motus.* Argumentum eſt; ſi dantur formæ, & numeri ſeparati à materia, iſta non erunt cauſa vllius rei, ergo neq; cauſa motus æterni, vel temporalis. Ergo ſecundum Ariſtotelem abſurdum eſt ponere tales ſubſtantias ſeparatas, quæ non ſint principiũ motus.

motus. Certè ſi loquatur de principio motus finaliter, non rectè ait; quia forma & finis coincidũt; ſi iuncta materiæ terminando generationem, forma eſt etiam finis materiæ: ſi ſeparata, forma eſt intelligibilis, & amabilissimò propter intellectionem in primis ponebantur ideæ. Quare forma ſeparata poteſt eſſe finis, & coniuncta poteſt eſſe finis; proinde Ariſtoteles negat poſſe eſſe efficiens motus, & rectè, ſicut probauit 7. metaph.

Num. 14. Deinde contra non aſſignantes vnum principium efficiens: *Item*, inquit *quomodo numeri ſunt vnum, aut anima, & corpus, & omnino forma, & res, nemò aliquid dicit, nec dicere poteſt, niſi (vt nos) dicat, quòd vt mouens faciat.* Hęc tractatio eſt de primo omniũ principio, & explicatus duos habet argumentum propoſitum; primum intelligendo contra numeros ſeparatos, & formas ſeparatas à ſenſilibus, quomodo ſcilicet vnitates ſeparatæ fiant vnus numerus? Quomodo formę ſeparatę, cũ materia vniantur? Quod neq; dictum eſt, neq; dici poteſt, niſi dicant, ſicut Ariſtoteles dixit, ſcilicèt, quòd efficiens facit vnitates eſſe vnum numerum: & facit formam ſeparatam vniri materiæ. Quam explicationem, ſi ſequamur, iam cum Ariſtotele habemus dari efficiens numerorum ſeparatorum, & formarum ſeparatarum; tale autem efficiens nõ poteſt eſſe coniunctum.

Secundus explicatus eſt intelligendo Ariſtotelem de compoſitis ſenſibilibus: & de numeris item ſenſui ſubiectis. In quibus quærendum eſt, cum materia, & forma ſint duę res, quomodo ex eis vnum eſt? Itidem & multæ vnitates ſunt in numero, quomodo in vnum coaleſcunt? Reducit autem Ariſtoteles ad vnum mouens, ſiuè efficiens, quod facit numeros eſſe vnum: formam cũ materia vnit. Ait verò, ſe hoc dixiſſe; dixit vtiq; in 8. met. cap. vlt. Vbi poſtquam expoſuit cauſam internam, cur ex forma, & materia fiat vnum, ſcilicet quia materia eſt potentia, forma actus. Adiungit. *Quarè nulla alia cauſa eſt, niſi ſi quid facit, tanquam ex potentia in actum mouens.* In quem locum Aphrodiſeus reliquit ſcriptum. *Quo in loco diuinum viri huius artificium admirari licet, quo à poſterioribus (neq; enim aliter hoc fieri poſſet) nobiſque notis viam ad Deum Opt. Max. ac omnium parentem, ac conditorem cognoſcendum nobis cum ratione aperit: docens, vt faber ærarius cauſa eſt, vt æs, & globus vnum ſint; ſic facultatem vnitricem, ipſiuſue efficientem cauſam eſſe rerum omnium, vt ſic habeant, quemadmodũ ſeſe habent.* Quam doctrinam Philoponus quoq; in eũdem locum imitatur, ſicuti in pleriſq; aliis locis Philoponi annotationes excerptæ videntur ex Aphrodiſei commentario. Quęcirca, ſi in cęlo eſt vnio formæ accidentalis cum ſubſtantia cęleſti, nam magnitudo, raritas, denſitas, perſpicuitas,

cuitas, lumen, lux, figura, ſitus, motus, tempus cum cęlo vniũtur: & ex ſubſtantia, & accidente fit vnum per accidẽs. Igitur aliquod eſt efficiens vniens formas haſce cum cęlo: cælum non facit hanc vnionem, neq; corpus ſubcęleſte aliquod; igitur aliquod ens ſeparatum à magnitudine hoc facit. Item in cælo à plurimis ponitur compoſitio ſubſtantialis, vel materię cum forma corporeitatis, vel animæ cum corpore, vel intelligentiæ propriæ cum orbe: ſiuè dicantur hæ formæ eſſe informãtes, vt figura cæræ, ex 2. animæ 7. ſiuè aſſiſtentes, vt nauta nauis 2. animæ 11. Quid nanq; eſt quod faciat vnum ex tali actu cum tali orbe, eſt explorandum; atq; etiam cum orbes vniti ſint ad inuicem, & numerum quendam cõponant, puta orbium 55 ex 12. met. à quo vnitates iſtæ vnitæ ſunt, vt numerum vnũ faciant? Hoc dicere neceſſe eſt, ſed dici non poteſt, niſi detur efficiens primum incorporeum, quod faciat vnum ex forma, & re, cuius eſt forma, vnĩ ex vnitatibus numerũ. Deniq; totum vniuerſum eſt vnum, in quo partes ſuperiores cũ inferioribus vnitæ: cęlum eſt vt forma, ſubcęleſtia ſunt vt materia: à quo tanquam mouente ſunt vnum, niſi à primo ente, & efficiente, quod exponitur nomine mouentis? quanquam non omnis vnio ex propoſitis ſit, vt à tranſmutante, ſed aliqua ſolùm ab eo prodeat, vt ab efficiente.

Num. 55. Hos textus à me, & alijs collectos ad rem propoſitam, quod primum ens, ſiue ſubſtantia incorporea, & ſubſtantia immobilis, prima præſertim, ſit cauſa effectrix, abſoluam, ſi poſt notatos in phyſica, & metaphyſica, vnum vltimo loco adducam ex 2. de cęlo textu 36. vt mihi quidem videtur, apertiſſimum. Diſputat Philoſophus ibi de prima latione, quæ primi cęli eſt, eamq; eſſe regularem demonſtrat. Quoniam motus irregularis erit vel ex varietate mouentis, vel moti, vel vtriusq; *Nihil autem horum poſſibile eſt circa cęlum fieri: nam id, quod mouetur, oſtenſum eſt, quòd primũ eſt, & ſimplex, & ingenerabile, & incorruptibile, & omnino immutabile. Ipſum autem mouens multomagis rationabile eſt eſſe tale: primũ enĩ primi, & ſimplex ſimplicis, & incorruptibile, & ingenerabile incorruptibilis, & ingenerabilis motiuũ eſt. Quoniã igitur id, quod mouetur, non mutatur, cum ſit corpus; nec id quod mouet, mutabitur, incorporeum exiſtens. Quare & lationem impoſſibile eſt irregularem eſſe.* Iſthæc planè de mouente effectiuo dicta, à quo irregularitas eſt, vel regularitas. Nã centrum eſt finis immutabilis grauium, quæ tamen irregulariter ad centrum mouentur. Sed quid opus argumentis? locum relatum de efficiente, nolle intelligere poſſumus, at non intelligere de efficiente non poſſumus.

Soluuntur Argumenta in contrarium ex authoritate petita. Cap. XIII.

Num. 56. HActenus authoritates Ariſtotelis, quæ oſtendunt aliquod ens immobile, præſertim primum ens, eſſe efficiens, in medium profudimus. Nunc authoritates, quibus noſtra poteſt infirmari ſententia, producamus, atq; ſoluere adnitamur.

Primò argumentor ex libro primo meteor. ſum. 1. cap. 2. Vbi Ariſtoteles de mundo circa terrã exiſtente ſcribit. *Eſt autem ex neceſſitate continuus quodammodo iſte ſuperioribus lationibus, vt omnis ipſius virtus inde gubernetur. Vnde enim motus principium omnibus ineſt, illam cauſam putãdum primam.* Cęlum ergo eſt primum efficiens, ſiue eſt prima cauſa, vnde motus principiũ omnibus ineſt. Poſtulo itaq; ſi primũ ens eſt efficiens cauſa: aut eſt ſecunda, aut prima cauſa; non eſt ſecunda, quoniam omnis cauſa ſecunda in aliquo genere, dependet à prima in illo genere: ſed primum ens eſt ſimpliciter independens, ergo non eſt cauſa efficiens ſecunda. Sed neq; prima, quia duæ cauſæ efficientes primæ eſſe non poſſunt: Cęlum eſt prima cauſa efficiens, primum ens non eſt cælum, ergo neq; eſt primum efficiens.

Confirmatur idem ex eodẽ, in primo meteor. ſũ. 3. cap. 1. tractaturo de ſecunda poſitione aeris, & aquæ. *Sumendum autem*, inquit, *& horum principia, & cauſas omnium ſimiliter. Quod igitur eſt vt mouens, & primum principiorum, circulus eſt, in quo manifeſta ſolis latio, diſgregans, & congregans, ex eo, quia propè fit, aut longiùs, cauſa generationis & corruptionis eſt.* Quo ex textu rurſus clareſcit, quòd ſolis latio eſt mouens præcipuum, & primũ principiorum. Cęlum igitur, nõ primum ens, eſt primum principiorum mouentium. Hos textus ad præſentem diſceptationem à nemine, quem legerim, citatos vidi.

Reſponſio accipienda eſt ex 2. phyſ. 73. Duplex enim eſt mouens phyſicè, alterum phyſicum, quod eſt mouens motum, quo in ordine cęlum eſt primum mouens, prout locis oppoſitis ex meteor. primo legitur; alterum eſt non phyſicum, quod eſt mouens immobile, & omnium primum. Quam diſtinctionem de duplici motore rurſus leges in 8. phyſ. 50. *Eſt principium, horum quidem, quæ mouentur, id, quod ipſum ſe ipſum mouet: omnium autem id, quod eſt immobile* Leges item in primo de gener. 14. & libro de communi motione cap. 1. Num. 57.

Primum ens igitur eſt ſimpliciter primum efficiens, cęlum primum eſt in genere phyſico. Quia verò hæc reſponſio generalis eſt.

Alia ſpecialis ad loca primi meteor. dari poteſt. Non enim Philoſophus loquitur de prima cauſa

cauſa effectrice ſimpliciter, ſed ad hoc; nam cælum eſt primum mouens reſpectu ſubcęleſtium, non autem cęlum eſt primum ſimpliciter, vel primum in genere phyſico, niſi ſecundum illam partem, quæ eſt primus orbis, nã primus orbis eſt primum mouẽs mobile ex 2. de cęlo 68. In his autem textibus primi meteoror. ponitur latio ſolis eſſe prima cauſa reſpectu generationis, & corruptionis; ſed alia etiam prior eſt, nempè primũ cęlum ex 12. met. 34. & 2. de gener. 56. & 57. illud ſcilicet corpus, quod eſt cauſa ſimiliter eſſendi. Eapropter ſic reſoluo argumentum ex primo meteor. cap. 2. Illa cauſa, vnde principium motus omnibus ineſt, eſt prima, ergo illa cauſa, vnde principium motus ineſt inferiori mũdo, eſt prima reſpectu inferioris mundi. Sed mota omnia debent eſſe contigua mouenti ex 7. phyſ. 9. 10. &c. vel mediatè, vel immediatè, inferior autem mundus regitur à ſuperioribus lationibus ex 2. de gener. 56. ergo inferior ſuperiori mundo contiguus immediatè eſſe debet.

Sed ex vocabulo *immediatè* rurſus oritur tertia reſponſio: dicitur nanq; cauſa prima, vel à cauſa, & hæc eſt remota: vel prima ab effectu, & hæc proxima eſt. Paſſum cauſę proximũ, attiguum eſſe oportet. Igitur de cauſa prima ab effectu ſermo eſt, non de cauſa prima à cauſa ad effectum procedendo. Sic autem ſimpliciter prima cauſa efficiens eſt primum ens.

Hic obiter noto. Ex regimine mundi inferioris argumentũ ſumi ad concludendam efficientiam in cælo, à quo gubernatur, regiturq; mundus inferior. Cur ergo ex 12. met. vlt. cum entia omnia optimè gubernentur à ſupremo entium principe, non arguemus in primo efficientiam?

Franciſcus Piccolom. de cęlor. motor. cap. 16. attulit duas obiectiones ex textibus Ariſtotelis. Prima hæc eſt; Motor omnino immobilis mouet ſolùm, vt finis, non vt efficiens. Deus eſt omnino immobilis, quare ſolùm mouet, vt finis. Maior enunciatur ab Ariſtotele in 12. met. 36 dicente. *Mouet vt optabile, & intelligibile. Hæc enim ſola mouent, non mota*, Hoc eſt, ea ſola, quæ mouent, vt fines. nam optabile, & intelligibile fines dicuntur. Hinc Ariſtoteles in 8 phyſ. 52. cęteros motores ſub Deo poſitos, modo aliquo moueri indicauit: appetunt enim & intelligunt aliud: ſolum primum eſt omnino immobile. Nnnũ 58.

Reſpondetur negata maiore, quia ex 2. phyſ. 73. primum mouens mouet phyſicè, & eſt omnino immobile. Idem habes in primo de ortu 14. Nõ ergo finis ſolùm mouet immobilis, ſed etiam efficiens. Ad probationem, primò obſeruo, quòd non obſeruauit Piccolomineus, ab aduerſarijs infideliter poni in textu particulam. *Sola*. Quæ neq; in latino, neq; in græco eſt. Dato igitur, quòd finis moueat, non motus:

non tamen finis ſolùm, ſed etiam efficiens primum ita mouet, vt non moueatur, quod in primo de anima, & 8. phyſ. dictum annotauimus.

Neq; etiam concedo ipſum intelligibile, aut optabile mouere tantùm, vt finē, imò dico mouere, vt efficiens, ſi eliciat intellectionē realiter diſtinctam ab obiecto intelligibili. Nam intelligibile, & ſenſibile eſſe actiua apertiſſimè habemus in 2. & 3. de anima; eſſe autem finalia, non tàm liquidò oſtendunt aduerſarij, quibus hoc arguendi gratia, ſæpius condonauimus. Quæ autem eruditè affert Piccolom. apud ipſum lib. cit. cap. 18. legantur.

Secunda obiectio ex lib. 2. de cęlo 62 prompta eſt. *Videtur autem optimè ſe habenti ineſſe bonum ſine actione: proximo autem per exiguam, & vnam.* Et in tex. 64. *Ei autem, quod optimè ſe habet, nihil actione opus eſt: eſt enim ipſum id, cuius gratia; actio verò ſemper eſt in duobus, nempè in eo, quod eſt, cuius gratia, & eo, quod eſt eius gratia.* Ergo Deus non mouet, vt efficiens.

Reſpondet Piccolomineus, per actionem Ariſtoteles denotat mouere. Dubitauerat enim, cur primum mobile vno motu mouetur: nec in poſterioribus orbibus ſeruatur ordo, vt primo propinqui paucioribus, remoti pluribus motibus voluantur. Soluens conſiderat, non producentia motum, ſed recipientia, quæ per motum perficiuntur. Ita Ariſtoteles per habens bonum, & perfectionem ſine operatione denotat vniuerſũ genus ſubſtantiarum ſeparatarũ, quæ abſq; motu perfectione ſunt prædictæ: cæli autem per motum aſſequuntur perfectionem. His ſubſcribo. Solùm adijcio diſtinguendum eſſe inter ſubſtãtias ſeparatas, nam optimum eſt propoſitum, & ſeparatis ſubſtantijs, & cęlis. Optimum eſt ipſe finis, cuius gratia: participant optimo ſubſtantiæ ſecundæ ſeparatæ, & non per motum, eſto: cęli quidam participant ipſo optimo per motum, quidam non participant. Optimũ verò non participat, ſed eſt ipſum bonum per eſſentiam. Ideoq; textus eſt corrigendus, ne legamus, *eſt enim ipſum id, cuius gratia*: ſed ſic, *eſt enim ipſi id, cuius gratia.* Quod ideò dixi, ne participans optimo, & optimũ confundamus, vti ſanitatem cum habente. *Num. 58.*

Reſpondi alibi hunc locum 2. de cęlo declarans accuratè. Nunc obſeruo actionem, quę praxis Gręcè appellatur, eſſe eam, quæ ſupponit in agente indigentiam boni optati, vnde & adhibetur actio ad conſequendum finem. Idcirco homini, qui ſanitate potitur, actio non eſt neceſſaria, ipſe enim habet finem ſine actione, quæ eſt praxis. Homo autem ſine ſanitate, eget actione, vt purgatione, curſu, lucta.

Itaq; praxis dicit ex vſu vocabuli declarato ibidem ab Ariſtotele operationem conſecutiuã finis, & boni, qualis eſt in ęgro, nõ eſt in ſano. Hinc ait, ei, qui optimè ſe

Digitized by Google

mè ſe habet, actione non eſt opus, habet enim bonum ſine vlla actione. At in homine perfectè ſano, licet non ſit actio conſecutiua ſanitatis: tamen eſt operatio perfecta ex ſanitate procedens, cum enim actu eſt ſanus, tũc maximè operatur.

Concludo. Energia, ſeu actus ſecundus duplex eſt, alter mercenarius ad conſequendum bonum operanti, talis non eſt in optimo, neq; in eo, quod optimè ſe habet. Alter verò actus eſt liberalis, quãdo agens ex plenitudine perfectionis agit, & communicat bonũ, non recepturus. Et hæc operatio maximè conuenit ipſi optimo, & ſecundo loco ipſi optimè ſe habẽti per participationem optimi. Legantur textus, ſpero enim hanc expoſitionem non incongruam viſum iri.

Num. 59. Alias authoritates Philoſophi nõ adducunt aduerſarij, quò planè pateat ſe ex ſe, non ex Ariſtotele loqui. Non afferunt, inquàm, ex libris dogmaticis. Afferunt nonnulli ex moralibus. Qui, ſi aliquam ex moralibus authoritatem attulerimus, ſtatim reſpuunt, quia in libris exotericis, quia popularis, quia fabuloſa. His dicam cum Ariſtotele in 7. Politic. cap. 2 cap. 537. *Quod in ſe ipſos fieri nolent, hoc in alios facere non erubeſcunt: ipſi pro ſe iuſtitiam quærunt, pro alijs verò nulla eis iuſtitiæ cura eſt.* Irridetur Toletus, Suarez, & alij, quòd ad hanc quæſtionẽ nitantur authoritatibus moralium (vnde nos ab his abſtinuimus) ſed nolũt irrideri viciſſim aduerſarij, quando ex 10. ethic. cap. 8. omnem à Dijs actionem, & effectionem remouent. Et exinde gloriantur, ſe cum Ariſtotele à Deo omnem negare efficientiam.

Atqui Ariſtoteles illic negat actionem, quę eſt praxis, qua Dij inter ſe non vtuntur, neq; omnino praxibus virtutum moralium. Negat effectiones artificum humanorum, quibus Dij faciant ædes, telam, gladium. Hoc eſt, negat operationes mercenarias ad egeſtatem ſui ipſorum propulſandam. Alioqui capite ſequenti 9. decimi cum ſapientibus inſi Deo ponit actiones iuſtitiæ erga homines ſapientes. Scilicet energia liberalis eſt in primo ente ad communicandum eſſe, & bonũ, non autem mercenaria ad recipiendum, adipiſcendumue eſſe, aut bonum.

Num. 60. Sed præter hanc authoritatem ex moralibus ab aduerſarijs iactatam, ego alias obſeruaui, quas referre, & explorare conſtitui. In 7. politic. cap. 3. Philoſophus indicaturus homines ſpeculatiuos non eſſe deſides, ſed actuoſos, habereq; actionem, ideſt, praxim, quæ eſt ſpeculatio, in qua conſiſtit eorum benè eſſe, & benè agere. Id probat ſcilicet, quòd ſpeculatio ſit bona actio, πρᾶξις quia niſi ita dicatur de homine ſpeculante, quod benè agat actione interna, (& ſi non agat actione externa, quæ eſt ad aliud) tunc neq; Deus, neque mundus benè eſſent, aut agerent; quoniam Deus, & mundus non habent

actiones externas, præter proprias internas ipsorum. Textū appono. *Vix enim Deus benè se haberet, ac mundus totus, quibus non sunt actiones externæ, præter proprias ipsorum.* Igitur Deus nō habet secundum Aristotelem actionem externam, quæ est ad aliud, sed internam tantùm ad seipsum. Sicuti mundus extra se ad aliud actionem nullam habet, sed intra se solummodo.

Ita quoq; in 7. Nicom. cap. vlt. scriptum reliquit. *Nam si alicuius natura simplex est, ei semper eadem actio (πρᾶξις) erit iucundissima; atq; idcirco Deus semper vna, ac simplici voluptate gaudet: neq; enim motionis tantùm, sed immobilitatis operatio quoq; est: magisq; in quiete, quàm in motu voluptas consistit. At verò mutatio omnium res suauissima est, vt poeta inquit, ob prauitatem quandam.* Quæ eadem in lib. 6. ad Eudem. cap. vlt. habentur. Si vnica duntaxat est Dei actio, eaq; interna, qua seſe contemplatur: Deus verò est primum ens, sanè primum ens nullam actionem extra se agit, neq; effectricis caulæ operationes exercet.

Respondeo. Philosophus in 7. Nicom. & 6. Eudem. loquitur nō de quacunq; operatione, sed de illa, qua Deus est felix, beatusq; & qua Deus voluptatem percipit. Illa verò est actio, siuè energia immanens, quæ est speculatio sui: iuxta præscripta in 9. met. 16. *Visio in vidente, speculatio in speculante, & vita in anima: quare & felicitas etiam, vita nanq; quædam est.* Vita igitur Dei pro actu secundo, interna Deo est, imò est ipsa simplicissima Dei substantia. Aliæ operationes, quibus vel facit mundum, aut, quæ in mundo facto sunt, facit vel regit, nihil vel felicitatis, vel voluptatis Deo conferunt; quippe qui seipso optimus bona sua communica talijs rebus, nulla recipit, nullius enim est indigus. Quocirca Aristoteles à Deo negat actionem mercenariam, non operationem liberalem.

Quibus locis nota, etiam Deo tribui praxim, atq; speculationē praxim appellari, & eupraxim, idest, bonam actionem, vt in 7. politi. Quæ locutio videtur pugnare cum 2. de cælo, vbi praxis negatur optimo, saltem ei negatur indigentia ipsius praxis. At hisce locis praxis videtur necessaria Deo, nā nisi eam habeat, neq; felix, neq; voluptate delibutus erit. *Num. 61.*

Respondeti potest, nomen praxis præsupponere indigentiam in agente, atq; adeò propriè remoueri à primo ente: significare item operationem acquisitiuam boni eidem agenti. Cum igitur in 2. de cælo Aristoteles loquatur de actione externa, quæ nullum prorsus bonum primo optimo cōfert, cum ex 1. cæli 100. primum diuinissimum nullo suorum bonorum indigens sit. Idcircò probè negata est praxis à Deo. Sed in locis moralibus relatis nomen actionis extenditur ad operationes, etiam internas, scilicet ad speculatio-

Digitized by Google

culationem, qua Deo, nedum bonum, ſed ſummũ bonum præſto eſt (niſi enim intelligat, quid erit inſigne, ac venerabile? 12. met. ſ 1.) ideò praxis interna in *Deo* collocatur, non tamen cum indigentia, quia eſt eadem cum ſubſtantia Dei; at nemo ſeipſo indiget.

Hac reſponſione etiam tollitur obiectio ex lib. 7. politic. quia de actione, qua Deus, & homo felix eſt, ſermo contexitur. Deus actione ad ſe præcisè, quæ eſt ſui ſpeculatio, eſt beatiſſimus. Homo actione externa ad alium, & actione interna ad ſeipsũ; atq; hæc ſecunda eſt potior. Aliter tamen *Deus*: quia & ex ſubiecto, & ex obiecto ſpeculatio in Deo, eſt *Dei* propria, atq; interna, nam ſua ſui ipſius ſpeculatio de ſe; vt obiectum in ſe, vt ſubiecto eſt, neq; extra tranſit. Speculatio verò felicitas ſecundos intellectus intelligentiarum, vel hominum, eſt interna, & propria ex ſubiecto, at non ex obiecto; nempè non ſui ipſorum, ſed Dei contemplatione beantur. Lege vltimum ad Eudemum in calce. Qua ex re poteſt intelligi, quare ſpeculatio praxis, ide[1], actio valeat nuncupari, quoniã in primo magn. moral. cap. vlt. Actio, quæ πρᾶξις, & factio, quæ ποίησις diſtinguuntur, quòd illa eſt in agente, hæc in facto. Quia verò ſpeculatio ſimiliter eſt in agente, non in facto, idcirco ſpeculatio poteſt dici praxis. Verè tamen energia communis diſtinguitur, ex 9. met. 16. in eam, quæ non relinquit aliquid per ſe ſtans, & eſt in agente, vt ſpeculatio in ſpeculante; & in eam, quæ relinquit, eſtq; in facto, vt factio in eo, quod fit, atq; omnino motus in moto. Itaq; quoniam nulla eſt praxis in ordine ad alia à ſe mutanda, vel facienda; quia tunc reciperetur in Deo, ideò in Deo negatur omnis praxis externa duas ob cauſas, & propter rationem immanentis in agente, quia praxis de nouo in Deo reciperetur, & propter ſuperius indicatam, quia nulla operatio ad extra confert aliquid boni Deo. Sed in mundo non ita propriè negatur praxis, tùm quia cœli primò habent praxim ex 2. de cælo 62. &c. tùm quia motus eorũ qui praxis appellatur, immanet in cœlis, ſunt nanq; in potentia paſſiua.

Quin etiam, quia hęc praxis cœlorum eſt in ordine ad primũ mouens immobile, qui nulla pars mundi eſt ex lib. de comm. mot. cap. 3. & 4. qui non eſt pars exercitus, & ordinis vniuerſitatis, ſed eſt ſupra, per 12. met. ſ 2. Idcirco videtur ſibi Ariſtoteles contradicere in 2. de cælo, concedens cœlis praxim externam in ordine ad aliquid extra conſequendum, & in 7. politic. negans mundo praxim externam, cum totus mundus agat propter Deum, & Dei cauſa, qui eſt externus mundo.

Niſi dicamus comparari poſſe Deum, & mundum vel inter ſe, vel ad quiduis tertium. Poſteriore modo neq; Deus, neq; mundus ad aures Ariſtotelis habent

actio-

actionem ad aliud. Priore, & Deus ad mundum, & mundus ad Deum habent operationem: sed operatio diuina non verè est praxis, tùm quia liberalis, tùm quia non immanens. Operatio mundi, quia nō liberalis, & quia immanens, ita est energia, vt praxis iure valeat nominari.

Num. 72. Tertiò mihi locus occurrit in 7. Eudem. ad calcem. Docet quōlibet instituere debere vitam iuxta habitudinem imperantis principis. *Is autem duplex est, aliter enim medicina, aliter sanitas imperat, & huic illa destinatur. sic & in contemplatiuis principatus habet. Neq; enim iubendo Deus imperat, sed cuius gratia prudentia est.* Itaq; Deus non imperat iubendo, sicut medicinalis facultas, sed sicut sanitas, & finis. Locus hic omnibus ab aduersarijs ommissus valentior omnibus est authoritatibus, quibus negatur à Deo modus causæ efficientis, cōceditur modus causæ finalis. Deus enī vt finis præscribit agēda, & speculāda; recta ratio præscribit vt efficiens, vt ibidem constat. Sed fortè aliud est dicere, an Deus nobis specialia iura, & leges actionum præscribat, quod communiter loquendo, non facit. Aliud, an vniuersum effectiuè gubernet, moueat, faciatq; quod certè præstat effectiuè, non finaliter, quia gubernare est efficiētis causæ, non finalis 4. phys. 2 3.

Postremo in 4. Topicorum loco 65. Aristoteles regulam profert ad explorandum, si genus propositę speciei sit rectè assignatum, aut perperam: regula est. si species aliqua sit propter se honorabilis, vel eligibilis, quæ assignetur esse in potestate, vel potente, vel effectiuo, vt in genere: male assignatum est genus. Nam omnis potestas, & potens, omne effectiuum est eligendum propter alterum; si species est eligenda propter se, ergo eadē res erit eligēda propter se & propter alterū, quod est absurdum. Nunc argumentabor. omne effectiuum est eligendū propter alterum. Primum ens non est eligendum propter alterum; ergo primum ens non est effectiuum.

Respondeo. Regula vera est in efficiente mercenaro, de quo plura sunt exempla in Topicis. De liberali effectiuo neque regula, neque regulæ probatio est.

LIBER

VESTICATIONIS SECVNDAE LIBER SECVNDVS

Apparatus ad rationes de primo efficiente.
Caput Primum.

Num. 61. NVnc experiamur, quid ratione possimus, ratione, inquam, super Aristotelicis nixa principijs ad concludendam efficientiam de ente incorporeo, & præsertim de primo ente. In cuius rei gratiã nonnullæ mihi positiones, aut suppositiones præmittendæ videntur.

Prima, Causa est, ad cuius esse sequitur aliud esse; quę descriptio communiter est accepta; ex qua consequitur, quod Nullum causatum ex se habet esse, sed ex causa: omne causatum est per se dependens à per se causa sua: omneq; causatum est per se posterius sua causa.

Secunda, Omnis causa prima in aliquo genere causæ, habet esse incausatum, & independens in illo genere: quare & habet ex se esse in tali genere. Si verò est aliqua causa simpliciter prima illa erit simpliciter incausata, & independens in omni genere causæ, atq; ex se prorsus esse est habitum.

Tertia, Omne ens in effectum habet esse ex se, id est non ex alio, vel ab alio effectiuè, quare est independẽs à causa efficiente. Hęc suppositio prius declaretur, postea probabitur. Pro declaratione obseruo, Philosophum inter plures rationes allatas in genere causæ efficientis, duas præsertim attulisse, vna est facientis ad factũ, altera transmutantis ad transmutatum, consule: 2. phys. 1 9. & 5. met. 2. atq; 20. sic statuarius habet rationem transmutantis in cõparatione ad æs, quod transmutatur à priuatione figuræ ad figuram: sed figura non est subiectum transmutationis, neq; statua; quare neq; transmutatur. Sed figura est terminus ad quem partialis, statua terminus ad quẽ totalis ipsius transmutationis. Habet verò statuarius rationem facientis respectu figuræ, & statuę, quia forma accipit esse prius natura, & statua posterius natura per factionem ab efficiente. Sanè causa efficiens transmutans est prior transmutato, & faciens est prior facto, authore Aristotele in lib. de comm. mot. cap. 5. *Præcurrere* Num. 66.

rere enim, inquit, *debet motor id, quod mouetur: & genitum genetans; nihil autem ſeipſo eſt prius.* Vnde inferro, quòd primum tranſmutans eſt prius omni tranſmutato, & primum faciens eſt prius omni facto. Relict. pro nunc ratione tranſmutantis, ſuppoſitio noſtra eſt de ratione facientis, & facti, in qua ratione faciens communicat eſſe ipſi facto, & factum recipit eſſe a faciente. Nunc probatur ſuppoſitio propoſita; cũ enim omne ens ſit factum, vel nõ factũ: ẽs nõ factũ, nõhabet eſſe ex alio, vel ab alio effectiuè. Si nãq; aduerſarius oppoſitũ dederit, arguam. Quod habet eſſe ab aliquo faciente eſt factum, per naturam correlatiuorum: ſed per aduerſarium ens non factum, habet eſſe ab aliquo faciente, & effectiuè, ergo ens non factum eſt factum, quod eſt abſurdum. Vera eſt igitur ſuppoſitio.

Num. 64. Quarta, Eſſe ineffectum nullam dicit imperfectionem, & poteſt ſtare cum ſumma perfectione. Quia primum ens eſt ineffectum, inſuper primum ens eſt ſine omni imperfectione: igitur eſſe ineffectum ſine omni imperfectione eſſe poteſt: poteſt eſſe, & eſt cum omni perfectione, atq; de ſe nullã dicit imperfectionem, nè illa in primo ennũ principe ponatur.

Quinta, Omne efficiens ſiue ſit tranſmutans, ſiue faciens eſt actu exiſtens: quare actualitas eſſendi eſt neceſſaria dignitas efficientis. Id clariſſimè, & præciſſimè aſſertum eſt 9. met. 13. *Semper etenim ex eo, quod potentia eſt, fit actu ens ab actu exiſtente, vt homo ex homine, muſicus ex muſico, ſemper aliquo primo mouẽte, mouens autem actu iam eſt.* Et in tex. 17. eiuſdem libri. *Tempore ſemper præcedit actus, alius ante alium vſq; ad eum, qui eſt primò mouentis.* Idem leges in 12 met. 16. & 40. & in 3. phyſ. 17. & 8. phyſ. 40. Denq; in 2. de genet. & corr. 55. *Multò enim rationabilius ens non enti generationis cauſam eſſe, quàm non ens enti ipſius eſſe.*

Conſectarium eſt. Primum efficiens eſt ex ſe actu exiſtens, non ex alio habens actualitatem eſſendi in genere efficientis: per ſecundam ſuppoſitionem; effectũ autem non ex ſe, ſed ex efficiente ſuſcipit actualitatem eſſendi.

Sexta, Primum efficiens eſt perfectum in ſuo eſſe, effectus autem recipit ſuum eſſe, & perfectionem ab efficiente. Expreſſa eſt in 12. met. 40. & in 14. met. cap 6 & in 4. meteor. ſum. 1 cap. 4. Perfectum dicimus ſic, cum poteſt efficere quale ipſum. Vnde & in 2. de anima 34 Imperfecta non poſſe perfecta viuẽtia poſſe facere quale ipſum, dicuntur. Vt appareat in efficiente prius natura eſſe perfectionem illam actu, quam in effectum poſterius natura inducit.

Septima, Efficiens eſt cauſa extrinſeca per ſe, ſed per accidens quãdoq; eſt cauſa intrinſeca facto, nimirum, quando in eodem ſuũ- Num. 65.

sunt actus, & potentia, siue potentia actiua, quæ fundatur in actu, & potentia passiua, quæ fundatur in potentia: & absolutè appellatur potentia, vel potentialitas, inflexo vocabulo ad discriminandam potentiam passiuam ab actiua. Constat hæc suppositio per diuisionem causarum communiter approbatam, aliæ enim sunt internæ, vt materia, & forma: aliæ externæ causato, vt finis, & efficiens. Id etiam constat inductione, nam ædificator non est pars interna ædificij, neq; cœlum subcœlestium, neq; pater filij: Argumentum quoq; Aristotelis in 8. phys. 36. 37. 38. idem reuincit. Si faciens omne etiam fit, aut patitur, aut hoc est per accidens, aut per se. Si per accidens, potest efficere, & nõ fieri ac non pati; quod enim per accidens inest, potest no inesse, & non semper inest. Si per se, hoc erit vel eadem ratione actionis, vel alia; non eadem, quia tunc ædificans ædificaretur, docens doceretur, proijciens proijceretur. Non alia, quia tunc ferens augeretur, auctum alteraretur, alteratum ferretur, aiq; tãdem ferens ferretur. Id autem vel est impossibile, vel figmento simile.

Deniq; nunquam videmus in generatione substantiali, vt generans sit pars geniti: idq; Aristoteles contendit in primo de gener. anim cap. 21. & 22. integris: appono pauca ex. cap. 21. *Nam cum in vniuersum animo complectimur, non ita effici vnum ex patiẽte, agenteq; videtur, vt quod agit, in eo quod efficitur, insit: nec omnino ex eo, quod mouet, & quod mouetur, quicquam constituit. At fœmina quidem, qua fœmina, patiens est: mas, qua mas, agens, & vnde principium motus. Itaq; si extrema vtriusq; sumantur, qua alterum agens, & mouens, alterum patiens, & quod moueatur, sit: non ex ijs vnum, quod gignitur, est, sed ita vt ex fabro, & ligno lectus, aut ex cera, & forma globus.* Igitur efficiens est causa externa facto, ita ut neq; efficiens principale, vt mas, neq; instrumentale, vt semen, concedatur ab Aristotele esse pars facti. Quamobrem si in eodem concurrant actiuum, & passiuum, mouens & motum, vt in animatis mouentibus se, hoc est per accidens; vnde & ibi anima est, quo mouet; corpus, quo mouetur; sed quod mouet, vt quod, & quod mouetur, vt quod, est totum; & semper debet præsupponi aliquid, vt quod mouẽs, quod primò moueat. nec sit pars rei motæ, sicut de vniuerso docet Aristoteles lib. de communi motione cap. 4.

Octaua, & Vltima suppositio est. Primum efficiens est causa effectrix omnium efficientium secundorum, & omnium effectorum à secũdis efficientibus. Probatur ex Aristotele in 2. diuinorum 6 probante dari vnam primam causam in genere efficientis, quoniam *At ediorum, quorum extrà aliquid vltimum, & primũ est, necesse est, quod prius est, nam-* Num. 66.

ſam eſſe eorum, quæ poſt illud ſunt. Si enim dicere nos oportuerit, quid trium cauſa eſt, primum dicemus: non enim vltimum, nullius enim, quod vltimum eſt; neq; medium, vnius enim. Nil enim differt vnum, an plura ſint, nec infinita, aut finita. Infinitorum quidem hoc modo, & omnino infiniti partes omnes mediæ ſunt, ſimiliter hucuſq; quare ſi primum nihil eſt, omnino nulla cauſa eſt. Vbi Ariſtoteles ponit tria, primum efficiés medium efficiens & effectum, tertium effectum Si ergo nos velimus ex iſtis tribus aſſignare, quod nam eſt cauſa, non aſſignabimus tertium, quia eſt effectus tantùm, & nullius cauſa. Neq; aſſignabimus ſecundum, quia eſt cauſa vnius tantùm, ideſt, tertij, & non cauſa efficiens ſimpliciter. Ergo primum erit cauſa ſimpliciter. Ex iſta ratione conſtat, quòd primum eſt efficiens ſecundi, quia ſi primum ſit cauſa tertij ſolummodo, neq; ipſum primum erit cauſa, niſi vnius, ſicut neq; medium eſt cauſa, niſi vnius. Quare propter eandem rationem, qua ſecundum non eſt cauſa ſimpliciter, quia eſt cauſa vnius, ita primum non erit cauſa ſimpliciter, quia eſt cauſa vnius. Itaq; Ariſtoteles intelligit, quod primum in genere efficientis ſit cauſa tantum tertium ſit cauſatum tantùm, medium ſit cauſatum, & cauſa, atq; adeò non ſimpliciter cauſa. Confirmo ex prima propoſitione textus, quia vbi datur primum, medium, & vltimum, primum eſt cauſa eorum, quæ poſt illud ſunt. Atqui poſt primum efficiens ſunt ſecunda efficientia in eodem genere, ergo primum efficiens eſt efficiens ſecundorum efficientium Nec refert, ſi inter primam cauſam, & vltimum effectum ſint plura media, eadem enim eſt ratio de omnibus: nam vniuerſitas cauſatorum eſt cauſata ab aliquo extra illam vniuerſitatem, alioqui eſſet circulus in per ſe efficientibus, ſi vniuerſitas cauſatur ab vna ex partibus ſuis; quia illa cauſaretur ab alia, quæ eſt cauſata à priore data. Quòd autem prima cauſa detur, probat, quia ſi itur in infinitum in per ſe efficientibus, nulla eſſet prima cauſa; ſed remota prima, nullum cauſatum ab ipſa erit, ergo nulla cauſa ſecunda erit, quia ſecunda quoq; à prima eſt facta. Apparet autem efficacia rationis hic eſſe ex ratione facientis, per quã probatur primum faciens ſicut in 8. phyſ. 34. ex ratione mouentis probatur primum mouens. Illic ſi infinitorum nihil eſt primũ, non exiſtente primo neq; poſteriora mouentia erunt, per dicta 5. phyſ 13. Hic autem in 2. met. 6. non exiſtente primo faciente, nullum faciens erit. Atq; vt Ariſtoteles metaphyſicum verè agat, in ratione 2. metaphi. nil de motu, vt phyſ: agat, in ratione 8. phyſ. ſolùm de motu agitur.

Num. 69.

Concludamus. Siue ſit vnũ medium inter primum efficiens, & vltimum effectum, ſiue ſint multa

multa media, vel alterum ſub altero, vel plura ſub primo; Primum efficiens eſt cauſa omniũ, quæ poſt ſe ſunt, effectrix, ſiue medij ſiue vltimi; His iactis fundamentis, rationes, erigamus ad oſtendendam efficientiam in eſſe entibus incorporeis, in primo præſertim.

Primum efficiens non eſt corpus, vel in corpore. Cap 11.

Num. 67. PRima ratione oſtendemus, quòd cauſalitas efficientis primi eſt à toto genere prior cauſalitate materiæ, & cauſalitate formæ: quæ duę propterea, concauſæ potiùs, quàm cauſę dicuntur. Quod enim habet per ſe rationẽ partis, neceſſariò quoq; habet rationẽ imperfecti reſpectu totius, totum nanq; eſt parte maius. Sed cauſalitas materiæ, & cauſalitas formę per ſe habent rationem partis inexiſtentis in toto; ergo habent per ſe annexam rationem imperfecti. Porrò cauſalitas efficientis non requirit per ſe rationem partis internæ, imò efficiens eſt cauſa externa facto' per 7. ſuppoſitionem, & primum efficiens eſt cauſa actu exiſtens, & actu perfecta per ſuppoſitionẽ 5. & 6. Igitur cauſa efficiens prima habet perfectionem oppoſitam imperfectioni repertę in materia, & forma. Atqui perfectum & prius naturaliter imperfecto ex 8 phyſ. 75. & primo de cęlo 12. Igitur cauſa efficiens eſt per ſe prior naturaliter cauſis materiali, & formali.

Corol. 1. Primum efficiens eſt prius naturaliter omni compoſito ex materia, & forma, ſiue id compoſitum ſit ſubſtantiale, ſiue accidentale. Quod enim eſt prius priore, eſt prius poſteriore. Sed primum efficiens eſt prius naturaliter omnibus partibus cõponentibus, vt materia, & forma ergo eſt prius compoſito ex illis partibus internis cauſato, nã per ſuppoſitionem primam cauſa eſt prior cauſato; materia, & forma, ſunt cauſæ compoſiti internæ, & cauſæ per ſe compoſiti ſubſtantialis, cauſæ per accidens compoſiti accidentalis. Itaq; primum efficiens eſt prius partibus per ſe, i. materia, & forma. Itẽ materia, & forma per ſe ſunt priores compoſito ſubſtantiali, & per ſe; compoſitum per ſe eſt prius compoſito per accidens, igitur primũ efficiens eſt prius his omnibus.

Corol. 2. Primum efficiens eſt prius naturaliter cęlo, atq; ſubcęleſtibus. Quia cęlum ex materia, & forma conſtat, vt pleriq; ex aduerſarijs fatentur, & Ariſtoteles aperè in primo de cælo textibus 93. 94. 95. Cælum item compoſitum eſt ex ſubſtãtia, & magnitudine, aliiſq; accidentibus: atq; cælum motum ex ſubſtantia cæli, magnitudine, & motu; itaq; primum efficiens eſt prius naturaliter, quàm hæc omnia compoſita. Si autem eſt prius cælo, certè & ſubcæleſtibus eſt prius naturaliter. Neq; obſtat, qui dixerit, cęlum eſſe corpus ſimplex, nõ ex forma, & materia, ſed habere aſſiſten-

aſſiſtentem ſibi motricem intelligẽtiam; ſiue enim forma informet ſicut figura æram, ſiue aſſiſtat ſicut nauta nauiex eis fit vnum. Sed omnis multitudo continetur ratione alicuius vnius vnientis, & retinentis in illa vnione, prout primo de anima 90. Anima dicitur continere multitudinem membrorum corporis in ratione formæ. Et vnum primum mouens continet totã multitudinem mobilium, atq; mouẽtium tum mobilium, tum immobilium, in genere efficientis ex 8 phyſ. 46. & 47.

Hinc arguo. Tota multitudo mobilium, tota multitudo mouentium mobilium, atq; mouentium immobilũ per ſe, & mobilium per accidens debet reſolui in vnum per ſe mouuam, quod non mouetur, neq; per ſe, neq; per accidens. Ratio eſt, quia primum efficiens non poteſt eſſe pars: omne mouens mobile per ſe aut per accidens eſt pars vnius totius ex mobili & motu, ergo nullum tale eſt primum mouens effectiuè. Quare neq; cælum, aut anima cæli, qualitcunque ea ſit.

Num. 68. Corol. 3. Primum efficiens eſt ens ſeparatum à magnitudine, & incorporeum prout 8. phyſ. vlt. & 2. cæli 36. de primo in ratione mouentis dictum. Nullũ vtiq; corpus, vel exiſtens in corpore eſt prius cælo eiusq; principijs conſtitutiuis: at primum efficiens eſt prius cælo, atq; materia, & forma, & omnino principijs conſtitutiuis cæli: atq; adeò corporibus omnibus eſt prius, ergo nõ eſt corpus, vel corpus conſtituens: quare neq; habet magnitudinẽ, neq; illi eſt coniunctum.

Poſtremò, quia in primo de cælo 4. vniuerſum corpus ex cœleſtibus & ſubcœleſtibus eſt perfectum, & totum: partialia corpora non ſunt ſimpliciter tota, & perfecta, liquet, neq; cælum ex ſe eſſe totum, & perfectum, cum egeat alijs compartibus, vt ex eis totum vniuerſum corporale coagmentetur. Item ex ſe non eſt plenum, ſed aliud corpus contentum replet cælum, vnde & cæli inferiores ſuperiore egent, & ſuperius inferioribus: item egent centro naturali ſtabiliente cælũ. Si eadem ratione omnes vniuerſi exercitus entium partes, & inter ſe, & ad entium ducem (qui extra, & ſupra ordinem eſt) ordinatas contemplemur; nulla earũ digna videtur, quæ primum efficiens, & primũ mouens ſit; quia primum efficiens facit partes ordinatas (de multis non eſt controuerſia, vt de temporalibus) ordinem q; earundem ad cæteras facit. quare ſi primum efficiens eſt pars ordinata, erit pars inferna iſtius totius ſimpliciter, quod eſt factum. Atqui primum efficiens eſt externum facto, & non pars eius. Ergo nullum ex entibus corporeis, vel incorporeis eſt primum efficiens, ſed ſolum primum ens, qui & finis primus, & primum efficiens.

Secunda ratio eſt. Omne ſim- Num. 69.

plex

plex eſt prius natura compoſito. Ratio potentiæ paſſiuæ, & ratio potentiæ actiuæ ſunt ſimplices: item ratio mouentis, & ratio moti ſunt ſimplices: id autem, quod ex his conflatum eſt, eſt compoſitum, igitur potentia actiua, & mouens eſt prior natura ipſo cõpoſito ex mouente, & moto, ex actiuo & paſſiuo. At verò omnis gradus entis inuenitur in rerum natura, hoc enim melius. Quare ſi inuenitur in rerum natura aliquid per ſe ſubſiſtens, quod mouetur tantùm effectiuè: & aliquid, quod mouet, ac mouetur effectiuè, etiam inuenietur aliquid per ſe exiſtens, quod mouet, & non mouetur, agit, nec patitur. Certè perfectius eſt mouens moto, & actiuum paſſiuo, ex 3. animæ 19. ſemper eſt honorabilius agens patiente, & principium materia. Certè per ſe ſubſiſtere magis cõperit actui, quàm potentiæ, agens verò, quatenus agens, actu eſt, patiens potentia 3. phyſ. 8. Actiuum etiam eſt per ſe cauſa externa, vt diximus.

Hæc ratio eſt Ariſtotelis 8. phyſ. 37. & 12. met. 35. & eandẽ in terminis cauſæ facientis conſtruxit 2. met. 6. Si tertium eſt cauſatum tãtum ſcilicet factum, medium eſt cauſa, & cauſatum, ergo etiam erit aliud, quod eſt ſolummodò cauſa efficiens.

Hinc cælum non eſt primum efficiens, quia cælum eſt compoſitũ ex efficiente, & effecto, ex mouente, & moto, ex potentia actiua, & paſſiua. Simplex autem perfectum per ſe prius inuenitur compoſito imperfecto, & vniuerſaliter in omni diuiſione entis, membrum perfectum eſt prius natura, quàm imperfectum, & ab imperfecto infertur. Igitur primum effectiuè mouens eſt prius natura cælo, quia eſt ſimplex, vt nunc probatum eſt, & eſt perfectum, quemadmodum in ſuppoſitione 6. oſtendi. Quamobrem & primum efficiens, primumuè mouens eſt quid incorporeum, ideſt actus ſimplex ſine potentia paſſiua; ſiquidem omne corpus eſt in potentia paſſiua ad motum, atq; ad terminum motus.

Aliæ rationes afferuntur. *Cap. III.*

COnſiderentur duo, ens non factum, & ens faciens. Primum faciens eſt ens non factũ, per ſuppoſitionem ſecundam: & quia ens non factum eſt ex ſe ens, & independens in genere efficientis, per ſuppoſitionem tertiam; idcircò ex ratione entis nõ facti nullam dicit imperfectionẽ ex quarta ſuppoſitione. Itaq; ex ratione non facti adeſt independentia ab efficiente, neceſſitas eſſendi in rerum natura per probationem tertiæ ſuppoſitionis, & puritatem ab omni fæce, quatenus huiuſmodi. Item primum efficiens eſt actu exiſtens, per quintam eſt perfectum, per 6. nõ habet rationem partis & imperfecti, per 7. Igitur ex hac ratione habet actualitatem æternitatem per- Nume. 69.

perfectionem, quæ non est per se pars. Cum igitur hæc prædicata eadem sint in primo fine sine controuersia: cur ponuntur duo principia prima essentialiter distincta, & non potius vnum ratione duo? semper pauciora præeligenda, si autem fieri possit, vnum eligendum, omnis enim multitudo resoluitur in vnitatẽ, lege 1. phys. 41. & apertius 8. phys. 48.

Primò igitur ostendam, quod ratio finis, & ratio efficientis possunt coincidere. Secundo ostendam, quòd ratio finis primi, & primi efficientis coincidunt.

Probatio prioris dicti habetur in 12. met. 55. quo loci de primo efficiente, & primo fine agitur, quòdq; hæc duo in idem concurrant, inductione firmatur, quia ars medicinæ est quodammodo sanitas, nempè, est sanitas sine materia, & in intentione agentis, ergo finis & efficiens idem sunt re ratione, discernuntur. Item homo vnus gratia sui multa facit, nam sumus nos non modò efficiens, sed etiá quodammodo finis 2. phys. 24. Cælum quoq; est efficiens, & finis motuum subcælestium (sicut & cæli motus) est efficiens tanquam primum mouens motum 2. de gener. & corrup. 55. & 56 &c. Est finis 2. cœli. 1

Ad hæc in 9. Nicom. cap. 6. cat. 147. quæritur an quispiam sibi amicus esse possit, & quemadmodum amici gratia facit, sic facere valeat sui ipsius causa. Satisfit quæsito, affirmando pluribus, è quibus pauca hæc promo. *Et vult etiam sibi ipsi bona, & quæ apparent, atq; agit. Boni enim est sui quoq; causa bonum elaborare: intellectiuæ siquidem partis gratia, quæ esse vnusquisq; videtur.* Imo amicitia erga se est mensura amicitiæ erga alterum. In amicitia erga alterum, finis, gratia cuius est vna persona, efficiens aliquid illius finis gratia, est altera: in amicitia erga se eadem persona vt amata, & intenta est finis vt amans, & intendens est efficiens. At in primo ente est obiectum intelligibile nedum ab alio, sed à seipso, similiter & amabile, cum eiusdem sit mentis intelligere, & amare. Quare & primum ens rationem efficientis, vt intendit, rationem finis, vt est gratia cuius, & intenditur, obtinet. Nullum ergo impossibile est, vt primum ens sit intelligibile, & intelligens se, amabile, & amans se, atq; adeò sit finis & efficiens.

Secundo, Quæ perfectiones in inferioribus sunt dispersæ, in primo sunt vnitæ. Ratio finis est perfecta, & est in primo ente, quod nemo Peripateticus negat. Rationem efficientis esse perfectam & respectu primi efficientis in quo libet genere, & respectu efficientis simpliciter primi, docuit Aristoteles 12. met. 40. nosq; in suppositione 6. diximus, eiusq; perfectiones paulò ante cõmemorauimus; ergo in primo ente possunt coalescere, atq; reipsa coalescunt, si tai quam verum recipias enunciatum in 3. phys. Num. 70.

32. In

32. In æternis esse, & posse non differunt.

Respondeti fortasse posset, efficiens esse perfectum, non simpliciter, sed respectu passi, vel illius, quod fit, quandiu fit: sed eadem responsione, si velim, dicam primum finem non esse perfectū simpliciter, sed respectu illorum, quæ ad finem. Præsertim cum finis (vt finis ab agente intenditur, & est principium causati finaliter) habeat esse intentionale tantùm: efficiens esse reale: finis vt sic, non sit actu, efficiens sit actu existens: finis causet metaphorice, efficiens propriè.

Cęterùm causalitas effectiua fundatur super actu quidditatiuo & existentiæ, vnde actus primus est principium actus secundi, ex 8 phys 32. sic habens scięntiam, agit, nisi quid impediat: & actu ignis vrit, ac ascendit, & vniuersim nihil agit actu secundo, nisi sit in actu. Enim ens diuiditur per actum, & potentiam: agere non competit ipsi potentię, sed actui. At verò ratio actus notat perfectionem simpliciter, ergo causalitas effectiua dicit perfectionem simpliciter, quæ perfectio, etsi misceatur cum potentia in secundis entibus, in primo efficiente non habet admixtam potentiam, sicut neq; in primo ente.

Ideò probo, quòd in actu puro adsit ratio ipsius actiui, & ipsius agere. Si nanq; actus mixtus cum potentia possidet rationem actiui; ergo remoto actu, & seposita potentia, multò magis habebit rationem actiui: propterea quòd remotio oppositi, & imperfecti non minuit, sed auget perfectionem. Primum autem ens est actus, & actus purus, nam primum quid erat esse sine materia est, 12. met 49. igitur primum ens habet rationem actiui, habet ipsum agere. Habet item rationem finis, ergo in primo ente rationes efficientis primi, & finis primi conueniūt. Sed primus finis est impartibilis, & separatus a magnitudine, ergo & primum efficiens.

Secundum nobis propositum ad num. 69. manet ratione modo dicta probatum, nempe finem & efficiens in vnum primū ens confluere: cum enim in inferioribus fine, & efficiente hæ perfectiones causales quandoq; connectantur, scilicet in agente rationali: apparet in primo quoq; fine, & efficiente idem dici debere, nam primum efficiens, & primus finis est rationale agens. Num. 71.

Sed hoc probo secundò. Sicut simpliciter ad simpliciter, ita magis ad magis, & maxime ad maximè: iuxta 2. topic. loc. 34. & 5. topic. loc. 86. sed ad rationem actus primi, seu quidditatis actualis, consequitur agere, igitur vbi magis, ac maxime erit actus, magis, ac maxime erit agere, & efficere. Atqui in primo ente est maximè, & purissimè actus, ergo & agere. Neq; enim ex ratione causæ finalis, vel effectus finalis concludi potest, quòd pri-

mum ens sit ens reale, ens perfectum, ens actu existens: quoniã magna pars finium, imò omnis finis, qua finis, est in intentione agentis naturalis, vel liberi. Sed omnis causa efficiens est actu existens, ens reale, ens perfectum. Sive ergo à posteriori procedas ex effectu finis, non concludis actualitatem, aut realitatem essendi in fine; sive à priori ex ratione finis in communi, eadem non colligis. At ex ratione efficientis ineuitabilis est conclusio, si agit, ergo actu est. Actus ergo purus erit in eo, quod agit tãtùm, si per se existat.

Tertiò, Si primum efficiens, & primus finis sint idem re, ratione distincta, facilè apparet, quomodo bonum primum nullo indiget, vt exerceat motionẽ metaphoricam, qua finis mouet efficiens (vt aiunt aduersarij) quia obiectum mouens, & potentia mota idem sunt essentialiter; ergo & motio finalis semper erit necessaria ea necessitate, qua finis est necessarius, sunt enim idem. Si autem efficiens sit essentialiter distinctum à fine, finis non potest mouere obiectiuè mobile, nisi præhabeat ipsum mobile: nam motus verus præexigit & mouens, & mobile, neq; mouens mouere potest, nisi præsuppositio mobilis. Similiter motus metaphoricus præexigit mouens metaphoricè & mobile metaphoricè. Ergo primus finis non habebit motionem actualem sine alio à se. Quo casu, si dicamus, primam motionem actualem obiectiuam esse eamdem cum obiecto, quod est purus actus, certè purus actus præsupponet aliud à se, quod est absurdum. Si autem motio sit aliud, & receptum in mobili, puta in secunda intelligẽtia, vel anima cœli, quæ intelligit, & amat primum finem, & ex illa intellectione, ac amore efficit: ita vt hæc secunda mens sit primum efficiens. Obijcio huic dicto. Primò quidem, quia primum intelligibile, & amabile ponuntur, vt finis: ergo æquum erat, vt prima intellectio, & amor ex illo obiecto esset prima motio finalis. Nam primo motiuo metaphorico primus motus, ideſt, prima intellectio proportione respondet, & primus intellectus vt mobile primũ. Sed primum intelligibile priore intellectione intelligitur à se ipso primo intellectiuo, quàm à secundo intellectu. Igitur recta, & ordinata proportio tollitur.

Secundò, quia dicunt, finem, vt in mente, esse causam effectricem; & primus finis, ideſt, primũ intelligibile prius natura est, vt intellectus à propria prima mente, igitur prius natura erit efficiens, vt in primo intellectu, quã vt in secundo. Quare cum sint idem realiter, & essentialiter intellectum, intellectus, & intellectio in prima mente diuinissima, 12. met. 51. prima mens erit efficiens, atq; finis.

Tertiò tamen percontor, an ipsum intelligere, & amare, quæ ponun- *Num.* 72.

ponuntur in ſecunda mente ſint cauſata in genere finis, vel efficientis, necne?

Præpono interea, quòd finem intelligi, & amari à ſecunda mente, & ſecundā mentem intelligere, & amare, ſint idem. Idem quippe ſignificant, ego amo Deum, & Deus amatur à me; ſunt etenim idem, ſicut via Athenis Thebas, & Thebis Athenas, prout in 3. phyſ. & 11. met. ſum. vlt. dicebatur.

Sit primùm in ſecunda mente intellectio, & amor primi finis incauſatus in genere cauſæ finalis: ſed ſolus primus finis eſt incauſatus in genere finis, ergo primus amor eſt idem, quod primus finis. quare & primi intellectio, quæ amorem primum ordine quodam antecedit, eſt idem realiter, quod primus finis. Igitur prima intellectio, & amor tendens in primum finem, qui ex hypotheſi ſunt in ſecunda mente, inueniuntur in prima mente; quod erat propoſitum noſtrum.

Sit ſecundò ille amor erga primum finem cauſatus in genere cauſæ finalis. Sine omne cauſatū in genere finis, cauſatum eſt ob amorem finis, nam hæc ponitur cauſatio, quaſi actiua, finis, ex amore ſui cauſare aliquid. Sed primus amor ponitur cauſatus in genere finis, ergo ob alium amorem finis, ibiturq; in infinitum. Quod cum abſurdum ſit, vt vbi finis ſit, non ſit finis: primus amor, quo amatur primus finis, non eſt cauſatus in genere finis: igitur primus amor talis, eſt primus finis, quia vnum ens tantū eſt incauſatum finaliter. Ergo nō eſt in ſecunda mente, ſed in prima veraq; cauſalitas.

Sit tertiò ille amor cauſatus in genere efficientis: quia verò omne efficiens rationale efficit ex amore finis, amor primus de primo fine amorem priorem exiget in infinitum. Itaq; ille primus amor neq; eſt factus, neq; eſt ad finem. Neceſſe eſt autem in primo efficiente poni primum amorem primi finis, vt finis; ergo primum efficiens habet in ſe illum amorem qui eſt primus finis, & primum efficiens.

Præterquamquòd eſſe independens ab aliqua cauſa, & eſſe dependens ab illa eadem, non ſunt idem eſſe eſſentialiter: quoniam non poteſt idem eſſe, dependere, & non dependere ab eodem eſſentialiter. Eſſe primi efficientis (ſi eſt aliud à primo) eſt indepēdens à fine, & motione finis; quia præſupponitur tanquā mobile ipſi motioni actuali, ſiuè fini actu mouenti: quòd autem naturaliter præſuppoſitum eſt ſecundum proprium eſſe actuale, perfectum ante cauſationem alicuius cauſæ, eſt independens in tali genere cauſæ; ergo poneremus duo entia quorum neutrū dependet in genere finis, hoc eſt, primum efficiens, & primum finem. Hoc autem, & in rei veritate, & in Ariſtotele eſt abſurdiſſimum, ergo primum efficiens eſt primus finis. *Num. 73.*

Amplius, Accipio à 2. phys. 38. causas potentia esse causatorum possibilium, causas actu existentes esse causatorum actu existentium; educoq; hanc propositionem. Nullum esse actuale dependet ab aliqua causa essentialiter, quod est prius naturaliter, quàm sit actualis causatio illius causæ; nihil enim actualitatis causa dat effectui ex eo, quia potest causare, sed ex eo, quia actu causat.

Secundò Accipio, Actum intelligendi & amandi esse actus vitales, hoc est, à principijs vitalibus intellectu, & voluntate. Et quidem de primo bono, quod ipsum sit voluntate affectabile, testatur Arist. 12 met. 36. quod etiam intellectio sit actio principium actiuum habens in intelligente in 9. met. 16 proditum est. Deniq; notissima sunt illa. Ex cognoscente, & cognito paritur notitia: ex amante, & amato spiratur amor. His acceptis argumentor. Primum efficiens habet suum esse proprium independés à causa finali, & naturaliter præcedens causationem actualem causæ finalis: ergo & bonitas primi effectivis est independens, & prior eodem modo; quare efficiens est bonum propter se, & secundum se, non propter aliud, neq; alterius gratia: probatur prima consequentia, quoniam ens, & bonum conuertuntur primo Ethic. cap. 4. & primo Magn. moral. cap. 1. Si igitur entitas efficientis præcedit causationem primam finalem, ergo & bonitas efficientis similiter præcedit. Probatur antecedens causatio actualis conueniens fini est, vt causet (sic placet aduersarijs) tanquàm intelligibile, & amabile, intellectionem, & amorem sui in secúdo intellectu (seu separato, seu coniuncto) primi efficientis. Sed intellectio illa quidem gignitur ex intelligibili primo, at cum cursu vitali secundi intellectus tãquà principij, ergo ante intellectionẽ, quę est actus secũdus secũdi intellectus, præcedit naturaliter prior ipse secũdus intellectus, & esse eius per secundum acceptum à nobis. Idem dico de amore & voluntate secunda affectãte. Itaq; & esse, & potentiæ vitales consequentes esse, nimirũ, intellectus, & voluntas in isto primo efficiente sunt priores natura, quàm sit causatio finalis. Quare si primum efficiens habet esse, & ex consequenti bonitatem ante causationem finalẽ, profectò est bonum propter se, & non propter finem aliũ. Quod autem est propter se bonum, & non propter aliud, est primus finis, ergo primum efficiens est primus finis. Eruntq; vel duo primi fines, vel idem est primum efficiens, & primus finis.

Num. 74.

Vltimò confero duo loca Stagiritæ. Si quidem in 2. Magn. moral. cap. 11. car. 237 taxans eos, qui quia superiores putant se, ipsi amari volunt, non amare, ait: *At amare melius est, quàm amari. Si quidem amare voluptatis*

tatis actio quædam eſt, & bonum: ab eo autem, quod amatur nulla actio eſt. Nempè cognoſcere melius, quàm cognoſci. Cognoſci enim, & amari etiam in carentibus anima exiſtit: at cognoſcere, & amare in rebus animatis, Rurſus beneficum eſſe, melius quàm ſecus qui amat, quatenus amat, beficus eſt: amatus verò, quatenus amatur, non. Adde nunc, primum efficiens quà tale, beneficium eſſe, finem vt amatum, non eſſe beneficum; ergo melior eſt conditio efficientis. Item amans, & intelligens præſtant, quia ſunt melioris ſubiecti propria, nempè viuentium intellectualium: ſed intelligi, & amari omnium entium commune eſt; Quod proprium melioris melius 3. topic. cap. 1.

E contra in 12. met. ſ. 51. probaturus, intellectus diuiniſſimi ſubſtantiam eſſe ſuam intellectionem; arguit. *Si non eſt intellectio, ſed potentia; dilucidum eſt, quòd aliquid aliud honorabilius eſſet, quàm mens, id ſcilicet quod intelligitur.* Ergo ex priore textu citato melius eſt intelligere, & intellectus: ex poſteriore melius eſt intelligi, & intelligibile. Solutio eſſe poteſt, quia duplex eſt agens, totale, & partiale, atq; partialium, hoc eſt principale, hoc ſecundarium. Agens totale, ac principale eſt honorabilius ſimpliciter, quàm ſit patiens: agens ſecundarium eſt ſecundum quid honorabilius patiente, nimirum quatenus agens eſt actu, patiens potentia. Iam verò actuum totale reſpectu intellectionis eſt intelligibile, & intellectiuum, atq; intellectiuum ex his eſt principale, intelligibile ſecundarium. Hinc in nobis intellectus agens, & intelligibile agens, dum ſimul accipiuntur ſunt honorabiliora cauſa, quàm intellectus poſſibilis item intellectus faciens eſt præſtantior poſſibili, atq; hæc ſimpliciter. Sed obiectum, ſiue in ſe, vt albedo, ſiue vt in phantaſmate relucens, non eſt ſimpliciter honoratius intellectu poſſibili, ſed ſecundum quid. Mente autem diuiniſſima eſſe aliquid aliud, ſiuè ſimpliciter, ſiuè ſecundum quid honorabilius, eſt omnino impoſſibile, ergo diuiniſſima mens nullo modo eſt in potentia ad intelligibile, & intelligere, ſed eſt actus ſuus initelligendi, & eſt ipſum intelligbile. atq; intellectiuum. In Magnis moralibus de ſimpliciter nobiliore in 12. metaphyſ. de quomodocũq: nobiliore accipiatur text.

Secundo, ſolui poteſt controuerſia per tradita in eodem tex. 51. duodecimi. Quærit, vnde honorabilitas inſit primo intellectui: an quia intelligit, an quia intelligitur. Reſpondet, in his, quæ non habent materiam, idem erunt, quod intelligit, & quod intelligitur. Num. 75.

Si ergo idem ſit intelligibile, & intellectiuum, vnum non eſt honorabilibus altero, neq; intelligi, quàm intelligere, vel è conuerſo. Si ſeparentur, intelligibile

bile,& intelligi quidem eſt ignobilius, quàm intelligere, tùm ob rationes in primo Magn.mor.dictas,tùm quia intelligere includit ſemper in intelligente ambas dignitates; ſed propriè intellectiuũ eſt immateriale, intelligibile vt ſic, non eſt: ideoq; & nobilius eſt eſſe intellectiuum. Quam ob cauſam, ſi comparemus rationẽ finis intelligibilis, & amabilis præcisè, cum ratione efficientis rationalis,ſcilicet intelligentis,& amantis præcisè : præcellencior eſt ratio efficientis. Id præipuè verum erit apud eos, qui dicunt, quòd bonitas prima, vt in ordine ad mundum, non intelligitur a primo intellectu,ſcilicet Deo,ſed ſolùm ab anima cęli; ergo finis,qui eſt bonitas prima,vt in ordine ad mundum eſt præcisè intelligibile, non intelligens:quare prima bonitas finalis erit ignobilior formaliter, & præcisè, quàm ſit anima cæli: atq; adeò aliquid erit nobilius primo fine, vt fine,quod à Peripato abhorret, quàm quod maxime.

Hinc etiam refutatur hæc opinio, quòd prima bonitas finalis non intelligat ſe: quia ſi eſt ſine materia, & intelligibilis, & intellectiua eſt, per 12.met.51. ergo eſt intelligens ſe; nam ex intellectiuo & intelligibili approximatis, & non impeditis,neceſſariò elicitur notitia.

Ex infinitate probatur primum efficiens eſſe incorporeum. Cap. IV.

ARiſtoteles in 12.met. 41.& in 8.phyſ.vlt.eadem ratione, ni fallor,monſtrat,quòd primus motor eſt impartibilis,& ſeparatus à magnitudine, Ratio hæc eſt. Nihil habens potentiam infinitam eſt in magnitudine finita. Primus motor habet potentiam infinitam, ergo primus motor non eſt in magnitudine finita : ſed neq; in infinita, quia nulla magnitudo infinita eſt poſſibilis, per demonſtrata in 3.phyſ: & 3. metaph. ſum. vlt.ergo primus motor in nulla eſt magnitudine, ſed eſt ſeparatus ab ea, & impartibilis. In primo ſyllogiſmo tota eſt difficultas. *Num.* 76.

Maiorem probat Ariſtoteles in 8.phyſ.79. & 1. cæli 51.&c. quia maior potentia exiſtens in magnitudine,mouet breuiori tẽpore, ergo infinita,vel mouebit in nullo tempore,vel æquali tempore mouebunt virtus infinita, & finita, quod eſt abſurdum. Quæ ratio præcisè eſt de potentia effectiua, infinita intenſiuè, vel, vt aiunt,infinita in vigore.

Minorem probat in tex. poſtremo lib. 8. phyſ. & 12. met. 41.quia primus motor poteſt mouere tempore infinito. Hinc multi, vt Sueſſ. & Burl. hanc propoſitionem intelligunt de infinitate durationis,ideſt extẽſiua,

Digitized by Google

ua, quod ideò illis contigit, quia non coniunxerunt minorem cum maiore, ſed eas ſingulatim contemplati ſunt; vnde ſi potentia infinita ſecũdum durationem accipitur in minori, ſecundum vigorem in maiori, hęc ratio Ariſtotelis erit ſophiſma æquiuocationis, quæ ratio eſt vna ex præcipuè intentis à Philoſopho probante dari ſubſtantias ſeparatas à magnitudine, & impartibiles, & immobiles. Si verò maior intelligatur de potentia infinita durationis, eſt falſa, quoniam magnitudo cęli eſt finita, ſed potentia mouendi in cęlo eſt infinitæ durationis. Sic itaq; inſurgo. Nihil potens mouere tempore infinito eſt in magnitudine finita, per expoſitionem prædictam. Cælum autem poteſt mouere tempore infinito, vt aſſerunt, ergo cælum non eſt in magnitudine finita, quod eſt abſurdum. Auer. in 8. phyſ. teſtatus eſt, hanc eſſe maximam difficultatem in rebus naturalibus, in qua Aphrodiſ. & Philop. ab eo repulſi, & ipſe quã plurimum laborarunt; ſed quomodocunq; ſoluant, vel exponunt ita propoſitiones, vt non concludant, quòd primus motor eſt impartibilis omnino, ſed eſt impartibilis à partibilitate compoſiti ex materia, & forma cum contrario, vel quòd etiam cælum eſt impartibile, vel quòd ratio Philoſophi non demonſtrat, quæ ſingula proſequi non eſt huius loci, Tangętur tamẽ inferius ad num. 80.

Ad rem noſtram, accipio iſtã conditionalem ex ſyllogiſmo ſuperiori Ariſtotelis. Si quid habet potentiam infinitam, illud eſt incorporeum, & impartibile, & nullo modo eſt in magnitudine. Si intelligas potentiam infinitam extenſiuè in duratione, certè iſta conſequentia ex mente Ariſtotelis (vt cõmuniter eum exponũt) non valet: ergo ſi non facit conſequentiam inualidam ex propria ſententia, intelligendus eſt de potentia infinita intenſiuè, de qua etiam probatio maioris in tex. 79. proceſſit. Vnde & verba tex. & probatio ipſius tex. 79. reuincunt, quòd in primo efficiente eſt potentia infinita intenſiua, de qua concludit, quòd non poteſt eſſe in magnitudine finita. Poſſet ratio hęc, expoſitioque textus tantisper impediri per diſtinctionem primi efficientis, vt dicatur, vel agens principale, vel agens ſimpliciter primum, & independens in genere efficientis. Illud dicatur habere potentiam infinitam extenſiuè, qualis non eſt in agente inſtrumentali, ſcilicet cęlo, quod eſt inſtrumentum intelligentiæ; hoc habere potentiam infinitam intenſiuè, ac extenſiuè, aut extenſiuè tantùm. Sed neq; hæc reſponſio vitat textus 8. phyſ. 79. & primi de Cælo 51. nec morari eſt oportunum. Idcirco infero illud.

Corollarium. idcirco infero ſequitur. Primum mouens effectiuè eſt entitatis, & bonitatis infinitæ intenſiuè, ſicut eſt potentia lucis, quæ eſt infinita intenſiuè,

quia

ficit autem illa ratio (siue concedas infinitatem perfectionis esse in entibus possibilem, siue non concedas) vt primum efficiens sit supremum ens, atq; adeò sit etiã primus finis. At primus finis est incorporeus; ergo etiam primum efficiens est incorporeum. Quod nobis erat probandum.

Igitur Aristoteles facit hanc consequentiam. Primum mouet infinito tẽpore, ergo habet potẽtiam infinitã, scilicet intẽsiuè: igitur habet entitatẽ, atq; adeò bonitatem infinitam. Scotus ait, antecedẽs esse intelligendũ cum addito, *A se*: cum enim mouẽs possit mouere propria virtute, vel aliena: propria, & à se, aliena, & ab alio. Vis effectiua, motiuaq; non residet penes mouẽs ab alio, sed penes mouens à se. Rectè obseruatum, at nõ nouũ. Si nanq; Aristoteles loquitur de primo mouẽte, certè antecedens eius non potest applicari ei, quod mouet aliena virtute, aut ab alio, quoniam tale non est primũ. Loquitur ergo Philosophus de mouente à se, & propria virtute. Tunc arguitur.

Maior. Quod habet à se aliquid, habet illud in tota plenitudine, quæ sibi potest competere: nihil enim habetur limitatè in aliquo, nisi habeatur ab aliquo agẽte determinante ad certum gradũ; quia si vnum ens à se, habeat à se plenitudinem entitatis, & aliud ens à se non habeat à se talem plenitudinem, sed entitatem limitatam: omnino nulla esset ratio, quare illud plus haberet plenitudinẽ entitatis, quã aliud; sed videretur esse casus, qui nõ põt esse in his, quę sunt à se. Nunc autem primũ mouens habet à se potẽtiam effectiuam, tùm trasmutãdi, tùm faciendi: ergo & entitatẽ habet à se, quare habet potẽtiam in tota plenitudine, atq; entitatem in tota plenitudine possibili haberi ab entitate, & potentia. Itaq; non habet entitatẽ limitatam, sed illimitatam, ac infinitam. Hoc argumentum concludit (etiam si primum efficiẽs non esset infinitum, atque etiam si infinitas non esset possibilis in entibus) quòd primum efficiens est supremum ens, & supremum bonum, atq; ideò quod nõ agit propter finẽ à se distinctum, nobilioremque: quia si primum efficiens à se habet plenitudinẽ entitatis possibilẽ, eò quod à nullo limitante, ergo habet plenitudinẽ bonitatis; igitur nihil est melius ipso primo efficiente, à quo omnibus communicatum est esse, & viuere vt à principio *Vnde esse* ex primo cæli 100. *Minor.*

Repeto rationem, ob quã digressus sum ad infinitatẽ probãdam. *Nu. 79*

Nullum infinitum ens, aut bonũ est subordinatum alicui fini, tanquam maiori bono. Primũ efficiens est infinitum ens, & bonum, ergo non est subordinatũ alteri bono, sed ipsum est, & primum efficiens secundum esse, & primus finis secundum bonum. Quo in loco memoria suggerit Simplicij profundã excogitationem. Prius enim est esse, quàm eius proprietates, vnum, verum, bonum. Ratio efficientis fundatur super esse actu: ratio finis super bono; prior ergo est ratio efficientis, quàm ratio finis. Con-

firmo, quia finis, vt finis eſt in intentione, vel naturæ, vel intellectus: iſtæ enim duæ cauſæ per ſe agunt propter finẽ intentum. Perime intentionem, finem abſtuliſti, vt finem. Atqui intendens eſt priùs intẽtione, quæ eſt, quaſi actus, & inclinatio tendens in finem, ergo finis vt finis rurſus eſt poſterior efficiente vt efficiente. Si autem finis eſſet perfectior efficiente, & aliud ab eo, planè eſſet finis prior, quia perfectum eſt prius imperfecto, primo cæli 12. Ergo re non eſt vna cauſa extrinſeca prior, quàm alia, loquendo de primis: & ſi ratione prior ſit altera cauſalitas, vel ipſius eſſe, vel ipſius boni. Profectò ipſum eſſe in puro actu eſt ratio prior, quàm ratio boni, ergo & ratio agentis, quàm ratio finis. Sicut ergo in cauſis intrinſecis, forma, quæ determinat potentiam materiæ ad cauſationem huius compoſiti, eſt poſterior, quàm materia; ſic in cauſis extrinſecis, finis, qui determinat aliquo modo potentiã efficientis ad effectum hunc ambabus cauſis communem, videtur poſterior, quàm efficiens.

Num. 80. Aduerſus ea, quæ dicta ſunt ingens difficultas obſtat, quia in 8. Phyſ. 79. demonſtrat Ariſtoteles, quòd ſi potentia infinita ſit in magnitudine finita, tũc infinita potentia velociſſimè omnium motiuorum moueret, atque adeò moueret, & non in tempore. Qui textus abſque dubio, de potentia infinita intenſiua debet intelligi. Sed ſi eadem potentia infinita extra magnitudinem ſtatuatur, non ne idem ſequetur, vt moueat in nullo tempore? Quomodo igitur, Ariſtoteles ait tex. ult. Potentiam primi mouere infinito tempore: ſi potentia infinita agit non in tempore?

Arduum impedimentum, quod præclariſſimorum Peripateticorum hactenus torſit ingenia, atque torquebit in poſterum: lege Vicom. in 12. Met. ad tex. 41. Sed non eſt, vt propter emergentes dubitationes, ea, quæ Ariſtoteles reſolutè affirmat, vel negat, nos reijciamus. Magnam facit differentiã Philoſophus inter potentiam infinitam, quæ ſit in magnitudine, vel extra. Quam nos, cum non ita dilucidè, atque perfectè penetramus, ſicuti ipſe penetrabat, hæſitamus. Si infinita potentia ſit in magnitudine finita, mouebit tota, & ſecundũ totalem impetum magnitudinem; atque ideò in breuiori duratione, quàm poſſet mouere quæcunque potentia finita. Talis menſura erit inſtans, non tẽpus. Cauſa inferens abſurdum eſt *eſſe in magnitudine*; remoue cauſam, habebis potentiam infinitam eandem, quæ moueat quidem, non momento, ſed tẽpore, atque eo infinito.

An reſpondendum eſt, quemadmodum Sueſſanus indicat reſponderi debere à Thoma Aquinate inter Peripateticos præſtantiſſimo? Nempè primum mouens in magnitudine mouere naturaliter inquantum poteſt; extra magnitudinem mouere liberè in quantum vult: atque

que adeò in tempore. At obstat Suessanus, quia anima rationalis est in magnitudine, & mouet quantum vult, non quantum potest: ita diceretur de primo ente, vel mouente primo. An respondendum cum Auert. in 12 met. Coment. 41. prout etiã Scot. quol. 7. notat, primum mouens infinitæ potentiæ, si in magnitudine sit, mouebit immediatè, quare in nullo tempore. Si extra magnitudinem, mouebit mediãte alio motore potẽtię finitæ: atque à primo infinitas durationis; à secundo successio in motu futura erit? Quæ autẽ in 8. Phys. Auerr. dixit, non placent: probarent enim potẽtiam infinitam non esse in magnitudine corruptibili: ar vltra de omni magnitudine non probant; atq, ideò nullam euidentiam rationibus Philosophi relinquunt, sepatãtis primum ens ab omni magnitudine.

Auerr. resp.

Num. 82. An tertiò dicam id esse, quoniam monẽs existens in magnitudine mouet per modum mouentis mobilis, extra magnitudinem per modum mouẽtis immobilis? Duobus locis Aristoteles instruxit nos, quomodo mouens immobile applicat vim effectricem mobili; primo quidem in libro de com. motionis causa, secũdo in 12. met. In priore loco motu reali, in secundo motu obiectiuo, ac intentionali, quamuis & hoc attigerit dicto libro de communi motu ca. 6. quod vestigatione 3. fusè referam, nunc, quantum satis est, dicam.

Vet. 3.

Igitur in cap. 2. de com. mot. docet, nihil posse mouere se, aut aliud, nisi innitatur ad aliquod mouens immobile exterius, quod quidem nulla sit pars rei motæ, sed omninò aliud. Inductione patet, vt ambulante homine, terra stat resistens: natante pisce, resistit aqua: volãte volucre, resistit aër. Hinc reddit causam, quare si quis cõto pellat nauem, existens intra nauem, eam non moueat loco; si conto innitatur terræ, eamque pellat, mouet nauem, quia scilicet immobile mouet, cui si innitatur mouens se, aut aliud, mouet. In qua inductione de naui considero, terram esse extrinsecus mouens immobile, quod mouet nauem, & effectiuè quidem, nisi fingamus terrã, quæ pellit, esse causam finalẽ nauigij, aut hominis moti, ac mouentis. Sed terra non applicat naui virtutem suam totam, ac totaliter: obrueret enim confestim. Immò tantam applicat, quãta est vis ipsius, quod innititur, aut paulò plus, secundum proportionem maioris inæqualitatis, vt scilicet moueat quidẽ, sed non ita, vt quantum potest, moueat. Ista dicta sunt illic, prout patet ex primo ca. ad declarandum, quomodo primum mouens mouet cælum, ac mundum.

Num. 83. Præterea motio obiectiua, quam exercet obiectum sensibile, atque intelligibile, est effectiua, vt ex 2. ac 3. de anima constat, superiusque tactum est; quod etiam præter allatos textus confirmat tertij de anima 65. vbi primum pellens pellit,

firmo, quia finis, vt finis eſt in intentione, vel naturæ, vel intellectus: iſtæ enim duæ cauſæ per ſe agunt propter finẽ intentum. Perime intentionem, finem abſtuliſti, vt finem. Atqui intendens eſt priùs intẽtione, quæ eſt, quaſi actus, & inclinatio tendens in finem, ergo finis vt finis rurſus eſt poſterior efficiente vt efficiente. Si autem finis eſſet perfectior efficiente, & aliud ab eo, planè eſſet finis prior, quia perfectum eſt prius imperfecto, primo cæli 12. Ergo re non eſt vna cauſa extrinſeca prior, quàm alia, loquendo de primis: & ſi ratione prior ſit altera cauſalitas, vel ipſius eſſe, vel ipſius boni. Profectò ipſum eſſe in puro actu eſt ratio prior, quàm ratio boni, ergo & ratio agentis, quàm ratio finis. Sicut ergo in cauſis intrinſecis, forma, quæ determinat potentiam materiæ ad cauſationem huius compoſiti, eſt poſterior, quàm materia; ſic in cauſis extrinſecis, finis, qui determinat aliquo modo potentiã efficientis ad effectum hunc ambabus cauſis communem, videtur poſterior, quàm efficiens.

Num. 80. Aduerſus ea, quæ dicta ſunt ingens difficultas obſtat, quia in 8. Phyſ. 79. demonſtrat Ariſtoteles, quòd ſi potentia infinita ſit in magnitudine finita, tũc infinita potentia velociſſimè omnium motiuorum moueret, atque adeò moueret, & non in tempore. Qui textus abſque dubio, de potentia infinita intenſiua debet intelligi. Sed ſi eadem potentia infinita extra magnitudinem ſtatuatur, non ne idem ſequetur, vt moueat in nullo tempore? Quomodo igitur, Ariſtoteles ait tex. ult. Potentiam primi mouere infinito tempore: ſi potentia infinita agit non in tempore?

Arduum impedimentum, quod præclariſſimorum Peripateticorum hactenus torſit ingenia, atque torquebit in poſterum: lege Vicom. in 12. Met. ad tex. 41. Sed non eſt, vt propter emergentes dubitationes, ea, quæ Ariſtoteles reſolutè affirmat, vel negat, nos reijciamus. Magnam facit differentiã Philoſophus inter potentiam infinitam, quæ ſit in magnitudine, vel extra. Quam nos, cum non ita dilucidè, atque perfectè penetramus, ſicuti ipſe penetrabat, hæſitamus. Si infinita potentia ſit in magnitudine finita, mouebit tota, & ſecundũ totalem impetum magnitudinem; atque ideò in breuiori duratione, quàm poſſet mouere quæcunque potentia finita. Talis menſura erit inſtans, non tẽpus. Cauſa inferens abſurdum eſt *eſſe in magnitudine*; remoue cauſam, habebis potentiam infinitam eandem, quæ moueat quidem, non momento, ſed tẽpore, atque eo infinito.

An reſpondendum eſt, quemadmodum Sueſſanus indicat reſponderi debere à Thoma Aquinate inter Peripateticos præſtantiſſimo? Nempè primum mouens in magnitudine mouere naturaliter inquantum poteſt; extra magnitudinem mouere liberè in quantum vult: atque

que adeò in tempore. At obſtat Sueſsanus, quia anima rationalis eſt in magnitudine, & mouet quantum vult, non quantum poteſt: ita diceretur de primo ente, vel mouente primo. An reſpondendum cum Auerr. in 12 met. Coment. 41. prout etiã Scot. quol. 7. notat, primum mouens infinitæ potentiæ, ſi in magnitudine ſit, mouebit immediatè, quare in nullo tempore. Si extra magnitudinem, mouebit mediãte alio motore potẽtię finitæ: atque à primo infinitas durationis, à ſecundo ſucceſſio in motu futura erit? Quæ autẽ in 8. Phyſ. Auerr. dixit, non placent: probarent enim potẽtiam infinitam non eſſe in magnitudine corruptibili: at vltra de omni magnitudine non probant; atq, ideò nullam euidentiam rationibus Philoſophi relinquunt, ſeparãtis primum ens ab omni magnitudine.

Auerr. reſp.

Num. 82. An tertiò dicam id eſſe, quoniam mouẽs exiſtens in magnitudine mouet per modum mouentis mobilis, extra magnitudinem per modum mouẽtis immobilis? Duobus locis Ariſtoteles inſtruxit nos, quomodo mouens immobile applicat vim effectricem mobili; primo quidem in libro de com. motionis cauſa, ſecũdo in 12. met. In priore loco motu reali, in ſecundo motu obiectiuo, ac intentionali, quamuis & hoc attigerit dicto libro de communi motu ca. 6. quod veſtigatione 3. fusè referam, nunc, quantum ſatis eſt, dicam.

Vet. 3.

Igitur in cap. 2. de com. mot. docet, nihil poſſe mouere ſe, aut aliud, niſi innitatur ad aliquod mouens immobile exterius, quod quidem nulla ſit pars rei motæ, ſed omninò aliud. Inductione patet, vt ambulante homine, terra ſtat reſiſtens: natante piſce, reſiſtit aqua: volãte volucre, reſiſtit aër. Hinc reddit cauſam, quare ſi quis cõto pellat nauem, exiſtens intra nauem, eam non moueat loco; ſi conto innitatur terræ, eamque pellat, mouet nauem, quia ſcilicet immobile mouet, cui ſi innitatur mouens ſe, aut aliud, mouet. In qua inductione de naui conſidero, terram eſſe extrinſecus mouens immobile, quod mouet nauem, & effectiuè quidem, niſi fingamus terrã, quæ pellit, eſſe cauſam finalẽ naui, aut hominis moti, ac mouentis. Sed terra non applicat naui virtutem ſuam totam, ac totaliter: obrueret enim confeſtim. Immò tantam applicat, quãta eſt vis ipſius, quod innititur, aut paulò plus, ſecundum proportionem maioris inæqualitatis, vt ſcilicet moueat quidẽ, ſed non ita, vt quantum poteſt, moueat. Iſta dicta ſunt illic, prout patet ex primo ca. ad declarandum, quomodo primum mouens mouet cælum, ac mundum.

Num. 83. Præterea motio obiectiua, quam exercet obiectum ſenſibile, atque intelligibile, eſt effectiua, vt ex 2. ac 3. de anima conſtat, ſuperiuſque tactum eſt; quod etiam præter allatos textus confirmat tertij de anima 65. vbi primum pellens pellit,

firmo, quia finis, vt finis est in intentione, vel naturæ, vel intellectus: istæ enim duæ causæ per se agunt propter finẽ intentum. Perime intentionem, finem abstuliſti, vt finem. Atqui intendens est priùs intẽtione, quæ est, quasi actus, & inclinatio tendens in finem, ergo finis vt finis rursus est posterior efficiente vt efficiente. Si autem finis esset perfectior efficiente, & aliud ab eo, planè esset finis prior, quia perfectum est prius imperfecto, primo cæli 12. Ergo re non est vna causa extrinseca prior, quàm alia, loquendo de primis: & si ratione prior sit altera causalitas, vel ipsius esse, vel ipsius boni. Profectò ipsum esse in puro actu est ratio prior, quàm ratio boni, ergo & ratio agentis, quàm ratio finis. Sicut ergo in causis intrinsecis, forma, quæ determinat potentiam materiæ ad causationem huius compositi, est posterior, quàm materia; sic in causis extrinsecis, finis, qui determinat aliquo modo potentiã efficientis ad effectum hunc ambabus causis communem, videtur posterior, quàm efficiens.

Num. 80. Aduersus ea, quæ dicta sunt ingens difficultas obstat, quia in 8. Phys. 79. demonstrat Aristoteles, quòd si potentia infinita sit in magnitudine finita, tũc infinita potentia velocissimè omnium motiuorum moueret, atque adeò moueret, & non in tempore. Qui textus absque dubio, de potentia infinita intensiua debet intelligi. Sed si eadem potentia infinita extra magnitudinem statuatur, non ne idem sequetur, vt moueat in nullo tempore? Quomodo igitur, Aristoteles ait tex. ult. Potentiam primi mouere infinito tempore: si potentia infinita agit non in tempore?

Arduum impedimentum, quod præclarissimorum Peripateticorum hactenus torsit ingenia, atque torquebit in posterum: lege Vicom. in 12. Met. ad tex. 41. Sed non est, vt propter emergentes dubitationes, ea, quæ Aristoteles resolutè affirmat, vel negat, nos reijciamus. Magnam facit differentiã Philosophus inter potentiam infinitam, quæ sit in magnitudine, vel extra. Quam nos, cum non ita dilucidè, atque perfectè penetramus, sicuti ipse penetrabat, hæsitamus. Si infinita potentia sit in magnitudine finita, mouebit tota, & secundũ totalem impetum magnitudinem; atque ideò in breuiori duratione, quàm posset mouere quæcunque potentia finita. Talis mensura erit instans, non tẽpus. Causa inferens absurdum est *esse in magnitudine*; remoue causam, habebis potentiam infinitam eandem, quæ moueat quidem, non momento, sed tẽpore, atque eo infinito.

An respondendum est, quemadmodum Suessanus indicat responderi debere à Thoma Aquinate inter Peripateticos præstantissimo? Nempè primum mouens in magnitudine mouere naturaliter inquantum potest; extra magnitudinem mouere liberè in quantum vult: atque

que adeò in tempore. At obſtat Sueſsanus, quia anima rationalis eſt in magnitudine, & mouet quantum vult, non quantum poteſt: ita diceretur de primo ente, vel mouente primo. An reſpondendum cum Auerr. in 12 met. Coment. 41. prout etiã Scot. quol. 7. notat, primum mouens infinitæ potentiæ, ſi in magnitudine ſit, mouebit immediatè, quare in nullo tempore. Si extra magnitudinem, mouebit mediãte alio motore potẽtię finitæ: atque à primo infinitas durationis, à ſecundo ſucceſſio in motu futura erit? Quæ autẽ in 8. Phyſ. Auerr. dixit, non placent: probarent enim potẽtiam infinitam non eſſe in magnitudine corruptibili: ar vltra de omni magnitudine non probant; atq, ideò nullam euidentiam rationibus Philoſophi relinquunt, ſeparãtis primum ens ab omni magnitudine.

Auerr. reſp.

Num. 82. An tertiò dicam id eſſe, quoniam mouẽs exiſtens in magnitudine mouet per modum mouentis mobilis, extra magnitudinem per modum mouẽtis immobilis? Duobus locis Ariſtoteles inſtruxit nos, quomodo mouens immobile applicat vim effectricem mobili; primo quidem in libro de com. motionis cauſa, ſecũdo in 12. met. In priore loco motu reali, in ſecundo motu obiectiuo, ac intentionali, quamuis & hoc attigerit dicto libro de communi motu ca. 6. quod veſtigatione 3. fuſè referam, nunc, quantum ſatis eſt, dicam.

Vet. 3.

Igitur in cap. 2. de com. mot. docet, nihil poſſe mouere ſe, aut aliud, niſi innitatur ad aliquod mouens immobile exterius, quod quidem nulla ſit pars rei motæ, ſed omninò aliud. Inductione patet, vt ambulante homine, terra ſtat reſiſtens: natante piſce, reſiſtit aqua: volãte volucre, reſiſtit aër: Hinc reddit cauſam, quare ſi quis cõto pellat nauem, exiſtens intra nauem, eam non moueat loco; ſi conto innitatur terræ, eamque pellat, mouet nauem, quia ſcilicet immobile mouet, cui ſi innitatur mouens ſe, aut aliud, mouet. In qua inductione denuo conſidero, terram eſſe extrinſecus mouens immobile, quod mouet nauem, & effectiuè quidem, niſi fingamus terrã, quæ pellit, eſſe cauſam finalẽ nutigij, aut hominis moti, ac mouentis. Sed terra non applicat nauí virtutem ſuam totam, ac toraliter: obrueret enim confeſtim. Immò tantam applicat, quãta eſt vis ipſius, quod innititur, aut paulò plus, ſecundum proportionem maioris inæqualitatis, vt ſcilicet moueat quidẽ, ſed non ita, vt quantum poteſt, moueat. Iſta dicta ſunt illic, prout patet ex primo ca. ad declarandum, quomodo primum mouens mouet cælum, ac mundum.

Num. 83. Præterea motio obiectiua, quam exercet obiectum ſenſibile, atque intelligibile, eſt effectiua, vt ex 2. ac 3. de anima conſtat, ſuperiuſque tactum eſt; quod etiam præter allatos textus confirmat tertij de anima 65. vbi primum pellens pellit,

non pellitur : primum alterans alterat, nec alteratur : sic neque sensibile mouetur, sed mouet medium, medium motum mouet sensum, sanè effectiuè ex ipso textu. Atqui obiectum intelligibile, & si faciat intellectionẽ sui, aut speciem sui, non agit in omnem intellectum in quantũ potest, sed ratione quadam. Sanè ex 12. met. 36. primum mouens mouet, sicuti mouet intelligibile, & amabile : mouet, inquam, non motum. Sed ex lib. 2. de cælo 65. & primum cælum sortitur illud diuinissimũ principium, & cæli quidam inferiores, siue sortiantur illud prius intelligendo, & amando, quàm localiter mouendo, siue è contra, nostra non referat. Certè idem diuinissimum obiectum cæli habent, secundum ponentes in cælis singulis animas, aut formantes, aut assistentes. Neque tamen intellectio, & amor Saturninæ animæ, aut Iouialis tanta est, quanta intellectio, aut amor animæ primi orbis. Igitur primum mouens immobile, etiam ex isto exemplo non mouet, quatenus potest, secundum vim totam, ac totaliter mobilia ista, sed iuxta proportionem virium earum, quæ sunt in mentibus motis. Itaque respectu sui terra suam grauitatem sibi coniunctam applicans, secundum totum, ac totaliter eam exercet, sistendo se ; alia verò mouet, secundum quandam proportionem. Ita primum intelligibile, & amabile, quia extra materiã est, intellectus, seu mens est ; atque ob id respectu sui infinitã vim intelligibilem, amabilemque exercet, & intellectionem atq; amorem habet infinitum. Respectu cæterorum intellectuum applicat vim eis proportione correspondentem. Si igitur potentia infinita intensiuè actiua posset mouere se, planè moueret in non tempore ; at existens extra magnitudinem est immobilis, atq; propriam vim infinitam habet, qua se immobiliter (vt sic dicam) sistit : ũde immobilis effectiuè manẽs, dat cuncta moueri. Conspicuum est, quòd mouens infinitæ potentiæ non adæquatè mouet, si extra magnitudinem est, sed inadequatè, et proportionaliter iuxta quantitatem actiuã secundi mouentis, aut mobilis à se, quod nititur immobili.

Alia rationes probantes, Primum faciens esse incorporeum Cap. VII.

EX capite præcedenti concluditur facilè, primum efficiens esse incorporeum & separatum à magnitudine. Si nanque est infinitæ entitatis, ac bonitatis, & virtutis actinæ, aut est æquale cum primo fine, aut superius, aut inferius. Si æqualis, aut eiusdem sunt dignitatis, profectò vt finis est ens separatum à corpore, à materia, à magnitudine, ita etiam efficiens est separatum ; nam omnis substantia coniuncta cum magnitudine est ignobilior, quã substantia separata : sed ex hypothesi, primũ efficiens est æqualis dignitatis cum primo fine separato, ergo primum efficiens Num. 84.

non

Digitized by Google

non eſt ſubſtantia coniuncta cũ magnitudine.

Sit ſecundò, efficiẽs ſuperius primo fine ſeparato, at nulla ſubſtantia cõiuncta eſt ſuperior quàm ſeparata, ergo primum efficiens non eſt ſubſtantia coniuncta cum corpore.

Sit tertiò, Primũ efficiens inferius primo fine, tunc bonum infinitum poterit excedi, quod eſt abſurdum. Itaque idẽ ſunt finis primus, & efficiens primũ, atque ambo incorporei,

Præterea diximus, inter præclaras dotes efficiẽtis eſſe, quòd ſit neceſſe eſſe, ſit independens effectiuè, ſit ens non factum. Hæc prædicata, vel ſunt immultiplicabilia, vel nè. *Si ens non factum* eſt immultiplicabile, ergo aut primus finis eſt factus, aut eſt idem numero cum primo efficiente, quod non poteſt eſſe factũ. Si autem eſt multiplicabilis hęc ratio communis *Ens non factum*, aut multiplicabitur in plura ſpecie, aut plura numero. Dicatur prius multiplicari ſolo numero, & argumẽtor. ex 12. met. 49. Quęcunque ſunt ſpecie, vel ratione eadem, & multa numero, materiam habent. Sed *ens non factũ* per hypotheſim eſt vnius ſpeciei, & multiplicabile numero, in primo fine, ac primo efficiente; ergo primus finis, & primũ efficiens materiam habent. Si verò *ens non factum* dicatur ſpecie multiplicari, iam primum efficiens, & primus finis ſpecie differunt, & habent quædam, prædicata communia, vt *ex ſe actu exiſtens, neceſſe eſſe, ens non factum*. & arguo. Nullum prædicatum ſecundi modi per ſe poteſt primò eſſe commune multis, ſed ſequitur ad aliquod prædicatum primi modi cõmune illis multis; nam prædicata ſecundi modi reſoluũtur in prędicata primi: omnis quippè demõſtrationis principium eſt definitio, & ipſum quid eſt, ex primo de anima 11. & ad hoc legẽdi ſunt tex primi poſter. 104. atq; 155. vbi omnes propoſitiones mediatæ ad immediatas reducuntur. Igitur vel iſta prædicata communia primo fini, & primo efficienti, ſunt vna ratio communis in quid primis facienti, & fini, vel aliquam talem præexigunt. Si itaq; primũ efficiens, & primus finis habẽt vnam rationem quidditatiuam cõmunem, in qua conueniunt, & vnam propriam quidditatiuam, per quam ſpecie differunt, iam illa ratio communis diſtinguitur, atque diuiditur, ſeparaturq; per rationes proprias diſtinguentes. At quod diſtinguitur, eſt potentia, quod diſtinguit, ac ſeparat, eſt actus per 7. met. 49. Igitur in primo fine eſt duplex ratio quidditatiua, vna potentialis, ſcilicet communis, alia vero actualis, ſcilicet propria; quod autem ex potentia, & actu coaleſcit, non eſt actus purus, non eſt ſimplex, ergo neque primus finis, neque primum efficiens erunt ſimplices, & actus puri: quod ſi eſt inconueniens, conuenit, vt rationes *entis non facti*, & neceſſarij entis, ex ſe entis, non ſint vllo modo multiplicabiles. Coincidant

dant ergo in unum, dicemuſque cum Philoſopho 12. met. 49. *Ipſum verò quid erat eſſe primum nõ habet materiam cum actus ſit: vnum ergo tùm ratione, tùm numero, primum mouens immobile ens eſt.*

Num. 85. Vlteriùs. Primũ efficiens eſt Neceſſe eſſe, nam ſi non ſit neceſſe eſſe, ſit contingens non eſſe per æquiualentem modalem ex 1. de interpret. cap. 3. Si contingens non eſſe, ſeu poſſibile non eſſe, ponatur primum efficiens non eſſe, quia per 9. met. 7. & 8. atque primo prior cap. 13. Poſſibili poſito in eſſe, nullum ſequitur impoſſibile, & ſi falſum quandoque ſequatur. Si autem efficiens non eſt, duo ſequuntur incommoda. Primum deducitur ab Ariſtotele in 12. met. 30. Si agens ponatur non eſſe, & potentia prior actu, nihil entium erit, contingit enim poſſe quidem eſſe, nondum verò eſſe. Vbi Ariſtoteles, ſi actus agentis auferatur, infert, quòd nihil entium erit. Qui ſi credidiſſet, finem eſſe priorem ſubſtantia, & perfectione, certè ad ablationem actus poſterioris, nõ intuliſſet negationem omnium entium. Sublato enim poſteriore, & minus perfecto, non tollitur prius, ac perfectius. Siquidẽ prius natura eſt, quòd poteſt eſſe ſine alio, & aliud nõ ſine ipſo, quinto met. 16. Igitur cum Ariſtotele, ſi primum efficiens non eſt actu, nullum ens erit, quarè neque finis.

Secundum incommodum, quia ſi efficiens non ſit actu, & poſtea actu exiſtat (nam nunc actu exiſtit in rerum natura) neceſſariò ipſum primũ efficiẽs ponetur non eſſe, ſed eſſe aut ab aliquo actu exiſtente, & efficiente, aut à nullo, aut à ſe. Non à ſe, quia id abſolutè negat Philoſophus in lib. de comũn: mot. cap. 5. & 2. de anima tex. 47. Non à nullo, quia id reprobat in 12. met. eodem tex. 30. ergo ab aliquo efficiente, quapropter primum ens non factum, ſi eſt contingens non eſſe, erit ens factum, quod cõtradictoria inuoluit.

Tunc interrogo, quia Ratio neceſſitatis eſſendi ſtatuitur cõmunis primo fini ab omniũ conſẽſu Peripateticorũ; & per nunc probata eſt cõmunis primo efficiẽti, & prẽter hanc rationem cõmunẽ neceſſitatis duæ sũt rationes propriæ eſſentialiter diſtinguẽtes primũ finẽ à primo efficiẽte; interrogo, inquam, an in primo fine ambæ illæ rationes, & communis, & propria, ſint rationes neceſſariò eſſendi, an non? Si non, ergo primus finis conſtitutus eſt ex neceſſe eſſe, & non neceſſe eſſe, & per conſequens ex contingẽti eſſe, quare non eſt actus purus, non ſimplex, non indeſtructibilis: nã quod ex neceſſario, & contingente eſt, contingens eſt, contingans autem contigit non eſſe, primo poſter. 48. ergo & primus finis poteſt non eſſe.

Si autem duæ ſint rationes neceſſariò eſſendi in primo fine, igitur primus finis eſt bis neceſſe eſſe per duas rationes eſſendi neceſſariò, quarum vtrauis detracta, adhuc erit neceſſe eſſe

quid

quidditatiuè. Ergo frustra erit altera ratio. Meritò Aristoteles in 5. met. 6. dixit, *quare & propriè necessarium est, quod simplex est*. Vnica igitur, ac simplex est ratio quidditatiua necessariò essendi, ad quã sequuntur in eodem numero primo ête ratio primi finis, & ratio primi efficientis, tanquam duæ proprietates per se secundo modo ad vnam simpliciſſimam quidditatem primi modi.

Num. 86. Ad hæc. Si ratio necessitatis ex se essendi est communis primo efficienti, & primo fini essentialiter distinctis, illa ratio cõmunis est prior natura vtroq; prius enim est, à quo non conuertitur subsistendi consequentia: prius natura, inquam, quia est prędicatum in quid cõmune ambobus. Si quis etiam probare cogatur, quòd primus finis sit necesse esse, vndè hoc probabit, an ex ratione finis in communi, an ex ratione primi finis? si secundum assumat, petit, non probat. Si primum, falsò assumit, cum magna pars finium actu non sit in rerum natura, nisi per actionem efficientis. Maior ergo est necessitas, aut magis patens in efficiente. Quòd si primum efficiens, vt potè agens rationale, gratia sui agat; satis commodè infertur, quia sunt idem finis, & efficiens, vtrumq; esse necessarium; vel vtrumque contingens esse.

Præterea. Nulla singularitas, nullumque singulare, & vnum numero est multiplicabile in plura numero, vel specie. Sed necessitas essẽdi est ãngularitas quędam, atq; necesse esse est singulare, & vnum numero, ergo necessitas essendi, aut necesse esse non sunt multiplicabilia numero, vel specie. Quare tãtùm vnum numero est ens necesse esse. Si itaque primus finis est necesse esse, & à nobis probatũ est, quòd primum efficiens sit necesse esse, primus finis, & primum efficiens sũt vnum numero primum ens. Maior est per se nota, quod enim est singulare est hoc, neque potest diuidi in plura, de quibus prædicetur in recto dicendo, hoc est hoc, sicut sortes est homo. Minor probatur; aut enim necessitas essendi, intra suam quidditatem includit singularitatem, aut habet necessitatem extra quidditatẽ. Si eã includit, minor obtinetur, quod necessitas est quidditatiuè singularitas. Si extra quidditatem habet, vel coniunctam, vel non; si primò sit necessitas essendi absque singularitate, ergo dabitur aliquod ens actu existens à singularibus separatum, quæ est idea Platonica, Teretisma scilicet.

Si secundò sit necessitas coniuncta cũ singularitate; & quoniam peremptο non necessario, necessarium non perimitur; destruamus singularitatem, quæ non est formaliter, & quidditatiuè necessitas, remanebit incolumis necessitas, actu existens absque singularitate, & rursus in ideas Platonicas, ideſt entia separata à singularibus illudimur. Non ergo ens necesse esse potest multiplicari specie, vel numero.

Po-

Num. 87. Postremò argumentaturus, accipio ex 11. met. 52. Omne ens est vel primus finis, vel ordinatum ad finem, tertium ens non datur. Sic enim ait Arist. *Nec ista se habent, vt sit vllum alteri ad alterum, sed sunt ad quippiam: ad vnum nanq; coordinata sunt omnia.*

Secundò quia ex opinione communi primus finis causat, vt intellectus, & amatus, aliquid est amabile propter se, vt finis, aliquid amandum propter alterum, vt ens ad finem. Nec sufficit, si est ordinabile, vel amabile propter aliud, sed oportet, vt actu ordinetur ad finem, ametur que. Nam si fossio possit ordinari ad inuentionem thesauri, non dicetur ordinata, neque propter finem, sed præter intentionem eueniet inuentio, nisi actualiter ametur fossio propter finem. Atqui respectu finis primi omnia per se, & actu ordinari est melius.

Tertiò, Quæro, an aliquid extra vniuersitatem causatorũ ordinet ea, amando finem propter se, alia propter finem; aut singula ordinata intelligant, & ament se ad finem, aut aliquod vnum ex ordinatis intelligat, amet que se, & reliqua ad finẽ. Si primum dederis, quia per primum suppositum, præter entia ad finẽ amatum, & finem nihil est, hoc amans omnia propter finem primum non erit, nisi ipse finis, finis vt amatus propter se, efficiens vt intelligens, et amans finem, & alia propter finem. Si secundũ, nimis irrationale est, si agentia irrationalia intelligant, et ament primum finem propter se ipsum, & se ipsa propter primum finem.

Si tertium, distinguendũ, aliquid enim est ad finem ordinatum secundum esse, aliquid secundum operationem: item aliquid à priori, aliquid à posteriori. Quando ob finem in priori signo naturæ amatum, amans communicat esse effectui ad finem, tunc secundum esse, & à priori ordinatur causatum; quãdo res præexistens in esse in priori signo, ordinatur per propriã operationem ad finem, vel per operationem alterius, tunc ipsum esse non ordinatur, nisi beneficio operationis, & à posteriori. Medicus priore modo ob sanitatem dat esse pharmaco, posteriore herbam existentem ordinat ad sanitatem. In hac ordo est accedens, vel accidens. Ordo ad primum finem est essẽtialissimus, atque maximè est essẽtialis in perfectioribus magis bonitatem finis participantibus. Si itaque aliquid intra ordinata, per propriam operationem tantùm ordinat se, quia agere præsupponit esse; tale amans est ordinatum ad finem à posteriori, & per operationem, quasi per accidens. Talem ordinem tantùm ponere in causatis intelligentibus, inconueniẽs est, cum subcælestia à priori, & secundum esse ordinentur; sic nanque magis erunt connexa irrationalia, quàm rationalia. Oppositum est probabilius, vt scilicet omnes intellectus subordinati & à priori, ac secundum esse receptum à primo effici

ciente amante finẽ, & alia ad finem, sint ordinati: atque etiã à posteriori per propriam operationem ordinentur: quorum vnum cõceditur irrationalibus, alterum negatur. Hoc posito fulget pulcherrimus nexus omnium aliorum ad primum, minor quidem in irrationalibus, maior verò in rationalibus, in omnibus tamen actualis, & per se, & à priori efficiente amante hæc propter finem. Tale efficiẽs est primùs finis, idest, primum ens. Hactenus authoritate, & ratione. Nunc opponentes audiendi.

Soluuntur argumenta ex ratione. Cap. VIII.

Num. 88. PRobatur primò Deus non esse efficiens, quia efficiens includit potentiam à non actione ad actionem sequẽtem, & ad actum imperfectum, qui est motus. Ens primum est actus purissimus, omnis exors potentiæ; igitur non est efficiẽs.

Respondetur. Potentia actiua includit actum primum, cui respondent facere, & mouere; sed & factio, & motus in moto atq; facto recipiũtur ex 9. met. 16. Nihil ergo motionis refunditur in agente, sed in passo. Negatur ideò maior, quia mutatio est in potentia passi, vel facto; non in actu, cuius est vel posse agere, vel agere cum mutatione alterius, non sui.

Secundò. Ab eo, quod est supra tempus, & permanens, non procedit ens successiuum, ac tẽpus: Primum ens est supra tempus, & permanens, ergo neq; motus, neq; tempus ab eo fiunt, ergo, non est faciens.

Respondetur negata maiore, nam à primo æuo immortali, & diuino continente totum tempus, ac infinitatem, omnia pendent, vt à principio vnde esse, & viuere aliis communicatum est. Imo motus immediatè est ab immobili, successiuum à permanente, tempus ab æternitate, denique omne variabile ab inuariabili oritur, nisi procedamus in infinitũ in per se motoribus, & factoribus.

Tertiò. Si Deus est efficiens, vel facit, vt sibi acquirat, aut conseruet perfectionem, vel vt eam alijs impertiatur. Non primum, quia perfectissimus per seipsum est. Non secundum, quia præstantius non agit ex primaria intentione propter ignobilius.

Respondetur. Efficiens operatione liberali non agit ad sibi bonum acquirendum, vel conseruandum; sed ad suum bonum alijs communicãdum, qua in re primaria intentio est boni communicandi, amati propter se, secundaria intentio est bonum effectibus acquirendum, & conseruandum. Legatur primi de anima tex. 50. contra Platonem asserentem, quòd anima cæli, ac cælum circulariter mouetur. Reprehendit Philosophus insufficientiam Platonis. *At verò neq; quod melius dicitur; & tamen oportebat propter hoc Deum facere circulariter ferri animam, quia melius sit ipsi mouere, quàm manere: moueri autem sic, quàm*

aliter. Quo in textu negatur illa pars minoris, quòd Deus non intendat id, quod est melius alijs, asseriturque apertissimè, quòd Deus facit omnia propter melius ipsis. In qua pretiosissima assertione melius est librũ præsentem concludere.

VESTIGATIO PERIPATETICA TERTIA.

De modo efficiendi primi efficientis. Liber Primus.

Proponitur modus considerandus, et ordo in considerando. Caput primum.

Nu. 1. IN omni exacta consideratione necesse est subiecti propositi, et rem, & modum inuestigare. Cum itaque statuerimus primum efficiens: nunc modum, quo efficit, explanare oportet: quanquam de re agentes, pleraque de modo dixerimus ob coniunctionem rei cum modo, modi cum re. Quamobrem si quid repetere opus fuerit, nemo nobis succenseat, quoniam, & si res tractata fuerit eadem, ratio tractandi eadem non erit. Dicimus autem ab Aristotele[s] odos causandi, & generales, [s]peciales: quare naturæ ordi- & [s]equemur, prius commu- nem [e]ntes, mox circa propria nia di[s] naturi. operam [P]hil. reducẽs in 2. phy s. Ergo [t]. 14. & 5. met. 3. quatex. 32. 33.

tuor genera, seu modos causarum inpauciores, tres simplices modorum distinctiones attulit; quarum prima est, causæ prioris, & posterioris: secũda causæ per se, & per accidẽs: tertia causæ in actu, & potentia. Quorum modorum ad genus causæ efficiẽtis contractorũ, quinã primo enti, seù primo efficiẽti cõueniãt, qua maiori breuitate fieri poterit, explicabimus.

Tres modi efficiendi generales applicantur. Caput II. Nu. 2.

EXorsus à prima distinctione causæ in priorem, & posteriorẽ, recipio ex 5. met. 16. prius, & posterius dici in respectu ad primum ac principium in quoque genere; nam quod est propinquius primo, est prius: quod remotius est à primo est posterius: undè sublato primo auferuntur, & prius, & posterius. Applicando ad mouentia in 8. Phys. 34. quoniam in motis, & mouentibus non proceditur in infinitum, dari vnum primum mo-

mouens probatur; primum autem in ijs, quæ mouentur, & mouent, eſt id quod ſe ipſum mouet: omnium autem primũ eſt id, quod immobile eſt 8. phyſ. 50. Huius primi mouentis tres ſunt dignitates, prima, quia nõ mouet virtute alterius, nec ab alio mouẽte, ſed eſt independens in genere cauſæ efficiẽtis; ſecunda quia primum mouet in omni motione facta à ſecundis efficientibus, & magis mouet, quàm ſecunda mouentia. Tertia, quia primum mouens poteſt mouere ſine ſecundis, & non è conuerſo: lege 8. phyſ. textus 33. & 40.

Ex hac diſtinctione, ſi quæras modũ, quo primum ens mouet, accipio prioritatem, imò primitatem, quia primum efficiens efficit per modum prioris, ac primi, vnde eſt independens ab omni efficiente, & omnia depẽdent ab eo: mouet omnia mota, à nullo mouetur: poteſt mouere ſine omnibus alijs mouentibus, alia non ſine ipſo.

Verũm enimuero ex iſto modo primitatis probatur immobilitas primi efficientis, atque ineffectibilitas: facit quippè, & non eſt factum: mouet, & non eſt motum. Probatur primum faciens non eſſe factum: quia ſi factum eſt, vel eſt factum à ſe, vel ab alio, vel à nullo. Similiter vel eſt motũ à ſe, ab alio, à nullo. Ad fũdamẽtũ probationũ præmitto textũ ex libro de cõmuni motione cap. 5. Sic enim habet. *Generationis autem, & corruptionis minimè ſibi ipſi quippiam cauſa eſſe poteſt. Præcurrere enim debet motor id, quod mouetur, & genitum generans: nihil autem ſe ipſo eſt prius.* Ex quo textu haurio hanc aſſertionem. Omne faciens eſt prius facto, & mouens moto; itaque primum faciens non eſt factum à ſe, quia tunc idem ſe ipſo eſſet naturaliter prius, & poſterius, quod fieri non poteſt. Non ab alio, quia faciens eſt prius facto, ſi ergo primum faciens eſt factum, ergo primo faciente eſſet aliud faciens prius. Non à nullo, quod enim nihil eſt, nihil facit. Cõſimiliter arguo. Primum mouens non mouetur à ſe ipſo, quia ſimpliciter primũ mouens eſt ſipliciter prius primo moto, ſicut enim mouens eſt prius moto, ſic magis mouẽs eſt magis prius, & maximè mouens eſt ſimpliciter primũ iuxta 2. top. loc. 34. Quando autem totum diuiditur in partem per ſe mouẽtem, & partem per ſe motam, ſicut euenit in mouentibus ſe ipſa, pars per ſe mouens tãquam forma, & actus, eſt per ſe prior toto animali moto. Sed eſt per ſe poſterior ſua materia receptiua, quæ natura, vel tempore formam antecedit, per ſecundũ de part. animal. cap. 1. Quare quod eſt mouens, & per ſe pars alicuius, non eſt ſimpliciter prius moto: primum mouens eſt ſimpliciter prius, ergo non eſt pars inexiſtens, ſed actu per ſe ſubſiſtens, & per conſequens ſine materia, & immotum. Nõ mouetur ab alio, quia ſecundũ mouens eſſet prius primo mouente: nec mouetur à nullo, quia quod actu non eſt, nec mo-

uere, nec moueri potest. 9. met. 7. Quamobrem primum efficiens, & est faciens non factum, mouens non motum, eo quòd habet modũ primitatis.

Nu. 3. Secunda distinctio causæ in per se, & per accidens hortatur, vt statuamus primum efficiens esse per se efficiens, & non per accidens: nihil enim per accidẽs est prius ijs, quæ sunt per se, ex. 11. met. sum. 3. cap. vlt. Ex hoc asserto probatur præcedens, quia tota coordinatio per se efficientium est ante confusionem efficientium per accidens: sed in causis per se ordinatis nõ itur in infinitum, ergo in efficiẽtibus per se concedendum est vnum primum efficiens per se, tùm in ratione facientis, tùm in ratione mutantis.

Hac distinctione, qua modũ causæ per se tribuimus primo efficienti, Aristoteles nos erudiuit, qua ratione primum mouens sit immobile. Accipiamus, exempli causa, animam. Anima est principium mouens animalia motu locali. Si quæras, in quo genere causę moueat? res decisa est in 2. de anima. 36. & 37. quòd mouet effectiuè. Si postules, an ipsa anima mouens moueatur per se? Hoc negat Phil. latè in 1. de anima à tex. 36. ad 79. Quare mouet effectiue per se, & est per se immobilis; Si percontetis, an anima moueatur per accidẽs? Respõdeo moueri, quoniam per 8. Phys. 27. *Per accidens mouentur, aut mouent, quæcunque sunt in mouentibus, aut ijs, quæ mouẽtur, aut, quæ per partem.* Quia igitur anima est in animali, vel corpore, quod per se mouetur, ipsa est mobilis per accidens. Potrò notissimum axioma est. Quod per accidens inest, potest non inesse: quo vtitur Phil. in 8. phys. 36. & 41. & sæpius. Quapropter cum in anima concurrant duæ rationes, vna per se, & vna per accidens: nempe ratio mouentis, & ratio mobilis per accidens, ablato eo, quod est per accidens, & selecto eo, quod est per se, clarissimè intelligitur aliquid per se mouẽs effectiuè, sed immobile tùm per se, tùm per accidens. Quæ ratio Aristotelis est in 8. phys. 36. & 38. sicut et conclusio est eiusdem in tex 46. Quæ quidem ratio tàm efficax est, vt ferè videatur demonstratio.

Nu. 4. Obijcies, quoniam anima informat passum: sed primum ens non informat, ergo non est par ratio de primo ente, & de anima

Respondebo, si ratio informantis, & ratio effectiuè mouentis non possent separari, frustra Phil. & inepte dixisset, posse relinqui id, quod est per se in mouente, & remoueri, quod est per accidens. Et verè quidem, quòd faciens, aut mouens non sit informans factum, aut motum cernitur, quia ædificator nõ est forma edificij, nec cælum est forma subcælestium. Ergo agens, & naturale, & artificiosum possunt mouere aliquid, & non informare. Sunt in anima, vnus respectus ad materiam suam, & est in genere formæ, alter ad motum, & est in genere efficientis; cum ergo

sint

ſint diuerſa genera poſsunt à ſe inuicem ſeparari. Sed cur ego in hoc laboro? Cùm Ariſtoteles in primo de gen. animal probaturus, quòd nec generans, nec ſemen eſt vlla pars, aut paſſi, aut totius genti, dicat. *Nam cum in uniuerſum animo complectimur, non ita effici vnum ex patiente, & agenteque videtur, vt quod agit in eo, quod efficitur, inſit: nec omnino ex eo, quod mouet, & quod mouetur, quicquam conſtitui*; quam rem toto illo capite, 21. & 22. quoque proſequitur. Non ergo neceſse eſt, vt mouẽs effectiuè ſit forma moti, ita ut ex his aliquid vnũ conſtituatur; quòd ſi aliquando id contingat, hoc eſt per accidens. Sed in primo efficiente ſimpliciter, omninò nihil per accidens eſse poteſt, quod ſpectet ad genus cauſæ efficientis, ergo primum per ſe efficiens facit, & mouet, ſed eſt immobile per ſe, & per accidens, ſicuti eſt anima progreſſiuorũ, ſi ab ea remouetur mobilitas per accidens.

Nu. 5. Tertia diſtinctio erat, cauſæ in actu, & potentia. Quia tamen ipſum facere, & mouere fundantur ſuper ratione actus: actus primi mouentis præcedit tempore omnem potentiam, ex 9. met. 13. Id quod in 12. met. 30. expreſsè declaratur de motiuo, & factiuo, quod eſt ſubſtantia ſine materia, & ſine potentia: cuius ſubſtãtia eſt actus eſsendi, imo & actus cauſandi ſecundum æternitatis cæleſtis adulatores. Ex hac diſtinctione primo efficienti appropriatur modus eſsendi, & cauſandi actu, vt ſit purus actus. Si autem, quod eſt actus ante omnem potentiam, non poteſt pati, & moueri: primumque efficiens eſt eiuſmodi, rurſus conſtat, primum efficiens poſse facere, & mouere: non fieri, nõ moueri. Sicut enim ipſius actus non eſt pati, & moueri, ſic ipſius actus eſt mouere, & facere; vel enim ratio efficientis attribuitur enti in potentia, quod eſt abſurdum contra 8. Phyſ. 40. 3. Phyſ. 8. & 17. vel enti in actu, quod eiſdem textibus eſt aſserẽdum. Cum itaque inueniatur aliquis actus purus, illius erit facere, & mouere per modum actus puri: cuius energia, & operatio ex 9. met. 16. recipitur non in ipſo efficiente, ſed ut ait tex. *Aedificatio eſt in eo, quod aedificatur, et contextio in eo, quod contexitur; ſimiliter, & de alijs, & omnino motus in moto*. Conſpicuè refulget, quòd operatio efficientis, & mouentis non recipiuntur in actu ipſius efficientis, ſed in facto, & moto; ergo primum ens hoc modo mouet, ut exiſtens in actu puro ſine potentia.

Tres modi ſpeciales efficiendi conſiderantur. Caput. III.

Nu. 6. DEſcendamus ad genus cauſæ efficientis, cuius modos plures inuexit Ariſtoteles: nos tribus modorum diſtinctionibus cõtenti erimus, poſterius enarraturi illa exempla, quæ ipſemet Ariſtoteles huic rei aperiendæ, protulit. Tres, inquam, ſunt diſtinctiones mo-

modorum efficiendi ; nam efficiens eſt principale, vel inſtrumentale. Secundò, eſt rationale, vel irrationale. Tertiò, eſt forma, vel habens formam.

Prima diſtinctio elicitur libro 2. phyſ. 29. cum inter primum mouens, & finem, organa, ſiue inſtrumenta afferuntur. Horum efficientium in 8. phyſ. 33. & 34. pulcherrimè declaratur diſtinctio, quatuor poſitis; homine, manu, baculo, ſphæra. Homo eſt agens principale, manus eſt inſtrumentum coniunctum, quo mouet, baculus inſtrumentum ſeparatũ, ſphæra mota eſt. Inſtrumentum hoc per ſe habet, ſiue coniunctum, ſiue ſeparatum, ut moueatur, & moueat, & quia mouetur, ideò mouet. Principale operans mouet per ſe, nõ mouetur; qui igitur probè percipit modũ agendi conuenientem agenti principali, probè percipiet, qua ratione ſimpliciter primum in genere efficiẽtis moueat, aut faciat. Mouet enim, & facit, vt agens principale, quod non fit, nec mouetur, quatenus huiuſmodi.

Reſiſtes fortaſſe, propterea quòd in allato exemplo, agens principale, vt homo, non monetur ab alio, quòd eſt inſtrumenti: ſed tamen monetur à ſe; quo fit, vt non ſit de ratione principalis efficientis non moueri.

Reſpondeo. Si conſideres per ſe rationem inſtrumenti, & per ſe rationem principalis, facilè diſcernes exemplum Ariſtotelis, accuſari poſſe, ſed id quod indicatur per exemplum, accuſari non poſſe. Sic Philoſophus in primo poſt. 78. & in primo prior ſect. 4. c. 1 clarius 13. met. lib. 1. cap. 4. vindicat ab accuſatione geometrica exẽpla. Ergo de ratione inſtrumenti eſt, vt per ſe moueatur, & cõſequenter moueat: de ratione agentis principalis non eſt, vt neceſsariò moueatur, ſicut neq; eſt neceſſe, vt magnitudinem habeat 8. phyſ. 46. Si ergo agẽs principale per ſe moueretur, hoc eſſet, vel ab inferiore agente, vel à ſe, vel à ſuperiore: non à ſuperiore, quia tunc propoſitum agẽs reſpectu ſuperioris eſſet inſtrumẽtale, non principale, ergo eſſet principale, & non principale, quod eſt abſurdum. Non à ſe, quia non poteſt reſpectu ſui ipſius eſſe, & principale, & inſtrumentale, ſiquidem inſtrumentum in agẽdo, per ſe dependet à principali efficiente, ergo idem per ſe dependeret à ſe ipſo. Item per ſe moueretur, & non per ſe moueretur. Non ab inferiore, quoniam, tunc agens principale motum ab inferiori inſtrumento, eſſet inſtrumentum inſtrumenti & inſtrumentum eſſet cauſa principalis, principale eſſet cauſa inſtrumentalis, daretur que circulus in per ſe cauſis. Itaque, & ſi in ſecundis efficientibus mixtio aliqua fiat, principalis, & inſtrumentalis agentis: ſimpliciter primum efficiens eſt ſimpliciter principale; quare & præciſè erit monens, non motum, faciens, nõ factum: nam quod tale agens

eſt,

eſt, eſt principale agens.

Num. 7. Secunda diſtinctio efficientis elicitur à 2. phyſ. 29. & 5. met. 2. dum inducuntur vt efficientes, *conſultor cauſa, & pater filij*. Conſultor eſt cauſa effectrix rationalis, Pater, quatenus huius modi, non vtitur ratione. Quam diſtributionē de potētia actiua rationali, & irrationali habemus in 2. de interpretatione cap. 3. atque in lib. 9. met. textibus 3. & 10. & 12. Eadem diſtinctio ſub aliis ferè terminis eſt in 2. phyſ. contex. 49. & 67. atque in 11. met. ſum. 4. cap. vltimo. Cum per ſe efficiens in naturam, ac intellectū ſecernitur. Huius diſtinctionis attribuimus primo efficienti efficere per modum intellectus, non naturæ: per modum agentis rationalis, non irrationalis. Melius quippe eſt entia gubernari ab agente rationali, quàm irrationali: quod qui negat, ratione caret; & quia ſe beluis, & inſenſatis ſubdit, meritò, & beluinus, & inſenſatus iudicabitur. Porrò intellectus, & mouet, & facit, & omninò, agens rationale eſt principium vnde motus; prout ex locis paulò ante indicatis liquet. Idipſum apertè oſtenditur in 6. met. 1. atque 11. met. ſum. 3. cap. 1. quando diuiſo intellectu, atque ſcientia in ſpeculatiuam, actiuam, & factiuam: earum eruitur diſcrimen, eo quòd principium agibilium, & factibilium eſt in cognoſcente: principium ſpeculabilium, non in cognoſcente, ſed in cognito. Factiuas expendamus facultates, quas ab Ariſtotele 1. met. cap. 1. diſtinctas legimus in architectonicam, & ſubminiſtrantem: architectus verò, & in ratione ſapientis, & in ratione operantis ſuperat ſubminiſtrum. Sapientior eſt architectus ijs, qui manibus operantur, ex eodem loco 1. met. magis operatur architectus ex 7. politic. cap. 3.

Iam vero architectus facit, nec patitur, mouet, nec mouetur; ſed quia illius, vel ſcientia, vel ars eſt efficax, res factibilis ad eius normam, & arbitrium componitur. Ita in primo de ort. & inter 53. dicitur medicus facere, & non pati, quia non communicat in materia cum paſſo. Ita ædificator ædificat, non ædificatur. Statuarius ſculpit ſtatuam, non ſculpitur. Textor texit, non texitur. Et vniuerſaliter operatio intellectus magis aſſimilatur quieti, quàm motui 7 phyſ. 20. & 1. de anima 48. Inſuper motus recipitur in ſubiecto corpore, iuxta dogma Philoſop. in 6. phyſ. 32. atque 8. phyſ. 41. ſed intellectus nullum organum corporeū habet, ex 3. de anima 6. & hæc eſt pars animæ, quæ nullius corporis eſt actus, ex 2. de anim. 11. quæ ſine corpore, & eſſe, & operari poteſt, iuxta 2. de generatione animaliū c. 3. Si quidem mens nihil aliud eſt, quàm intellectus, ſolumque differunt vocabulis latinis; nam in tex. Græco eadē vox eſt, quæ ab interpretibus modò intellectus, modò mens vertitur.

Num. 8. Contemplare iam primum efficiens, & primi efficientis ſapien-

pientiam. Sapientia *principaliſſima eſt ſcientiarum, & principalior ſubminiſtrante, quæ cognoſcit id, ob quod quodque agendum ſit. Hoc autem eſt bonũ cuiuſque, et vniuerſaliter quod in omni natura optimum eſt*. Ex 1. met. cap. 2. Quia item per ſecũdum topic. to. 8. eadem eſt diſciplina finis, & eius, quod eſt ad finem: propterea ſapientia de fine vniuerſali omnium, eſt etiã de omnibus. Si verò requiras, quonam in ſubiecto hęc ſapientia de fine omnium, & de omnibus entibus ad finem maximè conſiſtat. Reſpondet Philoſophus in 1. diuin. ſum. 1. cap. 2. *Talem* (ideſt ſapientiã ſuperius deſcriptam) *aut ſolus, aut præcipuè Deus habet*. Hinc apparet non iniuria in 12. met. 51. quãdo tractatur de diuiniſſimo intellectu, commemorari, quòd ſcientia factiua, & forma factibilium ſine materia ſint idem, vt intelligas iuxta breuiſſimam Ariſtotelis phraſim ita eſſe in diuino intellectu cognoſcente finẽ omnium, quæ fieri poſſunt, aut fiunt. Hoc modo vt ſupremus architectus, & primum efficiẽs rationale omnia facit, & mouet. omnes alias cauſas rationales, vel irrationales dirigit ſubminiſtrantes, vel ex ratione, vel ex natura primo efficiẽti. Hunc modum Themiſtius indicauit in 12. met. declarando tex. 36. Quando introduxit legem viuam intelligentem, quę, & omnes ſubditos dirigat, quod eſt efficientis, & à ſubditis amata ſit, ita vt optẽt, illi ob illius bonitatem conformari. Hunc modum Boethus in Peripato præclariſſimus author delineauit, Deum alloquens.

O qui perpetua mundum ratione gubernas,
Terrarum, cæliq; ſator, qui tẽpus ab æuo.
Ire iubes, ſtabiliſque manens, das cuncta moueri.
Quem non externæ pepulerunt fingere cauſæ,
Materiæ fluitantis opus. Verùm inſita ſummi
Forma boni liuore carens. Tu cuncta ſuperno
Ducis ab exemplo: pulchrum pulcherrimus ipſe
Mundum mente gerens, ſimiliq; in imagine formans,
Perfectaſque iubes, perfectum abſoluere partes.

Tertia diſtinctio modorum faciẽdi obſeruata eſt ex 2. Phyſ 38. aliter enim forma eſt cauſa, aliter habens formam. Ædificator eſt per ſe cauſa ædificij tanquam habens formam ars ædificatoria eſt ſumma, & prima cauſa ædificij; vnde iubemur non conſiſtere, donec peruenerimus ad ſummã cauſã. Separare primam cauſam à ſecunda eſt poſſibile, per 8. Phyſ. 33. Igitur ſi ædificatoria eſſet ſine ſubiecto ædificatore, faceret quidem, ſed non pateretur, moueret, nõ moueretur: quia nullam virtutem actiuam accipit à ſubiecto, ſed è contra ipſa eſt virtus actiua in ſe, virtutemque actiuam ſubiecto largitur. Idem dixit Ariſtoteles in primo de ortu. & inter. 55. quod ſi caliditas

Num. 9.

ſe-

ſeparata eſſet, faceret alteraretque, neque pateretur, aut alteraretur. Cæterùm quoniam hi actus ſunt accidẽtia, ſine ſubiecto, nec eſſe, nec agere poſſunt; At ſi aliquis actus ſine materia ſit, ille planè poterit facere, & mouere, quia eſt actus: non fieri, nõ moueri, quia eſt ſine potẽtia paſſiua. Talis vtiq; eſt purus actus primi mouentis, de quo celebre dictum exarauit Philoſophus 12. met. 49. *Ipſum verò quid erat eſſe primum non habet materiam, cum actus ſit; vnum ergo tum ratione, tum numero primum mouens immobile eſt.*

Num. 10. Hæc veritas tali ratione inueſtigetur. Actus eſt ratio agendi, vnde agere præſupponit eſſe actu. Actus eſt duplex, alter cõiunctus cum materia, qui eſt inexiſtens: alter ſeparatus à materia, qui eſt ſubſiſtens. Materia eſt ſubiectum primũ, & adæquatum omnis tranſmutationis; nam per tranſmutationem demõſtratur in 12. met. 6. Quapropter actus inexiſtens ratione materiæ, cui ineſt; poteſt moueri. Nam actus eſt agere, & mouere; potentiæ verò in materia repertæ eſt pati, & moueri. Lege in 3. Phyſ. 8. ac 17. atq, in 2. de gẽ. & cor. 53. Si ergo inueniatur actus, vel omnino ſeparatus, vel medio modo ſeparatus à materia: actus vtique aget, quia ratio agendi non procedebat à materia, neque à reſpectu ad materiam, ſed præciſè agere erat ratione actus. Quare inuenitur aliquod agens, quod agit, & in propriam materiam, & in alienam, vti medicus aliquãdo ſanat ſe, aliquando aliũ; ſic animatum mouet ſe, & mouet inanimata ex 4. cap. de communi motione. Aliquod agit in materiã alienam, non in propriam, ſicuti cælum alterat hęc inferiora, non ſe ipſum: albedo quoque in pariete hærens facit ſpecies ſui in perſpicuum, vel in oculum, non in parietem. Igitur actui, quatenus actui accidit, vt ſit in illa materia, in quam operatur, vel faciendo, vel mouendo. Quid dixi accidit? Imo datur aliqua potentia effectrix, quę per ſe hoc habet, vt ſuam operationem refũdat in aliud paſſum ſubiecto diſtinctum. Textum crebrò citandum in teſtem allegabo. In 9. met. 16. diuiditur potẽtia actiua in productiuam operis, præter operationem, & in potentiam nõ productiuam operis, ſed ſolius operationis. Differentia per ſe collocata inter iſtas eſt, quòd potentia operatiua tantùm, in ſe retinet operationem, vnde vocatur operatio immanens. Potentia productiua operis refundit operationem in paſſum, vel factum: propter quod appellatur operatio tranſiens. Verba textus ſunt. *Quorumcunque itaque aliud quiddam præter vſum eſt id quod fit, horum actus in eo, quod fit eſt: vt ædificatio in eo, quod ædificatur, & contextio in eo, quod contexitur, ſimiliter, & de aliis, et omnino motus in moto.* Detur ergo aliquid faciens, & mouens per modum potentiæ operatiuæ actu tranſeunte, factio, & motio per ſe recipientur in ſubiecto alio: faciens, aut mo-

nens nihil recipiet, atque ideò mouebit, & non mouebitur.

Alia ratio declarandi immobilitatem mouentis. *Caput. IV.*

Num. 11. MVlti, & præclariſſimi authores conati ſunt declarare eum modum, quo immobile primum mouet cælum. Quidam fatigati rei difficultate, fatiſcentes diſtinxerũt, conceſſeruntque, primum mouere in genere cauſæ finalis, non efficientis. Nos præcedenti veſtigatione repulimus pro virili. Generoſiùs eſt laborẽ vincere, quàm labore vinci, adhortante Ariſt. in lib. de lineis inſecabili. Ideò plures, animaduertẽtes ab Ariſt. fuiſſe oſtenſum, quòd immobile mouet effectiuè, quemadmodum 8. phyſ. primus de gen. & cor. atque 12. met. 30. conclamant, & pleraque alia Philoſophi loca: enixi ſunt oſtendere luculentiùs eum modum, quo immobile mouet mobilia. Qua in re vereor, ne aliquando modi modus quæratur, ex qua quæſtione in infinitum demergamur. Ariſt. nanq; in 2. phyſ. 73. mouentem phyſicè diſtinxit duos in modos: (nam differentiæ diuidentes, prædicantur in quale, eo quòd qualificant, & modificant commune diuiſum) ſcilicet in phyſicum, & non phyſicum. Phyſicus motor eſt, qui mouet phyſicè, & mouetur: atque propterea continet intra ſe principium motus paſſiuum. Hic modus mouentis quotidiana experientia eſt notiſſimus. Non Phyſicus motor eſt, qui mouet phyſicè, ſed nec mouetur, nec intra ſe habet principium paſſiuum motus; Tale eſt mouens omnium primum. Conueniunt hi motores in communi nomine mouentis, & in ratione ſignificata per nomen, quæ eſt *mouere phyſicè*, quare conueniunt in ratione actus primi, qui eſt principium actiuum motionis phyſicæ. Siquidem ex 8. phyſ. 31. mouens naturaliter eſt actu tale, quale eſt paſſum potentia, ſiue ſit actu formali, ſiue virtuali, non eſt immorandum, lege 1. de gen. tex. 30. quomodo durum fiat à non duro. Diſcrepant hi motores modo, quia phyſicus operatur per modum mobilis, non phyſicus per modum immobilis. Satis fortaſſe fuerat huic declarationi ab Ariſt. allatæ conſentire; quia negatio per affirmationem cognoſcitur ex 3. de anima 25. & 9. met. 3. cum ergo modus phyſici mouentis ſit clariſſimus, modus mouentis nõ phyſici nõ poteſt eſſe obſcuriſſimus; & immobilitas mouentis eſt clara, quia mobilitas mouentis eſt clariſſima. Si ergo quæras iteratò, quomodo mouens immobile poteſt mouere phyſicè? non ne modi modum quæris? Etenim ſi alium aſſignauero modum, de illo turſus interrogabis quomodo, reſque ad infinita procedit. Si nõ acquieſcis modo per Ariſtotelẽ aſſignato, num in Peripato mihi acquieſces? Si potes intelligere rationem communem animalis, & cum differentia affirma-

matiua, quæ eſt rationale : & per conſequens cum differentia negatiua, quæ eſt irrationale; cur non potes percipere rationem communem *mouentis phyſicè*; & cum differentia affirmatiua, quæ eſt mobilitas, & cum negatiua, quæ eſt immobilitas? Profectò moueri ſpectat ad potentiam paſſiuam : mouere ad potentiam actiuam, quæ eſt actus. Actus autem eſt prior, quàm potentia, prout ſcriptum eſt in 12. met. 30. prior verò trifariam, & ratione, & ſubſtantia, & tempore ex 9. diuinorum Si itaque prius poteſt ſeparari à poſteriori 5. met. 16. atque actus eſt prior, & perfectus: ſanè poteſt intelligi, & eſſe ratio mouentis actu exiſtentis, & eſſe ſeparata à ratione potentiæ paſſiuę, quæ eſt in materia, & magnitudine.

Num. 12. Nunc recurramus duas opiniones circa modi explicationẽ, eorum ſcilicet, qui non prorſus acquieuerunt dicto textui Ariſtotelico. Prima opinio eſt paulò ante comme morata, quæ dicit primum immobile mouere per modum finis, non per modum efficientis. Ratio opinionis, eſt quia vident Ariſtotelẽ in 12. met. 36 aſſerentem, quòd primum mouens immobile mouet eo modo, quo intelligibile, & amabile mouet. Addunt, ſed finis mouet vt intelligibile, & amabile, ergo modus cauſæ finalis applicatus eſt ab Ariſt. primo mouenti, ergo non modus efficientis.

Hæc vltima conſequentia, certè claudicat, nam ſi conceſſero cõcluſionem, *mouet vt finis:* cum infers, ergo non mouet vt efficiens ; conſequentia nulla eſt, quoniam eadem res poteſt eſſe, & finis, & efficiens ex lib. 2. phyſ. tex. 24. & 71. Atque 2. de anima 36. & 37. quod alias euici.

Quia verò ſyllogiſmi ſupra formati forma vitioſa eſt, nempè ex puris affirmatiuis in 2. figura. Sic illum ergo. Quod mouet vt intelligibile, & amabile, mouet, vt finis? Primum autem mouet, vt intelligibile, & amabile, ergo primum mouet, vt finis. In quo argumento colligitur affirmatio finis, ſed non colligitur negatio efficientis, niſi addamus in maiore particulam excluſiuam *ſolum*. Qua in re grauis error translationis antiquæ eſt emendandus. Sic enim legebant veteres Latini. *Mouet autem ſicut appetibile, & intelligibile. Hæc enim ſola mouent non mota*. in 12. met. 36. Ignoſcendum eſt Thomę Aquinati, & Antonio Andreæ, translatione falſa vſis; at Franciſco Piccolomineo nequaquam, cum & græcè peritus eſſet, & fidelẽ Beſſarionis verſionem haberet; quare niſi incuria irrepſiſſet, facillimè errorem ſuperaſſet. Certè nec in tex. græco, nec in latino adeſt vox *ſola* Nec Alexander Aphrodiſeus, vel Alenſis eã in commentarijs agnouerant, nec Themiſtius, aut Philoponus Græci, nec Arabs Auctores, nec Latini poſteriores. Emaculata textus lectione, regrediamur ad ſoluendum argumentum.

Si maior in prędicto ſyllogiſmo ſit particularis, nihil concludit, propter ſophiſma conſequentis in prima figura ex maiore particulari. Si fuerit vniuerſalis, falſa eſt maior. Aliquid enim intelligitur, & amatur, quòd non eſt finis: & aliquid eſt finis, quod à cauſato nõ intelligitur, nec amatur. In primo poſt. 15. diſtinguuntur, & *quod* amatur, & *propter quod* amatur: hoc ſecundum eſt finis, illud primum eſt amatum propter finem: vt monile amamus propter ſponſam, coronam propter regem: ſed & corona, & monile nos mouent ad intellectionem, & amorem, neque tamen ſunt fines.

Num. 13. Ad huius rei vberiorem cognitionem oſtendo quatuor cõcluſiones. Prima eſt. *Senſile*, & intellectile mouent effectiuè ſenſum, & intellectum.

Secunda. Non omne intelligibile, & amabile eſt cauſa finalis ipſius intelligentis, & amantis.

Tertia. Non omnis finis mouet, vt intelligibile, & amabile.

Quarta. Non omnis finis eſt immobilis.

Primam probo, quia ſenſile ſenſum, & intellectile traducit intellectum ex potentia ad actũ, ſicuti actiuum agit in paſſiuum, prout conſtat ex libro 2. de anima tex. 52. & 59. atque 139. vbi prędclarè obiectum ſenſibile affirmatur eſſe actiuum, & motiuum ipſius ſenſus, iuncto textu. 23. & 65. tertii de anima. Sicut autem ſenſibile eſt actiuum, & ſenſus eſt paſſiuus à ſenſibili, ſic intelligibile eſt actiuum, & intellectus eſt paſſiuus ab intelligibili, 3. de anima tex. 2. & 3. Quapropter obiectum ſenſibile propriè, & verè, & effectiuè mouet medium producendo in ipſo ſpecies ſenſibiles, per medium mouet ſenſum, per ſẽſum mouet intellectum: propter quod producit in ſenſum, & intellectum vel ſpecies ſine materia, vel cognitiones, vel ambas. Ex hoc ſic argumentor. Omne intellectile mouet effectiuè intellectum, niſi intellectio ſit eadem cum obiecto; ſed primum ens mouet, vt intelligibile, ergo mouet effectiuè, dummodo moueat intellectum aliũ à ſe.

Præterea, omnis ſcientia ſpeculatiua fit in nobis de nouo ab obiecto ſpeculabili, ſiquidem ex cognoſcente, & cognito paritur notitia: ſed intellectus ſpeculatiuus non mouetur, vt à fine agibili, ab obiecto ſpeculabili ex 3. de anima 58. ergo intelligibile ſpeculabile non mouet in genere finis intellectum ſpeculatiuum, ſed mouet ſolùm in ratione efficientis. Datur ergo obiectum intelligibile, quod mouet effectiuè intellectum, ſed non mouetur. Minor, & ſi ſatis conſpicua, conſtat, quoniam in ſpeculatiuis non omnis demonſtratio ex cauſa finali prodit, ſed ex alijs etiam, vt patet ex 2. phyſ. 89. & clarius in tex. 70. & 74. in 2. poſt. à 48. ergo cognitio illa de nouo generatur effectiuè, & non à fine.

Secundam Concluſionẽ probo: quia cauſa, & cauſatum ſũt *Num. 14.*

cor-

correlatiua, cauſa finalis, vt huius modi accipitur in reſpectu ad cauſatum finale, & è contra: ſitque hoc nobis ſuppoſitum. 2. ſit ſuppoſitum, quòd intelligibile, quatenus intelligibile, præciſè correſpondet intellectui, & è contra, id quòd ex 5. met. tex. 20. elucet. Iam verò primum intelligibile refertur ad primũ intellectum, & ad ſecundos intellectus: ad res intellectu carẽtes minimè refertur; quare ſi primus intellectus eſt ſimpliciter incauſatus in omni genere cauſæ, etiam finalis; ergo primum intelligibile, vt ſic, nõ eſt cauſa finalis ipſius intelligentis, neq; intelligẽs eſt cauſatũ finale.

Secundò, cauſa finalis prima cauſat finaliter omnia alia entia, ex 12. met. 52. ad vnum etenim coordinata ſunt omnia. Sed omnia non intelligunt primum ens, neque primum eſt intelligibile ab omnibus: ergo vt eſt cauſa finalis non eſt intelligibile à cauſatis finaliter. Itaque nec vt eſt intelligibile, eſt cauſa finalis, quia vt dixi eſt cauſa finalis non intelligentium, & non eſt cauſa finalis primi intelligentis.

Tertiò ex loco cit. 5. diuinor. conſtat reſpectum cauſæ & cauſati pertinere ad ſecundum modũ relatiuorũ reſpectũ intellectus, vel intellectionis ad intelligibile pertinere ad 3. modũ: igitur nec intelligibile, quatenus eiuſmodi, eſt finis, nec è contra.

Quapropter error non modicus eſt, quia non diſtinguitur inter cauſam finalem, & obiectũ potentiæ. Primum ens eſt obiectum intelligibile ab omnibus intellectibus, ſed non eſt cauſa efficiens, vel finalis ſui intellectus, vel intellectionis. Rurſus eſt cauſa finalis omnium aliorũ à ſe, ſed nõ eſt obiectũ omnium. Quòd ſi reſpectu alicuius ſit, & obiectũ intelligibile, & cauſa finalis: hæ duæ rationes formaliter differunt. Ergo ſi obiectũ ſenſile, & intellectile reſpectu ſenſuum, & intellectuum diſtinctorum ab obiecto, ſunt verè actiua: & reſpectu ſpecierum, atque cõgnitionum verè factiua: non eſt autem obiectum cauſa finalis ipſius cognitionis, quia nigredo non eſt finis ipſius intellectionis, ſed potius è contra; ſi primum immobile mouet cælum, tanquam præditum intellectu diuerſo, mouet effectiuè cælum ad intellectionem, & amorem.

Tertiã probo per 2. phyſ. à tex. 75. natura quippe agit propter finem, qualia ſunt penè plurima agentia irrationalia, & plures effectus irrationales. Atqui finis ille, propter quem agit natura, nec à cauſato finaliter intelligitur, nec à natura irrationali efficiente: ergo nullus finis talium cauſatorum cauſat, vel mouet, vt intelligibile, & amabile. *Num.* 15.

Quartam oſtendo, & de fine Cuius, & de fine Cuiquam diſtinctionem de finibus in 2. de anima 35. habemus. Finis *cui* mouetur, nam per. 5. met. 2. ſi quæras *propter quid ambulat? dicimus, vt ſanetur*. Sanitas eſt finis *cuius*, homo eſt finis, *cui* ſanitas acquiritur: ſed homo ſanitatis gratia ambulat, ergo *Num.* 16.

fi-

finis *cui* mouetur.

Finis *cuius* itidem mouetur; nam ex 12. met. 48. lationes cæleſtes non ſunt gratia ſui, neque gratia alterius lationis, verùm ſtellarum cauſa; ſtellæ igitur, quæ ſunt finis gratia *cuius* ipſius lationis, mouentur.

Præterea. Animalium, & vniuerſim eorum, quæ aliquo modo aluntur, quędam gratia ipſius pabuli mouentur ad pabulum: quædam pabulum ad ſe trahunt, & motus tractionis eſt gratia ipſius pabuli tracti; ſic etiam ignis ad ſe trahit oleum in lucerna, ſic magnes ferrum trahit, vt eo alatur (quòd à me obſeruatũ eſt indicio nautarũ) quo caſu magnes efficiens tractum, immobilis manet, finis, gratia cuius tractio eſt, mouetur.

Denique in omni generatione duo ſunt fineś, forma eſt partialis, compoſitum eſt finis totalis: ſed forma eſt per accidens mobilis, compoſitum per ſe mobile.

Num. 17. Quòd ſi partiaris finẽ per finẽ in re, et in intẽtione: quaſi finis in re, ſit potius effectus, vel terminus actionis, quàm cauſa finalis: finis in intẽtione ſit verè cauſa. Adhuc inſto; adductus textu inſigni 2. top. loco. 24. vbi Philoſophus docet, quòd ſi ideæ intelligibiles eſſent in nobis, etiã ipſæ mouerentur, quia motis nobis, mouentur omnia, quæ ſunt in nobis, ergo finis in intẽtione, vel noſtra, vel agentis irrationalis mouetur ad motum agentiś rationalis, vel irrationalis.

Concedamus ergo aliquem finem manere: dum concedatur viciſſim, aliquod efficiens manere, dum cauſat; quale eſt efficiens, quòd facit in alium intellectum cognitionem, & amorem ſui.

Ad extremum dico, quòd intelligibile ſemper mouet nos in genere efficientis, non ſemper in genere finis. Non enim habet rationem finis, niſi ametur. At ſunt quædam intelligibilia, quæ vt ſic, non ſunt amabilia; quædam etiam odio habentur: & omnia prius natura intelliguntur, quàm, vel odio, vel amore moueãt: ergo intelligibile, quando non eſt de numero agẽdorum, non eſt finis. Hinc argumentum ſolutum eſt, tùm per negationem maioris, tùm quia concluditur primum eſſe finis, ſed non excluditur ratio efficientis.

Nunc breuiter aduerſus hãc opinionem, quæ ponit primum mouere, vt finem ſolùm, non vt cauſam effectricem aliqua tangam. Primum ex 8. phyſ. 79. quia tanquam abſurdum infertur, quòd primum moueret in non tempore. Si hoc intelligas de cauſa finali, non eſt abſurdum: quia et mouens ſenſibile, vt expetitum, & mouens intelligibile, vt amatum, momento mouent. *Num. 18.*

Vlteriùs in 12. met. 35. quia datur medium, quod mouet, & mouetur, concludit Philoſophus dari extremum, quod mouet tantùm, ſicut in 8. phyſ. dixerat aliud extremum dari, quòd mouetur tantùm. Certè

ex

ex medio non extrahes, niſi illa extrema, quæ in medio inſũt; ex hydr melle aquam, & mel educes, non oleum, non ferrũ. Ex furco erues album, & nigrũ, non lineam, non animam. Monens, & motum ſunt in medio, proculdubio mouens effectiuè, & motum effectiuè. Pone extrema per ſe ſe, habebis mouens effectiuè non motum, motum effectiuè, non mouens. Itaque niſi Philoſophus ineptè colligat extremum, quòd non eſt in medio conſtituens; & ſophiſticè ex mouente effectiuè in medio, mouens finaliter in extremo: colligit primum mouens eſſe effectiuè mouens.

Poſtremò in 12. met. 36. & 37. non dicitur finis eſſe immobilis, ſed in immobilibus; non dicitur, intelligibile eſſe cauſa finalis, non dicitur primũ mouens eſſe finis, prout cõſtat partim ex dictis, partim conſtiterit ex dicendis inter exponendum illos textus. Ariſtoteles nanque docet, non quis ſit motor primus, ſed cui ſimilis ſit: facto argumento à ſimili. Sicut intelligibile mouet intellectũ, nec mouetur: ſic primum mouens mouet cælum, nec mouetur.

Secunda opinio conſideratur. Caput. V.

Num. 19. SEcunda ſuccedit opinio, quę ſtatuit primũm ens mouere vt cauſam effectricem, & finalem. In qua ſententia ſunt Albertus 12. met. c. 6. Themiſtius in 12. met. ad tex. 36. Auerroes com. 36. Vicomercatus in com. tex. 37. Thomas Aquinas & Antonius Andreas, Marcus Antonius Flaminius, & penè plurimi, quibus addo Alexandrum Aphrodiſeum in 12. met. com. 20. expreſſè concedentem, quòd ſubſtãtia immobilis ſit effector ipſius motus, de cuius ſubſtãtię effectione item loquitur in 8. met. ad finem. Omnes non refero, ſed Auerroem, qui putat ſubſtantiam immobilem, vt intelligibilem, & amabilem eſſe immediatè mouentem proprij appetitus, & intellectus: intellectus illi proprius perfectè intelligit, & appetitus ardenter amat pulchritudinem primi intelligibilis, & amabilis. Atque ex ſe intelligit, quòd propria perfectio conſiſtit aliquo modo in motione cæli primariò, in eductione formarum materialium ad actum ſecundariò. Idcirco primum amabile immediatè mouet propriũ appetitũ: appetitus motus immediatè mouet cælũ efficienter. Itaq; ex illius ſententia ſubſtãtia immobilis, vt eſt appetibilis, eſt cauſa finalis: vt eſt appetens, eſt cauſſa efficiens. Hæ duæ cauſæ in materialibus ſeparantur, nã balneum in mente mouet, vt agens, balneum in materia mouet, vt finis: quare balneum, vt in anima, mouet ad faciendum balneum extra animam. Si autem balneum eſſet in mente tantùm, idem eſſet efficiens, & finis.

Vicomercatus obijcit, quia balneum in mente non mouet corpus efficienter, ſed anima, *Num. 20.*

quo-

quoniam ex 3. de anima 54. appetibile mouet non motum, appetitus motus mouet effectiuè corpus, corpus mouetur tãtùm, hæc eadem tria in cæli motione quærenda sunt.

Secundò, Arist. tradit primã substantiam esse immobilem, quæ vt amatum mouet cælum, non se ipsam. Sic enim ait. *Mouet itaque, vt quod amatur; quòd mouetur autem, cætera mouet.* Sed illud quòd mouetur, & mouet est cælum, ergo motum ab amato est cælum, non appetitus ipsius amati immobilis.

Tertiò, Fortè etiam hæc ratio Auerrois concludit in abstractis à materia solam rationem efficientis: Siquidem balneum in anima est efficiens mouens corpus, balneum extra animam est finis. Si ex hypothesi remouetur balneum in materia, & extra animam; iam remouetur finis, & remanet efficiens solummodò, scilicet agens nõ propter finem.

Respondet Vicomercatus ad primum, non esse necessarium vt appetibile, & appetens sint diuersa: imò anima nostra se pulchram intelligens, potest se amare. Præterea intelligens perfectionem, & conseruationem sui magna ex parte contineri in corpore, & motu corporis, ab amore sui pellitur ad mouendũ corpus. Ergo eadem anima, et amatur vt finis, & efficiẽter mouet corpus. Ita primum immobile ex amore sui mouet cælum.

Ad secundum respondet. Idẽ amabile potest amari à multis; ita primum amabile primò amatur à se, secundò amatur à cælo. Sed tamen immediatè etiam à cælo, propterea quòd in primo ente idem sunt appetibile, appetitus, & appetitio. quare inter primum amabile, & cælum amans nulla res media interponitur. Neq; ex hoc primum ens est mobile: negat enim Aristoteles primum moueri circulatione, & motibus circulatione posterioribus; non negat moueri ab intelligibili, & amabili, imò primum ens intelligit, & amat propriam bonitatem. Dictum iam est quòd primum amatum mouet cælum. Sed quo modo? finaliter, an efficienter? Respondendum est, vtroq; modo. Primum, vt amatum causat finaliter motum localem cæli; primum, vt amans, causat efficiẽter eundẽ motum localem; quapropter duplex est efficiens motum localem cæli, vnum est primum immobile efficiens per potentiam infinitam: alterum est cælum ipsum; vt primum mobile à semetipso per potentiã finitam animæ cęlestis amantis. Atque hoc pacto cælum localiter motum, cętera mouet. Hęc videntur dicenda cum Auerroe, vt paulò post recitabo.

Posset fortè aliter dicere. Primum ens intelligit quidem & amat semetipsum, est primũ intelligibile, est amabile. Sed non mouetur tamẽ à semetipso, neque efficienter, neque finaliter, cum neque motum localem causatũ à fine, neq; causatũ ab efficiente recipiat. Neque intellectio, aut amor in primo en-

te

te ſunt cauſati in quouis genere cauſæ. Ergo intelligibile mouet intellectus alios à ſe, non ſeipſũ. Quo dicto facillimè textus Ariſtotelicus declaratur. Primum, mouet vt amatum, ſed mouet cælum primò, & immediatè, ſiue dicas mouet appetitum cæli, ſiuè totum cælum appetens motione ſpiritali, cælum motione locali, quod veriùs eſt. Cælum localiter motũ, cætera mouet. Nam hæc tria tantùm Ariſtoteles memorat, amatum immobile localiter, cælum motum, & mouens localiter, cætera mota tantùm: quę autem inter iſta concurrant, vel cum iſtis, non tangit.

Ad tertium, quòd valde vrget; poteſt dici, balneum in mẽte moturum eſſe non ad faciendum ſe extra, ſed ad communicandam ſuam vim corpori moto; & hic erit finis, gratia cuius mouetur.

Num. 21. Scaynus obijcit contra Vicomercatum. Primò quia ſubſtantia immobilis non informat cælum, ſed anima noſtra informat corpus. At hoc nihil eſt, quoniam alia relatio eſt animæ vt formæ ad informatum, alia mouentis ad motum, quæ relationes ſpectant ad diuerſum genus cauſæ: ſeparanturque; nã aliquãdo anima informat, nec mouet: aliquando mouet ſubiectum, quòd non informat. Prętera in omnibus exemplis aliquid ſimile, aliquid diſſimile eſt, nam ſi exempla ſint omnino ſimilia, erunt idem, declarabiturque idem per idem, quod eſt abſurdum.

Secundò obijcit. Quia ſubſtantia immobilis non eget corpore, aut motu corporis: anima vtroque indiget, & ideò anima mouet efficienter, ſubſtãtia immobilis nequaquam. Cæterum licet Auerroes loco dicto in ſubſtantia immobili conceſſerit indigentiam: ego in prima ſubſtantia non concedo; nam ex primo cæli 100. diuiniſſimũ nullo ſuorum bonorum indigẽs eſt, ſed ex abundantia perfectionis eſt primum, vnde communicatur alijs eſſe. Ergo anima eſt agens mercenarium expectans vtilitatem ex motu. Deus eſt agens liberale, non expectans retributionem.

Hęc dicta ſint ſecundũ aliorũ opinionem ex parte mouentis; vt conſtet, idem eſſe primum finem, & primum efficiens. Ex parte cæli moti obiicuo, à quibuſdam cælum, tanquam omnino inanime conſtitui: à quibuſdam vt animatum. Auerroes animatum ponit, quicquid illi Vicomercatus tribuat: ſic enim in 12. met. com. 41. ait. *Iſte motus componitur ex duobus motoribus, quorum vnus eſt finitæ motionis, & eſt anima exiſtens in eo: & alter eſt infinitæ motionis, & eſt potentia, quæ non eſt in materia. Secundum igitur quod mouetur à potentia finita mouetur in tempore.* Sic ponens ex diuerſitate animarum cęleſtium diuerſitatem in velocitate, ac tarditate motus; ex conuenientia in hoc, quod mouentur à potentia non in materia, ęternitatem, & continuitatem motus. Albertus item in 11. met. cap. 7. Num. 22.

refert præclarè opiniones Peripateticorum de anima cæli, vt Auicennæ, & Algazelis Arabum: Isaaci, & Mosis Hebræorum: Alexandri, ac Themistij Græcorum. Legantur, ibi & opiniones, & fundamenta opinionum, ne scripta rescribam.

Duo afferam ad animationem cæli probandam. Primum ex Arist. 8. phys. 25. 30. Animata mouentur à se, inanimata minimè. Sed in eodem libro primũ inter mouentia mota traditur esse mouens se ipsum, tex. 34. 39. ergo cælum est animal quodammodo.

Secundum In lib. 2. de cælo particula 13. disertis verbis Aristoteles, *Cælum*, inquit, *est animatum, & habet motus principiũ.* Itidem eodem libro tex. 61. & 68. vitam cælis ascribit. In tam lucida assertione res non est obscuranda. Constat in Peripato de cæli anima res, non modus. Cælum planè animatum ponitur ab Aris. modus animationis, sit ne per assistentiam, vel informationem, sub iudice est. Supponemus certum, differemus incertum.

Opinio propria, qua declaratur, quonam modo primum sit efficiens, & finis. Caput. VI.

Num. 23. NEgotium sanè impeditum aggredior. Ad illud expediendum tria peragã. Primùm ostendam idem posse esse causam, & effectiuam, & finalem: vt appareat posse, etiã substantiam immobilem esse causam efficientem, ac finalem localis motionis in cælo. Secũdùm, qualis connexio sit inter finem intentum, & motum intentum propter finem. Tertiũ, qualiter cælum tanquam animatum moueatur ab efficiente immoto, & fine intento. Quibus peractis, quæ à me dicta fuerint, prout expedire iudicauero, Aristotelis testimonio corroborabo.

Quòd ad primum attinet, causa efficiens, & causa finalis re, & subiecto quandoque separãtur; cuius exemplum à 2. phys. 80. accipiatur, cum hirundo facit nidum gratia prolis: nidus est factus ab efficiente, sed gratia ipsius finis; at efficiens hirundo, & proles causans vt finis, realiter distinguuntur. Quandoque tamen efficiens, & finis coincidunt in idem ex lib. 2. phys. 70. atque 2. de anima 36. & 37. Coincidentia verò efficientis, ac finis in eadem re potissimùm est in natura intellectuali, quoniam intelligibile sine materia est intellectiuum ex 3. de anima 15. vnde *in his, quæ sunt sine materia, idem est, quod intelligit, & quod intelligitur*, quod amat, & quod amatur: siuè intellectus à voluntate distinguatur ratione formali, siuè aliter, non sit nobis curæ in præsentia. Quare eadẽ res sine materia, vt est intelligibilis, & amabilis, potest esse finis; vt est intellectiua, & amatiua, potest esse efficiens. Sic homo per 2. phys. 24. vt efficiens vtitur omnibus propter se ipsũ, est enim quodammodo finis, scilicet ratio-

tione intellectus. Idcirco in 7. polit. ca. 1. libratis bonis animi, & corporis, & externis, ſcribit Philoſophus. *Quare ſi eſt anima pretioſior corpore, et pecuniis, & ſimpliciter, & nobis: neceſſarium eſt, & diſpoſitionem utriuſque optimam eodem modo illis correſpondere. Inſuper animi gratia illa expeti nata ſunt, & ita rectè ſentientes expetere omnes oportet, non autem animum gratia illorũ.* Quapropter animus mouet corpus, & externa, nõ gratia illorum, ſed gratia ſui. Similiter primus intellectus mouet cælum, & vniuerſa, non gratia vniuerſorum, ſed ſui ipſius; quádoquidem omnia nata ſunt expeti propter primum intellectũ, non primũ propter omnia.

Itidem in 9. ethic. c. 4. Amicitiæ menſuram conſtituit Ariſt. quia amicitia ad alium menſuratur ex amicitia ad ſeipſum, nam vir probus *Vult etiam ſibi ipſi bona, & qua apparent, atque agit: boni enim eſt ſui quoque cauſa bonum elaborare: intellectiua ſiquidem partis gratia, qua eſſe vnuſquiſque noſtrum videtur. Vult quoque viuere ſe, & ſaluum eſſe, & maxime id, quo ſapit. Probo enim viro eſſe bonum eſt. Vnuſquiſque autem ſibi ipſi vult bona.* Et in eodem lib. c. 9. eandem rem tractans ait. *Mens enim omnis, quod ſibi optimum eſt, eligit.* Quarè ſi omnis mens eligit, quod ſibi optimũ eſt, & vult ſe eſſe, & viuere, & intelligere, & cætera gratia ſui: hoc idem in prima mente eſt aſſerendum, quoniam hoc à Philoſopho traditũ eſt, non ratione corporis, ſed ratione mentis, quam, cum bona ſit, ſui quoq; cauſa bonum elaborare decet.

Ex his, & ex dictis in 3. de anima, conſtat, quòd appetibile agibile eſt finis, & appetens eſt efficiens motum localem: cũ autem ad ſubſtantiam immobilem transferatur intellectus, intellectus autem ſit principium appetitionis 12. met. 36. æquum eſt in ſubſtantia immobili ponere intellectum, & appetitum, quibus ſit efficiẽs motum localem: intelligibile, & appetibile, quibus finaliter cauſet motum localem eundẽ. Num. 41.

Præterea ex 2. diuinorum 9. quicunque habet intellectum, agit alicuius gratia; ſubſtantia immobilis habet intellectum: igitur ſubſtantia immobilis agit gratia alicuius: non inferioris ſe, tanquam vltimi finis, quia peruerſè, quòd non eſt expetẽdum propter ſe, ſed propter ſuperiora, non expeteret propter ſuperiora; at primum æuum, & diuiniſſimum *non habet prauitatem vllam*: 1. cæli 100. Ergo ſubſtantia immobilis prima ſuo primo intellectu intelligit, & amat ſe propter ſe ipſam, facit ergo gratia ſui: vt propterea ſit efficiens motum localem, prout intellectus: & finiens eundem motum, prout intelligibile. Hoc totum poteſt illuſtrari doctrina Philoſophi in 12. met. 52. quãdo comparat vniuerſum ad primum ens, tanquam exercitũ ad ducem; exercitus, & ordo eius à duce effectiuè conſtruuntur, ſed non propter exercitum, vel ordinem, verùm propter

ipsum ducem. Dux quippe est regens ipsum exercitum: sed quod regitur est in eo, qui regit, tanquam in mouente, i dest in causa efficiente 4. phys. 23. Hinc habemus, quòd eadem substantia immobilis ad instar ducis est efficiens, & finis ipsius exercitus ordinati: ad instar animi est efficiens, & finis motionum corporis, & pecuniarum: ad instar hominis est efficiens, & finis earum rerum, quæ sunt propter ipsam substantiam immobilem. Ratio verò vtriusq; ex eo nascitur, vt radice, quia est intelligibilis, & intellectiua, & hoc, quia est immaterialis actus.

Num. 25. Secundum ex propositis declarandum succedit, qnalis nẽpè sit connexio inter primum amatum, & inter motum amatũ propter primum. Etenim finis imponit necessitatẽ ijs, quę sunt ad finem. Si enim aliquis appetit sectionem, & sectio non possit haberi sine serra talis formæ, talis materiæ: huic expetenti finem, necessariò sunt expetenda ea, quæ sunt media necessaria ad finem. Necessitas verò duplex est, vna, qua medium est simpliciter necessarium, altera, qua est necessarium ad melius: vt Romam profecturo, motio est necessaria simpliciter: sed equus, aut lectica dicuntur necessaria ad melius. Arist. in 1. de part. c. 1. in operibus naturæ vtranque manifestauit, inquiens. *Vel omnino aliter fieri non posse, vel benè ita tantùm fieri posse, statuendum est.* Hinc dubitare incipies, quia si mens humana mouet corpus gratia sui, vel externa administrat, vt pecunias: hoc facit partim, quia est forma corporis, partim quia indiget externis. Sed substantia prima immobilis nihil faciet, vt producat in esse finem, sicuti hirundo prolem: nihil vt adipiscatur finem, sicut prudens aurum; nihil vt conseruetur, sicut homo externa quærit; ergo prima substãtia immobilis, quæ per se ipsam est perfectissima, nihil facit, aut mouebit ad producendum, consequendum, conseruandumuè, vel se, vel finem intentum.

Respondeti breuiter potest, duplex esse efficiens, alterum mercenarium, quod expectat commodum consequendum per operationem: quale non est primum efficiens. Alterum liberale, quòd agit in commodũ alterius, non expectans retributionem vllam. Tale est primum efficiens, quod omnibus perfectionem communicat, nihil accipit. Hoc attigit Philosophus contra Platonem in 1. de anima 50. ostendens, quòd deus cælum facit moueri, non quia fit melius ipsi Deo, sed quia fit melius ipsi cælo. Textus prodeat. *At verò neque quod melius dicitur, & tamẽ oportebat propter hoc Deum facere circulariter ferri animam, quia melius sit ipsi moueri, quàm manere: moueri autẽ sic, quam aliter.*

Hoc modo sapiens, qui sit felix felicitate contemplatiua, vacat ab externis actionibus; sed vt animę suę perfectioeluceſcat; sæpè amicis conuiuit, communicat arcana propriæ scientiæ, &

vir-

virtutis, eosque meliores reddit: mouet linguam, & manus, atque alia corpora, gratia sui quidem, vt propter se amati, sed in emolumentum, tùm rerũ morarum, quæ perficiuntur, dũ perfectè mouentur: tùm in emolumentum priuatum, & publicum amicorum.

Num. 26. Porrò vt accuratius id explicetur, obseruo ipsius finis esse intentionale, et esse reale: quãdo finis est amatus, nec habet esse reale, tunc finis in esse intẽtionali excitat efficiens ad faciendum ipsum finem in esse reali, & ad media, vel necessaria, vel opportuna requirenda ad optatum finem in esse reali ponendum. Sic pater filium optans, vxorem quærit, omniaque naturalia, vel ex parte materiæ, vel ex parte agentis, omnes actiones, & passiones adhibet, donec prolem faciat in esse reali. Filio habito, non amplus facit filium: non tamen statim amorem filij deponit. Sed adhuc perfectionem filij intrinsecam appetens, natum pulchris doctrinis, & probis motibus ornandum: alimentis, & vestibus conseruandum, curat. Vbi filius est perfectus, amor non cessat, imò pater non amplius quærit necessaria ad faciendum filium, quia præexistit: neque necessaria ad filium conseruandum, & perficiendum intrinsecè, quia perfectus est; sed ex amore commotus, extrinsecus, vult suum amorem in filium ostendere, & filium honestè amat, vult ab alijs filium honestè amari: optat, vt perfectio filij, quæ intrinseca est, extrinsecùs communicetur, communicata demonstretur, demonstrata à cognoscentibus, & laudetur, & ametur, & honoretur: tumque pater in filio extrinsecus, & intrinsecus perfecto, cõquiescit amando. Ita primus intellectus intelligens, & amãs primum intelligibile & amabile, habet quidem amatum in esse intentionali, sed nihil facit, vt amatum producat in esse reali, quoniam primum amatũ est necesse esse, 12. diuinorũ 38. Nihil facit vt ipsum amatum, vel conseruet, aut absolutè in se, aut sibi amanti, quoniam immutabiliter est sempiterna coniunctio primi intellectus cũ primo intelligibili, & amabili. Nihil facit, vt intrinsecam aliquam perfectionem amato adipiscatur, quia primum amatum est perfectissimum, & sibi ipsi sufficientissimum 14. diuin. c. 6. Quia igitur solùm extrinsecam perfectionem potest amato velle, ideo vult perfectionem, & bonitatem ipsius amati exteriùs communicari, tùm entibus immortalibus, quæ sunt propè principium effectiuum: tùm etiam mortalibus, quæ longè à principio distant: & omnino vniuerso vult communicare esse, & ordinem, vt ex ipso bono communicato demonstretur bonitas amata, propter quam communicat. Quia verò ex maiori perfectione operis maior demonstratur, & opificis perfectio, & bonitas ipsius finis, quæ in operibus participata est: idcirco primus intellectus ex amo-

more primi amati non ſolùm cõmunicat rebus eſſe, verùm etiã perfectiones conſequentes ipſũ eſſe ſecũdum capacitatem rerũ. Nunc autem cælum non eſt capax, niſi motus circularis, & luminis; ideò primum mouens gratia primi amati mouet cælũ circulariter, qua circulatione facta, partes cæli omnes illuminantur, prout poſſibile eſt, & quæ infra cælum ſunt generantur, & corrumpuntur: ſuumq; eſſe perpetuum, non in ſingulari, ſed in ſpecie nanciſcuntur. Ita demonſtrata eſt perfectio, & bonitas ſumma primi amati. Quibus demonſtrata? Secundis intellectibus, qui poſſunt ex effectu ad cauſam cognoſcendam aſcendere, quo ex multiformi bonitate in effectis animaduerſa, cognoſcant bonitatem ſummè amabilem, eam ſummè ament pro viribus, laudent, honorent, colant. Hic finis eſt, & hoc medium. Finis eſt ſumma bonitas extrinſecus communicanda, demonſtranda, & honoranda. Motus cæli eſt medium, vel ſine quo non poteſt, vel cum quo benè poteſt primum amans primi amati bonitatem, & proprium amorem demonſtrare, & omninò vniformiter dicendum eſt de fine, & efficiente, quo ad hoc, quia primus finis cauſat finaliter bonitatem in alijs, non recipit ab alijs bonitatem; ſic primum efficiens facit eſſe, & perfectiones conſequentes eſſe aliorum, in ſe nihil facit. Vniuerſaliter quippè alia à Deo ſunt participanta diuinas perfectiones, vt in ipſis effectis perfectio cauſæ communicetur, & communicata demonſtretur.

Dices, ſi primus intellectus amat ſummam bonitatem propter ſe, & motum cæleſtem propter ſummam bonitatem communicandam, vel demonſtrandam: infertur ne ex neceſſitate, ſi amat propter ſe bonitatem ſummam, ergo & motum cæli propter illam bonitatem?

Reſpondeo, ſi cenſes Ariſtotelem philoſophicè, & ex propria ſententia tenuiſſe, quòd motus fuit ab æterno, dic, quòd ſubſtantia perfectiſſima non caret aliqua perfectione ſibi conueniente quocunque modo, ſiue intrinſecè, ſiuè extrinſecè: quare cum perfectio extrinſeca ſubſtantiæ primæ immobilis amantis, & amatæ ſit, vt illius perfectio communicetur, & demonſtretur: idque ſine motu cæli fieri non poſſit, motus cæli tanquam medium neceſſarium ad finem, neceſſariò amatur. Si autem ſentis Ariſt. populariter, & cum vulgo credidiſſe, cælum eſſe Deum immortalem, & immortali motu, tanquam immortali vita viuete; conſequenter dicito, primum amantem propter amatum velle motum cæli, non ſimpliciter neceſſariò, ſed ad melius. *Num. 27.*

Tertiò conſiderandum erat, qualiter cælum, vt animatum à mouente immobili circumducatur. Accipiamus exempli cauſa, animal præditum motu progreſſiuo. Animal ſe mouẽs poteſt comparari ad duo, primò ad aliquid extrinſecum manens, *Num. 28.*

nens, à quò manente mouetur animal, dum illi immoto inhæret; ita terra manet, cui nititur omnis motus animatorum ſubcæleſtium, vel mediatè, vel immediatè. Hæc prima comparatio eſt vnius totius ad alterum totum, quorum vnum eſt extrinſecum alteri; eſt comparatio totius mouentis moti ad totum mouens immotum. Secundò animal poteſt comparari in ſemetipſo, quoniam anima mouet corpus: in qua comparatione anima eſt per ſe moués, corpus eſt per ſe motum, iuxta decreta 8. phyſ. à tex. 40. Quia verò anima motu locali progreſſiuo non mouet corpus, niſi per modum agentis cognoſcẽtis: neceſſum eſt, vt prius anima moueatur à cognoſcibili, & appetibili, tanquam ab efficiẽte motum alteratiuum ſpiritalẽ, ſcilicet efficiente formas ſine materia, & actiones formarum in medium, aut in potentiam vitalem; vti deinceps anima ſic mota, moueat corpus duplici motu corporali, vno alterationis, altero lationis. Alterationis, inquam, quia ipſa ſpecies obiecti expetendi, vel fugiendi, dum cognoſcitur, & expetitur, producit in corpus calorẽ, & frigus, ſiue potiùs ipſe actus facultatis appetentis, aut fugientis producit calorem, & frigus. Lege Ariſt. de communi motione cap. 7. & 8 calore ſpiritus cordis calefiunt, & conſequenter nerui extenduntur, aç mouentur localiter: & moti mouent corporis inſtrumenta. Sunt igitur quatuor per ordinẽ, appetibile, appetitio, calefactio, latio. Appetibile eſt mouens non motum, & mouens quidem effectiuè motu alterationis ſpiritalis: appetitus eſt motus, & mouens, motus motu appetionis, & mouens motu calefactionis cor, ſpiritum, vel neruos in obiectis proſequẽdis; nam in declinandis monet motu frigefactionis. Cor, & ſpiritus, ac nerui calefacti, vel frigefacti motu alterationis, mouẽtur etiam localiter, & conſequenter mouent organa corporis. Quanquam in 4. de anima Philoſophus prętermiſerit motum alterationis realis, quæ eſt calefactio, vel frigefactio facta ex appetitione, vel fuga, ſeù nolitione obiecti: tantùm dixit ab appetitu moueri localiter corpus, recipiens hoc ſe declaraturum in lib. de communi motionis cauſa, ſiuè dicatur, de animalium motione.

Applicando dicta de animali ſubcæleſti ad cælum tanquam cæleſte animal, dico, quòd cælũ neceſſariò poſcit vnum ſtabile extra ſe, quod manendo moueat cælum ſibi innixum; quæ comparatio fuit prima facta ſuperius inter animal, quod eſt mouens motum, ac terram, quę eſt mouens immota. Hæc prima comparatio eſt totius cæli ad totum immobile extrinſecũ. Quando animal comparatur ad terram, non eſt neceſſè, vt eam cognoſcat, & appetat; ſatis eſt, ſi verbi gratia, aliquod eſculentum, aut poculentum cognoſcat, & appetat, ad quod progreditur. Sic in iſta comparatio- *Num.* 19.

tione cælum comparatur, tanquam animatum se mouens, ad extrinsecũ immobile in 8. phys. in quo libro nunquam dicitur, quòd mouens immobile primũ cognoscatur à primo mouente se ipsum, Secundò cælum, vt animatum in suas partes diuisũ, scilicet in animam, & corpus, postulat, vt corpus cæleste sit per se motum, & anima sit per se mouens. Inqua comparatione, secunda scilicet, anima cognoscit, & appetit, atque mouetur in ratione intelligentis, & amantis motu alterationis spiritalis: appetitus motus spiritaliter, mouet corpus cæleste localiter. Suntque tria, appetibile primum, tanquam mouens, non motum: appetitus animæ cælestis, tanquam motus effectiuè ab appetibili, & effectiuè mouens corpus cæli: corpus cæli denique, quòd mouetur effectiuè ab appetitu, & finaliter ab appetibili; nam eundem motum localem facit anima propriè, appetibile in anima existens, facit metaphoricè. Sicut enim efficiens actu existens in esse reali causat propriè effectũ in esse reali: sic finis amatus in esse intentionali facit eundem motum intentionaliter. Nam ex lib. 6. top. in omni translatione, seù metaphora similitudo est. Cum ergo finis faciat, ac moueat metaphoricè, similitudo est, prout modo declaraui inter efficere propriè ab efficiente propriè: & efficere metaphoricè ab efficiente metaphoricè.

Num. 30. Dubitabis, vtrum nam anima cæli, & illius appetitus causent calorem, aut frigus, vel aliam qualitatem proportionalẽ in corpus cæli ad hoc, vt cælum localiter moueatur, sicuti dictũ est de animali subcælesti?

Respondeo, calorem, & frigus nullatenus in cælum recipi, quod à contrarijs natura parens exemit, vt in primo de cælo 20. traditum est. Sed neque alia qualitas proportionalis est necessaria: anima subcælestis mouet motu locali, sed cum motu alterationis prævio, vel concomitante; anima cæli motrix non mouet motu alterationis antecedente, vel comitante; quòd enim necessarium est inferiori agenti, non necessarium est sẽper superiori. Cur ita? quoniã in subcælesti animali est compositio ex contrarijs; ideò vel panca, vel nulla sunt illi, aut bona, aut mala semper. Quapropter duobus eget instrumentis disponentibus cor spiritus, ac neruos, calore ad prosecutionem localem, frigore ad fugam localem. Cælum semper habet ideam bonum sibi appetẽdum (saltem primum cælum) nam est exors contrarij, & vnico motu sortitur suam perfectionẽ intrinsecam, atque summum, diuinissimumque principium, & optimum ex 2. de cælo 66. Quamobrẽ naturalis aptitudo passiua corporis cælestis ad circulationem, est sufficiens dispositio ad circuitionem ex parte corporis: & potentia actiua rationalis ipsius intellectus animantis vtcumque cælum, est sufficiens ad circumducendum cælum.

Hoc

Num. 31. Hoc modo cælum tanquam animatum localiter circumfertur. Vnum addo. Animal duplici immobili mouetur motu progreſſiuo, altero non cognito, non amato, imo calcato, atque pulſato, ceu terra: altero vt cognito, ſed amato, vel exoſo. Cælum habet vnum, & idē (vt mihi videtur probabilius) quod, veluti terra, nixum cęli adiuuat, & manens mouet, de quo in 8. phyſ. & idem mouens immobile mouet animam cæli, ſicut amabile faciens cognitionem, & amorem in anima cęli, in qua ſubinduens rationem amati, mouet metaphoricè, & finaliter cælum, ſicuti pabulum mouet animal; de quo mouente effectiuè intellectum, ac appetitum: nec non mouente finaliter corpus cæli agitur in 12. diuinorum. Hæc ſi ex Ariſtotele oſtendero eſſe dicta, fortaſſe curioſo lectori ſatisfaciam. Mirandum verò eſt, metaphyſicos, & phyſicos, quos hactenus non paucos legi, non obſeruaſſe vnū locum Ariſtotelis præclariſſimū, in libro de communi motionis cauſa, ex quo tota hæc doctrina prompta eſt. Quem ſi obſeruauiſſent, fortè facilius ex eorum induſtria aliquid reſolutum haberemus. Ego locum integrum, (modo ad rem faciat) afferam. Obſeruanda circa textum annotabo, vt agnoſcant omnes, hęc à me dicta, non à me, ſed ab Ariſt. promanaſſe.

LIBER SECVNDVS.

Textus ex libro de communi motione exponitur. Caput. I.

Num. 32. DVo ſunt modi cauſæ effectricis, alter mobilitas, alter immobilitas: ſecūdum priorem efficiens, quòd mouet, mouetur, ſecundum poſteriorem non mouetur. De modo, qui eſt immobilitas, lucidiſſimè diſſeruit Philoſophus in libro, quem inſcribunt de animalium motione, ſed verius inſcribendum eſt de communi cuiuſcunque motionis cauſa, prout patet ex principio libri. In eo libro duo nobis Philoſophus exempla logica ſuppeditat, quibus tanquam inductione perfecta, cognoſcamus aliquod mouens immobile mouere mobilia. Duplex etenim eſt motus, alter ſpiritalis, quo cognoſcentia, & appetentia mouentur: alter corporalis, quo mouentur corpora; in quo libro motus localis, tanquam vniuerſalis corporum omnium, præcipuè conſideratur. In vtroque genere motionis oſtendit Ariſt. nihil moueri, niſi ope alicuius immobilis. In prima comparatione Philoſophus totum animal mobile, & mouens ad totū immobile extrinſecum contulit: in ſecunda corpus ad animam, animam ad obiectum cognoſcibile confert, vt oſtendatur qua ratione anima moueat corpus animalis. Vt exordiar à priore modo Ariſt. vult probare iſtud Theorema; *Non poſſe quicquam moueri, niſi aliquid quieſcat.* Id

quod nedum in animalibus, verùm etiam in toto vniuerſo cernitur. En textum capitis primi.

Num. 33. *Textus. Quod igitur aliarum initium eſt motionum id, quod ſe ipſum mouet: illius autem id quòd eſt immobile; præterea quòd primum mouens neceſſario omni vacat motu, determinatũ eſt prius, cum de ſempiterno motu, vtrum ſit, nec ne: & ſi ſit, quid nam ſit, conſtitutum eſt. Hoc autem non ſolùm vniuerſali ratione accipere oportet, ſed in ſingulis etiam, & ſenſilibus: quorum gratia vniuerſales quærimus rationes, & quibus oportere illas accommodari exiſtimamus.*

Obſeruatio prima. Duplex eſt primum mouens, vnũ quòd mouet ſe, & alterum, quòd eſt immobile: ſed horum duorum prius eſt mouens immobile, quã mouens ſe ipſum.

Secunda, in 8. phyſ. vbi agitur de motu ſempiterno, oſtenſum eſt, quòd primum mouens neceſſariò eſt immobile, & ſecũdũ mouens eſt mouens ſeipſum.

Tertia. Ratio vniuerſalis eſt, vt omne mouens motum, præſupponat mouens immotum: quæ ratio vniuerſalis eſt, & ad cæleſtia ſenſibilia, & ad ſubcæleſtia; vt ratio vniuerſalis verificanda ſit etiam in ſingulis, vndè & cælum à ſe motum mouetur ab immobili: & animal ſubcæleſte motum à ſe, ſimiliter mouetur ab immobili.

Num. 34. *Textus. Etenim in iis manifeſtum eſt, non poſſe quicquam moueri, niſi aliquid quieſcat. Ac primũ quidem in animalibus. Oportet nanque, ſi aliqua mouetur pars, quieſcere quippiã: & hanc ob cauſam articulorum flexus animalibus inſunt. His enim vtuntur flexibus, vt centro quodam, ſiquę totum membrum, in quo articuli eſt flexus, vnum, & duo, nec non rectum, & curuum, inflexus gratia, cum actu, tum poteſtate commutatum. Cum mouetur autem, & inflectitur, alia quidem mouetur nota, alia verò in ipſo inflexu quieſcit; quemadmodum ſi diametri, A. et D. quieſcat, B. verò moueatur, & fiat A. C. Verum hoc in loco impaſſibile omnino videtur eſſe centrum. In illis enim motiones figunt. Mathematicorum nanque mouetur nullum. In articulorum autem curuaturis poteſtate, et actu modò quidem fit vnum, modò autem partibile. Verùm initiũ vt eiuſmodi eſt quieſcit, inferiori parte mota: vt brachio quidem moto cubitus, toto autem membro humerus: & tibia quidem mota genu: toto verò crure, coxa. Quod igitur vnumquodque in ſe ipſo quieſcent quippiam habere oportet, vnde motionis eſt initium, & ad quod innixum totum ſimul mouebitur, & per partes, manifeſtum eſt.*

Obſeruatio. Textus eſt ſatis clarus, in quo exemplo lineæ A. B. C. cuius diuiſio in puncto D. & B. eſt, ita vt B. C. moueatur, & A. D. quieſcat: oſtendit, quomodo membrum animalis, vt puta digitus ſit vnum, & rectus, ſicut linea recta; ſed poſſit fieri curuus, & duo, ſi ad inflexionem articuli reflectatur. Diſcrimen verò eſt, quoniam in linea punctum B. eſt impartibile, in digito flexus articuli eſt par-

partibilis. Idcirco in linea punctum B. tanquam si duo esset, signatur duabus litteris D. & B. cum tamen sit centrũ impartibile diametri propositæ. Sed in naturalibus membris flexus articuli habet duas partes, partem A. D. quiescentem, cuius vltimum est D. & partem B. C. motã, cuius principium est B. si ergo digitus dirigitur D. & B. se habent, vt vnum actu, duo potestate. si autẽ digitus incuruetur, D & B. se habent, vt duo actu, & D. stat, B. mouetur.

Secundò. Animal, vel comparari ad extrinsecum corpus, vt ad terram, vel partem totam animalis ad alteram partem totam: dico totam, quia manus ex corpore, & anima constat, similiter & brachium ex corpore, & anima: igitur siue cõparetur animal secundum suas partes internas, vnum totum, quod est pars, mouetur, altero toto, quæ est pars, quiescente; vt moto brachio, quiescit cubitus, moto toto membro ex cubito, & brachio, quiescit humerus. Ergo id, quod mouetur intra ipsum animal, præsupponit partem immotam, à qua mouetur. Quare omne animal, quod mouetur motu progressiuo, habet vnam partem quiescentem intra seipsum, quę pars quiescens est principium vndè motionis, tùm ipsi animali toti, tum cæteris partibus.

Tertiò, in hoc textu, si quæras, quando humerus non motus mouet cubitum, & cubitus non motus mouet brachium, loquitur ne Philosophus de mouente in genere finis, an de mouente in genere efficientis? Respondeo, ne fingere quidem licet, quòd mouens non motũ, de quo hic sermo, sit finis, cuius gratia. Sed verba textus aperta sunt, est initium vndè motionis. Ergo dissoluuntur nebulæ illorum, qui non vident in Aristotele aliquid non motum mouens effectiuè.

Exponitur caput secundum lib. de com. mot. Caput. II. Num. 11.

TEXTVS. *Veruntamen omnis impetus efficax est quies, nisi extrinsecus aliquid fuerit simpliciter quiescens & omni carens motu. Opera pretium autem est accuratè æstimantes de eo quod dictum est, perscrutari. Contemplationem enim quandam habet non solùm ad animalia. verùm, ad ipsius etiam vniuersi motum, & lationem pertinentem.*

Obseruatio. Quasi prægus esset Aristoteles, quòd nos dubitaturi essemus de modo, quo totum uniuersum mouetur ab extrinseco immobili efficienter, dicit: animal quoque totum moueri ab aliquo extrinseco simpliciter immobili, & hoc efficienter, vt videbimus. Quare consideratio ista de extrinseco motore immobili, non solùm pertinet ad considerationem de animalibus sublunaribus sed etiam ad considerationem de motu cæli, & vniuersi.

Secundò. Duplex immobile in animalibus sublunaribus requirit Arist. vnum intrinsecũ; quoniam ab vna parte animalis manente, altera pars mouetur: alterum extrinsecum, quia totũ

animal est mouens motum, vndè & illa pars, quæ primò quiescit, & mouet cęteras, atque totum, illa, inquam, pars prima mouetur cum toto animali. Nihil autem potest moueri localiter, nisi beneficio alicuius immobilis mouentis: ergo extra totũ animal, quod mouetur à se, requiritur aliquid simpliciter immobile, alioqui omnis conatus ipsius animalis est inefficax.

Num. 16. *Textus. Quemadmodum enim in ipso immobile quidam esse oportet, si debet moueri: ita etiam magis extra ipsum animal quippiã esse oportet immobile, ad quod inniſum. quod motum est, mouetur. Si enim semper cesserit, vt muribus per terram, aut arenam progredientibus, non sanè progredietur: neque certè vllus erit progressus, nisi stet terra: neque volatus, aut natatio, nisi aer, aut mare resistant.* Hoc autem *aliud ab eo esse, quod mouetur, necesse est, & totum a toto, nullamque rei motæ esse portionem, quod sic est immobile. Sin secus fuerit, nõ mouebitur.*

In lib. de incessu animal. cap. 3. cat. 1351. eadẽ ipsa repetuntur. Ac animalium, inquit, profectò quęcunque loco mouentur, alia quidem toto simul corpore mouẽtur, vt illa, quę saltu locũ mutãt: alia verò per partes, vt quęcũq; progressibus vtũtur. In vtriſque autẽ huiusmodi mutationibus sẽper mutatur id, quod mouetur, inisũ ad id, quod illi subiacet. Quãobrẽ siue id citius dilabatur, quàm vt inniti possit id, quod super illud mouetur; siue nullum motis præbeat firmamentum, nihil super illud seipsum mouere poterit. Hæc Aristot. quæ mirè consonant cũ proposito textu nostro.

Obseruatio. Omne mobile roboratur super virtute alicuius immobilis mouentis effectiuè ipsum animal. Licet autem aer volantibus resistat, & mare natantibus, propter multitudinẽ: stabilitas tamen horum elementorum in primis est à terræ immobilitate. Quæ est immobilis simpliciter, tanquam centrũ vniuersi. Quapropter omnia animalia mediatè, vel immediatè mouentur à terra immobili.

Secundò. Hic nec per somnium Arist. loqui potest de mouente finaliter: quod enim mouetur gratia alicuius finis, accedit ad finem, non recedit. Sed animalia pellunt terram, receduntque ab illa; Imò verò à terra pelluntur effectiuè, non finaliter attrahuntur.

Tertiò. Confert totum mouẽs motum cum mouente immoto, & vult, quòd unum totum sit extra aliud; ita vt mouens immobile nulla sit pars animalis moti, sicuti inductio facta in terra manifestat. Hinc refellitur opinio dicens, quòd primum mouens immobile sit anima informans primum cælum. Anima enim informans (si qua talis est) est per se pars cęli moti; at secundum Arist. animatum motum non innititur ad animam propriam, tanquam ad immobile, sed ad aliquid totaliter extrinsecum, quale est terra, terra autem nulla est pars animalis moti, neque forma, neque materia,

Digitized by Google

teria, quę ſunt partes eſſentiales, neque cor, aut neruus, quæ ſũt partes integrantes.

Quartò. Hic eſt modus ab Ariſt. explicatus, quo motor immobilis primus mouet totum vniuerſum. Quòd ſi vnum animal tantùm terræ innixum moueretur: ſimile eſſet cum mundo, qui vnus eſt tantùm, & vni immobili motori innititur. Et ſicut terra non mouet finaliter quia nullum agens pellit à ſe ſuum finem, aut pellitur à fine, ſed mouet effectiuè. Ita primus motor mouet vniuersũ effectiuè.

Textus. Huic autem rei teſti-
Num. *monio eſſe poteſt id, de quo ambigi*
37. *ſolet. Cur ſi quis nauigium extra propellat conto ad malum inniſus, vel ad aliam illius partem, paruo negotio illud mouet. Contra, ſi in ipſo ſit nauigio, & idipſum facere contendat, minimè illud mouere poſſit etc. Neceſſe eſt primũ ad ſuarum quampiam partiũ quieſcentem inniſum propellere: deinde hanc ipſam partem, aut cuius nam contingat eſſe pars, ad extremum quiddam inniſam quieſcere.*

Obſeruatio. Duplex mouẽs immobile iterũ deſiderat, vnũ, quod ſit pars rei motę, & moueat reliquas, ſicuti nauta eſt pars totius nauis: alterũ immobile, cuiuſmodi eſt terra, quę nullo modo eſt pars. His duobus mouẽtibus immotis, mouebitur nauis, alioqui non mouebitur, ſicuti neque animal mouebitur.

Textus. Qui autem nauigium propellit, cũ ipſe in nauigio ſit, nullique innitatur, rationabiliter nauigium non mouet: quoniam id, cui innititur, manere neceſſe eſt. Accidit autem ipſi idem, & quod mouetur, & cui innititur. Qui autem extra propellit, vel trahit, ſanè mouet. Nulla enim nauigij pars eſt terra.

Obſeruatio. Quia primum mouens manere debet, ſecũdũ mouens non mouebit, niſi innitatur in manente. Nunc autem, qui in nauigio eſt, mouet nauigium, ergo nauigium non manet. Rurſus; nititur ipſi nauigio, ergo nauigiũ manet: quare nauigium, & mouetur, & nõ mouetur, & manet, & non manet, quod eſt abſurdum; ideò ſecundum naturæ iura nauigiũ non mouebitur ab exiſtente in nauigio. Neceſſe eſt igitur, vt extra nauigium ſit aliquid ſtabile, vt terra, cui ſi innitatur homo exiſtens extra nauigium poteſt pellere, & trahere nauigium. Item homo exiſtens in nauigio, conto poteſt pellere, & trahere nauigium, ſi terræ adhæreat. Terra itaque primò nulla nauigij pars eſt, ſiue informans nauigium, ſiuè aſſiſtẽs nauigio: ſecundò terra eſt immobilis: tertiò terra trahit, vel pellit nauigium.

Secũdò. Nihil refert ad hoc, vt mobile à ſe ipſo, habeat intra ſe partem mouentem, quæ informet, vel non informet, ſatis eſt, vt ſit actus aſſiſtens, ſicut nauta in naui, vel informans, ſicut anima in animali; nã mouens internum, inquantum eſt efficiens mouet, nõ inquantũ eſt informans, vel aſſiſtens. Itaque quod aliquid mouens immobile ſit extra rẽ motam, eſt neceſſariũ: quòd autẽ aliquid mouẽs

mo-

motum ſit intra, vel extra tẽ: no tam, nõ eſt neceſſariũ pro alterutra parte. Nam poteſt nauis moueri ab homine, qui eſt mouens motum, ſiue homo ſit extra, ſiue intra nauem. Ita quoq; animal poteſt moueri, & ab interiore mouente moto, vt à corde vel anima, & ab exteriore mouente moto, ſicut canis ab homine.

Tertiò. Deniq; per 7. phyſ. 10. Vertigo tractu, & pulſu conſtat. Quare ſicut mouens immobile mouet effectiuè pellendo, vel trahendo, ſic mouebit conuertendo. Nam ſi homo ſphæram voluat, profectò terræ nitatur, oportet.

Num. 39. Primum Corollarium. Hinc habemus, quòd nulla pars rei motæ eſt primum mouens immobile: ſed mouens immotum eſt omnino extra tem motam, & extra omnes eius partes.

Secundum Coroll. Videmus, quomodo mouens immotũ non adhibet totum proprium impetum ad mouendum, ſed ſecundum proportionem ad impetũ mouentis moti; neque enim tota grauitas terræ impetum facit in nauigium, vel animal; ſed quãto robore animal pellit terram, vel trahit, tanto robore ſecundum proportionem exceſſus cuiuſdã repellitur, vel retrahitur.

Tertium Coroll. Sicuti terra manens mouet nauem, & terra nulla eſt omnino nauis portio. Sic primum incorporeũ, quod eſt longè immobilius, quàm terra, longè facilius poteſt mouere omnia mota in vniuerſo, præſertim cælum, cum tamen primũ, in corporeũ nulla ſit pars vniuerſi.

Quartum Coroll. Si quis motorem immobilem ad ſe trahat, non trahet illum ad ſe, ſed ab illo trahetur; ſi propulerit motorem immobilem, non propellet, ſed ab eo propelletur. Terra quippe trahit, & pellit nautam, ac nauẽ, non è contra. Hinc in capite quarto dicet Philoſophus, à Ioue trahi ſurſum numina, non à numinibus Iouem.

Explicatur cap. 3. libri de commot. Caput. III.

TExtus *Sed dubitare ſanè poterit aliquis, an ſi quid vniuerſum mouet cælũ, & omni carere motu, & nullã cæli eſſe partem, neque in cælo eſſe, oporteat. Siue enim ipſũ motum cælum mouet, aliquod ſanè non motum attingens neceſſe eſt ipſum mouere: id autem nullam mouentis eſſe partem; ſiue continuò non motum eſt, id quod mouet, nulla itidẽ motæ rei erit pars.* *Num. 40.*

Obſeruatio. Quam de animalibus quæſtionem propoſuit, de cælo proponit. Satis fortaſſe fuerat in communi dixiſſe, idem de cælo, & animalibus dici, videlicet, quòd mouentur à motore immobili extrinſeco, qui nulla pars ſit animalis, vel cæli; ſicuti cap. 1. & 2. affirmatum eſt. Sed Ariſtot. non contentus communibus ad cælum, & ſubcæleſtia animantia: non contentus item dictis de ſubcæleſti; ſpeciatim de motu cæli & illius mouente diſceptat; eſt enim aliqua differentia inter cælum, & animalia. Adde, quia in 2. de cælo 50. natura non deſpiciẽ pretioſiora, ergo nec Ariſtoteles naturæ æmulus. Cum ergo cælum ſit motum, de mo-

tore

tote cæli duo quæruntur, primũ an motor cæli de necessitate careat omni motus: secundum, an cęli motor sit aliqua cęli pars, vel nulla. Statim rationem affert primę dubitationis. Si enim cælum est motum, quæro de motore immediato, an sit motor motus, an motor immotus. Sit primò motor motus, ergo necessarium est, vt iste motor attingat, & innitatur ad motorẽ immotum, qui motor immotus nulla pars est ipsius mouentis moti; sicut neque cæli. Sit secundò motor immotus, ergo iste motor immotus ex concessione, omni caret motu, & per consequens nulla pars cæli esse potest. Hanc rationem in fine capitis approbat.

Num. 41. Textus. *Et hoc sanè rectè dicere videntur, quicunque asserunt, quòd circul- lata sphæra nulla omnino manet pars: aut enim totam stare necesse est, aut illius continuam diuelli.*

Obseruatio. Hic ponit vel dubitationem pro secunda parte, quòd motor cæli immotus nulla pars cæli existat. vel ponit responsionem aliorum, quã partim approbat, partim reprobat. Si etenim consideramus partes cæli, nulla pars cæli manet: alioqui si vna maneret, alia moueretur, cæli continuitas frangeretur. Ergo vel cælũ totum stat, vel nulla cæli pars stare potest. Si autem consideremus polos, poli perpetuò manent immobiles. Igitur aliqui dicere possent ipsos polos immobiles esse, quibus cælo insertis, cælũ nixum est, & mouetur.

Textus. *Verùm quoniam polos potentiam habere quandam arbitrantur: cum nullam habeant magnitudinem, sed vltima, & puncta existunt: id satis non rectè. Ad hoc enim, quòd nulla illorum est essentia, fieri non potest, vt vnius à duobus agatur motus. Polos porrò duos faciunt.*

Obseruatio. Approbauit primam partem, quòd nulla pars cæli stet immota; reprobat secundam, quòd motus cæli innitetur super immobilitate polorum: tribus rationibus.

Prima, quę nullam habẽt magnitudinem, sed sunt puncta, non habent potentiam, vel manendi, vel mouendi: poli sunt puncta impartibilia, & sine magnitudine, ergo nõ possunt manere, aut mouere. Ratio maioris esse potest, quia quantitas, vel quantitatis terminus non est ratio agendi, vel patiendi.

Secunda, punctorum nulla est substantia, siue essentia per se existens, ergo cum per se esse nequeant, per se manere, aut mouere non poterunt.

Tertia. Vnus motus non potest esse à duobus motiuis æquè primis. Cæli primi motus est vnus, poli vero duo sunt: ergo ab immobilitate duorum polorum non causabitur vnus motus.

Textus. *Quòd igitur ad vniuersam naturã quidam sic se habeat, vt terra ad animalia, & ad ea, quæ per se mouentur, ex huiusmodi quispiam dubitare poterit.* *Num. 42.*

Obseruatio. Concludit dubitationem, eo quod, sicut se habet terra immobilis ad animalia, quæ sunt mouentia mota:

ta: sic aliquid immobile mouens se habet ad cælum, quod est mouens motum, quia scilicet per se mouetur.

Textus. *Verum ii, qui in fabulis versantur, & Atlantem pedes in terra habere faciunt: non sine mente hanc fabulam dixisse videri possunt; perinde ac ille diameter sit, cælumq; circum polos torqueat. Id autem ratione contenzere videtur, quoniam manet terra.*

Obseruatio. Quando sphæra mouetur spherice, tunc centrum sphæræ stat, & vna diameter imaginata, super qua sphæra voluitur: quæ diameter stans, Axis appellatur: extrema ipsius Axis tangentia superficiē sphæræ, dicuntur poli. Sic fabulosa poetarum philosophia finxit, Atlantem sustinere cælū, atque mouere, quasi Atlas esset Axis innixus centro, & ipse Atlas immobilis moueret cælum, quatenus super centri stabilitate stabiliretur.

Textus. *Verùm huiusmodi rei assertoribus concedere est necesse, illam vniuersi nullam esse partem. Præterea mouentis robur, et quiescentis æquabiliter se habere oportet. Est enim magnitudo roboris, & potentiæ, qua sic manet, quod quiescit, sicut qua motor mouet. Et profectò quædam necessariò est proportio, vt cōtrariorum motuū, sic etiam ipsarum quietum. Et quæcunque sunt æquales, à se inuicem non patiuntur, per exuperantiam autem vincuntur. Quamobrem, siue Atlas, siue aliud quippiam sit, quòd mouet ex ijs, quæ intra continentur: nihilo magis excedere debet quietem, qua terra manet, vel de medio, suoque loco mouebitur terra. Vt enim impellens impellit, sic impulsum impellitur, & similiter vt est robur. Mouet autem primum quiescens, idcircò maius, & valentius robur, aut simile, et æquale quieti. Eodemque modo rei mota, quæ tamen non mouet. Tantam igitur in quiescendo terræ facultatem esse oportebit, quantam habet, tum vniuersum cælum, tum illius motor. Quod si hoc fieri non potest, neque vt cælum a quopiam, quod intus sit, moueatur, fieri potest.*

Obseruatio. Centrum immobile dat stabilitatem toti cælo, sed & motionem dat quodammodo ex 8. phys. 76. simpliciter, tamen stabile centrum dat stabilitatem cælo, sed non dat motum, vt nunc probat Philosophus duplici ratione, altera breui, altera prolixiore. Brevior est, quod immotum mouet, nulla est pars rei motæ, ergo si terra mouet Atlantem, vel robur ei dat ad mouendum vniuersum, terra autem non mouetur, terra vtique non esset vlla pars vniuersi, quod est absurdum.

Secunda. Qualis est proportio roboris mouentis ad ipsum mouere, talis est roboris quietantis ad ipsum quietare. Hanc propositionem declarat comparando motum ad motum, quietem ad quietem, vt similiter dicatur secundum proportionem ipsius motus ad quietem. Præterea 2. supponit, quòd motor, & motum habent proportionē æquabilem, non dico æqualem, quia si comparentur vires, tantaque sit vis in mouente, quan- *Num. 43.*

ta

ta in moto, non fit motio; ſi maior eſt in mouente, fit motio, nam motio eſt à ſuperiori proportione, non ab æquali. Neq; tamen motor debet ita ſuperare motum in mouendo, vt vehementer exuperet, ſiquidem aut non mouebit, aut parum mouebit, veluti ſi totis viribus plumam iacias. Ergo motor debet ſecundum proportionem quandam æquabilem ſuperare motum. Sic dicatur de quietãte, & quietato; ſimiliter de quietante, & mouente. Nam ſi robur quietãtis fuerit maius robore mouentis, quietãs vincet, & propellet mouens. Si robur mouentis maius fuerit, certè quietans vincetur, ac de ſuo loco expelletur. Iam verò, ſi Atlas habet maiorem vim ad mouendũ, quàm terra ad quietandum: Atlas terram loco ſuo pellet, quatè terra manens, & iam mota non erit ſtabile mouens ſufficiens ad mouendũ cælum. Si autem terra ſit potentior ad quietandum, quàm ſit robur Atlantis, tunc Atlas robore terræ mouebit cælum, & per conſequens cælum habebit minus roboris, quàm Atlas, Atlas minus roboris, quàm terra. Ergo terra erit maioris roboris, quàm cælum, & quàm cæli motor, quod eſt ridiculum. Idem dicas de quocunque motore exiſtente intra cælum.

Conſectarium eſt. Cælum non poteſt moueri ab aliquo quod ſit intra cælum, tanquam à motore immobili: neque poteſt moueri ab aliqua parte vniuerſi tanquã à manente, vel mouẽte.

Secundò, Præclarè cernis tractari de robore mouendi, & roboro quietandi: quodque robur mouentis immoti ſit maius, quã robur mouentis moti. Si quæras, in quo genere potentiæ, aut roboris loquitur, in genere cauſę effectricis, an finalis? Certè non potes, vel per ſomnium, hæc dicta accipere de mouente finali, ſed præciſè intelliguntur de mouente effectiuè, vt cognoſcas alioquod immobile eſſe mouens effectiue.

Exponitur cap. 4. de com. mot.

Caput. IV.

TExtus. *Eſt autẽ dubitatio quæ dã de partiũ cæli motibus, quæ quoniã ijs, quæ dicta ſũt, eſt cognata, nõ ab re hoc in loco perſcrutari poterit. Nã ſi quis motionis potentia terræ quietem exceſſerit, manifeſtum ſanè eſt, quòd illam mouebit è medio. Quòd autem robur, à quo illi iſthac ineſt potentia, non eſt infinitum, clarum eſt, neque enim infinita eſt ipſa terra, quamobrem, neque illius grauitas.* Num. 44.

Obſeruatio. Dubitationem congeneam ſupra dictis, proponit de cælo, & vniuerſo. Quæſtio eſt. An vniuerſum poſſit diſſolui. Ponit tres ſuppoſitiones. Prima, ſi datur vis motiua potentior, quàm ſit vis quietatiua terræ, illa potentia motiua mouebit terram ex medio vniuerſi. Hæc ſuppoſitio clara eſt per dicta cap. præcedenti. Secunda ſuppoſitio, terra non habet vim quietatiuam infinitam, hoc eſt, grauitatem infinitam non habet, vt oſtenſum vt in 1. de cælo 51. & inde, quia per 8.

phyſ. 79. in magnitudine finita non poteſt eſſe potentia motiua infinita: ſed terra eſt magnitudinis finitæ; ergo terra non habet potentiam motiuam, vel quietatiuam infinitam, quarè grauitas terræ, quæ & motum, & quietem terræ efficit, non eſt infinita. Hic nota, maiorem propoſitionem 8. phyſ. 79. accipi de potentia actiua, nõ finali, nam de finali non concluderet. Tertia, omni potentia finita poteſt accipi potentia maior, vnde & poteſt accipi potentia maior, in mouendo, quàm ſit potentia terræ in quieſcendò. Hæc 3. ſuppoſitio paulò inferius habebitur. Tunc arguo ſic. Si terra poteſt moueri de medio vniuerſi, ergo totum vniuerſum poteſt diſſolui; probatur antecedens, ſi poteſt haberi maior potentia in mouendo, quàm ſit potentia terræ in quietando, ergo terra poteſt expelli ex medio vniuerſi, per primam ſuppoſitionem: ſed poteſt haberi maior potentia in mouendo, quàm ſit potentia terre inquietãdo, quia per tertiam ſuppoſitionem, omni vi finita poteſt dari maior, & per ſecundam ſuppoſitionẽ vis terræ eſt finita, ergo terra poteſt depelli ex medio vniuerſi. Probatur conſequentia, quia medium vniuerſi dat intrinſecè ſtabilitatem toti vniuerſo, ergo moto ipſo medio de ſua ſede, omnia corpora turbabuntur de ſuo loco, & per conſequens vniuerſum diſſoluetur.

Num. 45. Textus. *Quoniam autem impoſſibile multipliciter dicitur (non enim eodem modo impoſſibile eſſe dicimus, vocem videri à nobis, & illos, qui in orbe ſunt luna: cum alterum ex neceſſitate ſit, alterũ autem, quam vis natum ſit videri, non tamen videbitur) cælum verò incorruptibile, & non diſſolubile arbitramur quidem ex neceſſitate eſſe; hoc verò ratione non ex neceſſitate contingit.*

Obſeruatio. Duplex eſt impoſſibile, alterum ſimpliciter, quod opponitur neceſſario; alterum ex conditione aliqua, quod abſolutè nõ eſt impoſſibile ex ſe. Vocem videri eſt ſimpliciter impoſſibile; ſed homines cõſtitutos in orbe Lunæ per ſe viſibiles, nos non videmus propter conditionem diſtantiæ. Mundum diſſolui eſt impoſſibile ſimpliciter, ſicut neceſſariũ eſt cælum non diſſolui. Sed iuxta dubitationem propoſitam cælũ poſſet diſſolui, nec eſſet neceſſariò indiſſolubile.

Secunda Ariſtoteles ponit exemplum falſum ſecundum sẽtentiam propriam, quòd ſcilicet in luna ſint aliqui homines viſibiles, quòd Pythagorei quidã arbitrati ſunt. Item cælũ eſſe indiſſolubile ex ſui natura fortaſſe verum eſt: ſed mundus conſtaret ex parte cæleſti indiſſolubili, & ex ſubcæleſti diſſolubili, vnde totum vniuerſum non videtur æqualiter indiſſolubile; ſed hæc inter dubitandũ dicta ſint obiter.

Textus. *Natus etenim eſt, & contingit fieri motus maior, quàm à quo quieſcit terra, & à quo ignis, & ſupremum corpus mouetur. Itaque ſi exuperantes fuerint motiones iſtæ à ſe inuicem diſ-*

dissoluentur. Sin verò tales quidem non fuerint, illas autem esse contigerit (infinitum enim non cõtingit, quoniam neque infinitum esse contingit corpus) contingit fanè dissolui cælum. Quid enim prohibet hoc accidere posse, siquidem non est impossibile? Non est autẽ impossibile, nisi contrarium fuerit necessarium. Verùm de huiusmodi dubitatione alius sermo erit.

Obseruatio. Tertia suppositio erat, dari posse potentiam motiuam, quæ superet, tùm potentia motiua cæli, & aliorũ, tùm potentiam statiuam terræ, & aliorum. Quoniam omnis potentia actiua finita potest superari per augumentum potentiæ iuxta rationem constructam in 8. phyſ. 79. sed potentia motiua cæli, & statiua terræ est finita, quoniam hæc corpora sunt finita, & per consequens eorum potentia est finita, ergo poterit esse ab hac potentia excedente motus, quo terra loco pellatur, & cælum, & alia: atque corpora vniuersi à se se diuellantur, mundusque, vel de facto dissoluatur, vel de possibili sit dissolubilis.

Secunda. Hic duæ distinctiones notentur de potentia effectiua, vel enim est intrinseca, vel extrinseca: infinita, vel finita. Potentia infinita, siue extrinseca, siue intrinseca non potest superari: qaure si mundus, potentiæ infinitæ sit innixus, nõ erit dissolubilis. Si potentia est finita, siue intrinseca, siue extrinseca corpori, potest superari per additamentum potentiæ ad potentiam. Sed tamen potentia infinita non potest esse intrinseca corpori, vel magnitudini finitæ, ergo danda est potentia infinita extrinseca motoris immobilis; quam potentiam statim concludet Aristoteles, qui differt solutionem dubitationis præsentis, vt soluat paulò post. *Num. 46.*

Textus. *Vtrum autem oporteat extra id, quod mouetur, immotum quiddam esse, & quiescens, quod nulla illius existat pars? An secus? Et hoc vtrum ita se habere in ipso vniuerso est necessarium? Fortasse enim videri poterit ineõueniens esse, si motionis principiũ intus sit.*

Quamobrem ita existimantibus videri poterit rectè ab Homero fuisse dictum.

Sed vobis nunquam cælo deducere ab alto

Ad terram dabitur summum q; scium q; tonantem:

Non si peruigili studio, multoq; labore

Diq; Deæue omnes trahere pariter inde velitis.

Quod enim omnino immobile est, a nullo moueri contingit. Vndè etiam iam dicta soluitur difficultas, an contingit cæli compositionem dissolui, vel non contingit. Si quidem ex immobili dependet principio.

Obseruatio. Soluit ambas dubitationes. Prima fuit, an immobilis cæli motor sit intra, vel extra cælum. Respondet nõ esse intra. Secunda fuit, an mũdus esset dissolubilis: Respondet non esse, quia ex immobili dependet principio. Declarat autem potentiam insuperabilẽ

ipsius immobilis mouentis, tùm in se, tùm in mundo. In se, ex Homero, apud quem Iuppiter, nec ab omnibus Diis, aut Deabus potest loco moueri. Fabulam detrahe; ideſt, primum immobile à nulla potentia motiua data, vel dabili potest moueri. In mundo, quia mundus insuperabili robore sustẽtatus à primo immobili, non est de facto, aut de possibili dissolubilis. Sicut potentia infinita primi motoris, nec de facto, nec de possibili est superabilis. Dixi infinitam, sed intensiuè, alioqui per augumentum potentiæ finitæ posset æquari, ac superari. Ex quo constat ratio primæ solutionis, quia potentia intensiuè infinita non potest esse in magnitudine finita per 8. phys. ergo est extra.

2. Constat, quòd hæc doctrina de mouente est de efficiente, nõ de fine: nam verborum connexus de fine non est. Ratio quoque id manifestat, quia si finis est maioris bonitatis, non propterea magis resistit mouentibus; comparatis quippe terræ, & homine, homo præstantior est, nec tamen est magis immobilis; nec ordinata ad finem maiorem, illique nixa, sunt magis stabilia, nam ordinata ad generationem, vel conseruationem hominis facilius dissolues, quã ordinata ad generationem, & conseruationem terræ. Si autem aliquid sit effectiuè robustius, nec mouetur ab aliis ipsum, nec illi adhærentia: vt Milonẽ Crotoniatem nemo poterat de loco pellere: nemo poterat ab eo pomum duobus digitis apprehensum diuellere.

Tertia. Comparatio de terra, quæ mouet animal, & primo motore, qui mouet cælum habet similitudines, ac dissimilitudines. Prima similitudo. Robur quietans terram superat omne robur totius animalis stãtis, aut mouentis, ac robur omnium partium animalis. Sic primum immobile superat robur totius mundi, & omnium partium eius. Secunda, terra est extrinseca animali, nullaque pars est ipsius animalis: ita primum est extra mundum, nullaque mundi est pars. Tertia, terra suapte virtute est stabilis, & effectiuè mouet, ac stabilit animalia. Itidem, & primum immobile suapte virtute, & natura est immobile, datque motum, ac statum cælo, ac terræ, & cæteris. Quarta, terra non toto impetu mouet animalia, sed proportionaliter ad impetum animalis trahentis, vel pellentis. Primum quoque non infinito impetu mouet cælum, sed proportionaliter ad nixum cæli, & aliorum, quæ mouentur à primo. Dissimilitudo prima est. Animal habet vnam partem intra, quæ mouet omnes alias: mundus terram immotam intra se habet, quæ mouet aliquas mundi partes, nõ omnes alias. Secunda, terra est immobilis respectu animalium, secundum totum non mouetur; At secundum partes mouetur localiter. Primum immobile est immobile omninò. 3. terra tangit, ac tangitur ab animalibus

Num. 47.

Terra similis & dissimilis primo enti in mouendo.

bus contactu mathematico: primum immobile non item. Vnde 8. phyſ. 43. motiuum, & mobile dicuntur, aut mutuò ſe tãgere, aut vnum tangere alterũ. Quia enim ex eodem lib. tex. 46. mobile neceſſariò eſt corpus, mouens non neceſſariò: ideò ſi mouens, & motum ſint corpora mutuò ſe tangunt; ſi mouens non eſt corpus, non tangitur ſed tangit; vnde eſt contactus virtualis in omni mouẽte phyſicè, ſed contactus mathematicus non eſt, niſi in mouente phyſico, nimirum quia aliquo modo repatitur.

Quarta. Hinc apparet clarius, quare ſi primum mouens eſt extra magnitudinem, non ſequitur abſurdum 8. phyſ. 79. vt moueat in non tempore. Si enim potentia infinita ſit in magnitudine, ipſa magnitudo eſt mobilis, nimirum in tempore: ſi vis intrinſeca eſt infinita, mouebitur in non tempore, quod implicat. Ita etiam mouebit magnitudinem alienam in non tempore, quia motum mouens tanto impetu mouet, quanto mouetur, ergo magnitudo habens potentiam infinitam, & mota impetu infinito, mouebit allam magnitudinem impetu infinito. At ſi potentia infinita ſit extra magnitudinem, ſubſtantia talis potentiæ non eſt mobilis, ſed infinita vi ſtabilis eſt. Non ergo mouet propriam magnitudinem impetu infinito, neque alienam, quia non ſequitur impetum in mouendo. Idcirco vis infinita primi motoris exercetur in actu immobilitandi ſe, in quo actu eſt infinita immobilitatio, & intenſiuè, & extenſiuè. Intenſiuè, cum à nullis ſimul Diis, Deabuſque, ideſt à nullis quantumuis potentiſſimis poſſit ſuperari, & moueri; extenſiuè, quia infinita duratione permanet immobilis. Exercet autem in mouendo, aut quietando alia, actum proportionatum ſecũdis motiuis, vt ſupra dixi: & receptiuis, nam actus actiuorum in patiẽte, & diſpoſito recipiuntur 2. de anima 24. Ratio eſſe poteſt, quia primus motor habet in ſe vim per eſſentiã, ideò tota vi ſe ſtabilit. In alijs vis eius participata eſt pro modulo participantium. Ideoque vniuerſo dat interminatam durationem, vt quemadmodum primum immobile non ſuperatur, ſic nec mundus dependens ex primo immobili diſſoluatur. Differunt autem, quæ immediatè, & quæ mediatè à primo depẽdent; nam quę propè ſunt, incorrupta manent: quæ longè diſtant, corruptibilia ſunt, non defectu primi mouentis, ſed ſecundorum, à quibus dependẽt immediatè. Lege ſecundum de ort. & interit. 59. contex.

Num. 48.

Quintò. Quæ deinceps habet Philoſophus in 4. & 5. cap. ad nos non attinent. Quæ in 6. attinent. Cum enim tractatum ſit de toto extrinſeco mouente totum animal, tractandum eſt de parte intrinſeca animalis, ſcilicet de forma mouente aliam partem.

Et

ipsius immobilis mouentis, tùm in se, tùm in mundo. In se, ex Homero, apud quem Iuppiter, nec ab omnibus Diis, aut Deabus potest loco moueri. Fabulam detrahe; idest, primum immobile à nulla potentia motiua data, vel dabili potest moueri. In mundo, quia mundus insuperabili robore sustẽtatus à primo immobili, non est de facto, aut de possibili dissolubilis. Sicut potentia infinita primi motoris, nec de facto, nec de possibili est superabilis. Dixi infinitam, sed intensiuè, alioqui per augumentum potentiæ finitæ posset æquari, ac superari. Ex quo constat ratio primæ solutionis, quia potentia intensiuè infinita non potest esse in magnitudine finita per 8. phys. ergo est extra.

2. Constat, quòd hæc doctrina de mouente est de efficiente, nõ de fine: nam verborum connexus de fine non est. Ratio quoque id manifestat, quia si finis est maioris bonitatis, non propterea magis resistit mouentibus; comparatis quippe terræ, & homine, homo præstantior est, nec tamen est magis immobilis; nec ordinata ad finem maiorem, illique nixa, sunt magis stabilia, nam ordinata ad generationem, vel conseruationem hominis facilius dissolues, quã ordinata ad generationem, & conseruationem terræ. Si autem aliquid sit effectiuè robustius, nec mouetur ab aliis ipsum, nec illi adhærentia: vt Milonẽ Crotoniatem nemo poterat de loco pellere: nemo poterat ab eo pomum duobus digitis apprehensum diuellere.

Tertia. Comparatio de terra, quæ mouet animal, & primo motore, qui mouet cælum habet similitudines, ac dissimilitudines. Prima similitudo. Robur quietans terram superat omne robur totius animalis stãtis, aut mouentis, ac robur omnium partium animalis. Sic primum immobile superat robur totius mundi, & omnium partium eius. Secunda, terra est extrinseca animali, nullaque pars est ipsius animalis: ita primum est extra mundum, nullaque mundi est pars. Tertia, terra suapte virtute est stabilis, & effectiuè mouet, ac stabilit animalia. Itidem, & primum immobile suapte virtute, & natura est immobile, datque motum, ac statum cælo, ac terræ, & cæteris. Quarta, terra non toto impetu mouet animalia, sed proportionaliter ad impetum animalis trahentis, vel pellentis. Primum quoque non infinito impetu mouet cælum, sed proportionaliter ad nixum cæli, & aliorum, quæ mouentur à primo. Dissimilitudo prima est. Animal habet vnam partem intra, quæ mouet omnes alias: mundus terram immotam intra se habet, quæ mouet aliquas mundi partes, nõ omnes alias. Secunda, terra est immobilis respectu animalium, secundum totum non mouetur; At secundum partes mouetur localiter. Primum immobile est immobile omninò. 3. terra tangit, ac tangitur ab animalibus

Num. 47.

Terra similis & dissimilis primo enti in mouendo.

bus contactu mathematico: primum immobile non item. Vnde 8. phyſ. 43. motiuum, & mobile dicuntur, aut mutuò ſe tãgere, aut vnum tangere alterũ. Quia enim ex eodem lib. tex. 46. mobile neceſſariò eſt corpus, mouens non neceſſariò: ideò ſi mouens, & motum ſint corpora mutuò ſe tangunt; ſi mouens non eſt corpus, non tangitur ſed tangit; vnde eſt contactus virtualis in omni mouẽte phyſicè, ſed contactus mathematicus non eſt, niſi in mouente phyſico, nimirum quia aliquo modo repatitur.

Quarta. Hinc apparet clarius, quare ſi primum mouens eſt extra magnitudinem, non ſequitur abſurdum 8. phyſ. 79. vt moueat in non tempore. Si enim potentia infinita ſit in magnitudine, ipſa magnitudo eſt mobilis, nimirum in tempore: ſi vis intrinſeca eſt infinita, mouebitur in non tempore, quod implicat. Ita etiam mouebit magnitudinem alienam in non tempore, quia motum mouens tanto impetu mouet, quanto mouetur, ergo magnitudo habens potentiam infinitam, & mota impetu infinito, mouebit allam magnitudinem impetu infinito. At ſi potentia infinita ſit extra magnitudinem, ſubſtantia talis potentiæ non eſt mobilis, ſed infinita vi ſtabilis eſt. Non ergo mouet propriam magnitudinem impetu infinito, neque alienam, quia non ſequitur impetum in mouendo. Idcirco vis infinita primi motoris exercetur in actu immobilitandi ſe, in quo actu eſt infinita immobilitatio, & intenſiuè, & extenſiuè. Intenſiuè, cum à nullis ſimul Diis, Deabuſque, ideſt à nullis quantumuis potentiſſimis poſſit ſuperari, & moueri; extenſiuè, quia infinita duratione permanet immobilis. Exercet autem in mouendo, aut quietando alia, actum proportionatum ſecũdis motiuis, vt ſupra dixi: & receptiuis, nam actus actiuorum in patiẽte, & diſpoſito recipiuntur 2. de anima 24. Ratio eſſe poteſt, quia primus motor habet in ſe vim per eſſentiã, ideò tota vi ſe ſtabilit. In alijs vis eius participata eſt pro modulo participantium. Ideoque vniuerſo dat interminatam durationem, vt quemadmodum primum immobile non ſuperatur, ſic nec mundus dependens ex primo immobili diſſoluatur. Differunt autem, quæ immediatè, & quæ mediatè à primo depẽdent; nam quę propè ſunt, incorrupta manent: quæ longè diſtant, corruptibilia ſunt, non defectu primi mouentis, ſed ſecundorum, à quibus dependẽt immediatè. Lege ſecundum de ort. & interit. 59. contex.

Num. 48.

Quintò. Quæ deinceps habet Philoſophus in 4. & 5. cap. ad nos non attinent. Quæ in 6. attinent. Cum enim tractatum ſit de toto extrinſeco mouente totum animal, tractandum eſt de parte intrinſeca animalis, ſcilicet de forma mouente aliam partem.

Ex-

propter id illis omnis motionis eſt finis, cuius videlicet gratia.

Obſeruatio. Proximè dixit contemplandum, quomodo anima moueat corpus, vt innoteſcat principium intrinſecum motionis animalium. Interpoſuit comparationem animalium ad inanima ſubcæleſtia, nam de cælo nunc non loquitur. Ergo intextu præſenti argumentatur ex efficiente ad effectum. Omnis motus factus ab animatis habet finem. Ergo, & omnis motus inanimatorum habet finem. Probatur conſequentia, quia motus inanimatorum ab animatis efficitur. Antecedens oſtenditur, quoniam omnis motus animatorum finem habet, cum animalia & moueant, moueantur finis alicuius gratia. Quę tatio imbecilla eſt, eò quòd finis, vel ſignificat finem temporis, quia ſcilicet motiones animatorum, & inanimatorum tandem deſinunt: vel ſignificat cauſam finalem, quæ appellatur, *cuius gratia*. Concluſio, & antecedens ſunt de fine temporis, probatio antecedentis de fine cauſali, & in argumento eſt æquiuocatio; niſi dicamus hanc propoſitionem, omne habens finem, cuius gratia mouetur, vel mouet: habet finem temporis in ſuo motu. Quæ propoſitio æterniratem motus demolitur, quia cęli habent finem, cuius gratia mouent, & mouentur ex 2. de cælo 65. & 66. An dicẽdum eſt hic loqui Ariſt. non de omni motu inanimorum, ſed præciſe de motu facto ab animalibus ſubcæleſtibus, quæ habito fine cuius gratia, definũt ab effectione? Senſuſque erit; quoniam animalia ſubcæleſtia mouent propter aliquem finem cuius gratia: quo fine acquiſito ceſſant ab actione, ergo & omnis motus inanimatorum factus ab animalibus ſubcęleſtibus ceſſabit: ſiquidem ceſſante actione, ceſſat paſſio.

Textus. *Animaduertimus autem cogitationum, phantaſiam, ſelectionem, voluntatem, & cupiditatem animal mouere: hæc autẽ omnia ad mentem referuntur, & appetitionem; phantaſia enim, & ſenſus cum mente eundem habent locum, cum iudicandi habeant facultatem. Attamen iis diſtant, quæ in aliis dicta ſunt differentiis. Voluntas verò, & ira, & cupiditas omnia cum appetitione ſunt. Selectio autem communis eſt cognitionis, & appetitionis: quapropter & ipſum quod eligi poteſt.* Num. 50.

Obſeruatio. Incipit exponere, quomodo anima ſit principium motiuum animalium, ſcilicet metu progreſſiuo. Hęc res in 3. de anima tradita eſt, ſed hic liber in iis, quæ ſequuntur, miram libro 3. animaſtico claritatem affert. Duo autem ſunt principia partialia motiua, vnum ex parte potentiæ vitalis, alterum ex parte obiecti. Ex parte animæ ſunt duæ potentiæ cognitiua, & appetitiua, per quas anima mouet corpus. Sub cognitiua continentur ſenſus, phantaſia, mens: omnes enim hæ potentiæ habent poteſtatem cognitricem, ſiue iudicatricem: mens quidem in homine ſolo, ſenſus autem, & imaginatio

etiam

etiam in brutis. Sub appetitione comprehenduntur iraſcibilis, concupiſcibilis, voluntas item, atque electio; Sed appetitio neceſſariò præſupponit in animalibus cognitionem. His actibus cognoſcendi, & appetendi aliquod obiectum in anima exiſtentibus, anima mouet corpus. Ex parte obiecti diſtingue ſpeculabile, agibile, factibile. Cum omne intelligibile dicatur mouere intellectum, & appetibile appetitum, ſicuti actiuum mouet ſuum paſſiuum; Ariſte. ſoli fini agibili dat rationem principij motiui; quia tractat non de quocunque motu, ſed de motu locali corporis. Sed ſpeculatiuum non mouet 3. de anima 46. & 48. & 58. ſed intellectus actiuus, & agibile. Factibile verò ex parte obiecti mouere poteſt, ſed quia factio communiter eſt ex imperio finis agibilis, ideò primum mouens ex parte obiecti eſt agibile.

Num. 51. Textus. *Non autem omne excogitabile intelligibile eſt, ſed rerum agendarum finis. Quamobrẽ tale eſt bonorum id, quod mouet, ſed non omne pulchrum. Vt enim huius gratia eſt aliud, & vt eſt finis, cum alia alicuius gratia exiſtant, eatenus mouet. Oportet autem conſtituere id, quod apparet bonum, boni etiam locum obtinere, & ipſum iucundum, quandoquidem apparet bonum.*

Obſeruatio. Duplex eſt agẽs, hoc ſine cognitione, vt ignis, illud cum cognitione, vt homo. Quia verò quodlibet per ſe agens agit propter finem intentum, aliter hæc agentia, & aliter intendunt. Efficiens non cognoſcens ſecundum naturalẽ inclinationem intendit finem, & hoc modo finis habet eſſe in intentione agentis, non cognoſcentis. Agens cum cognitione ad hoc, vt dicatur intendere finem, primò debet cognoſcere obiectum, ſecundò appetere; & ex appetitione finis dicitur eſſe in intentione agentis. Quod enim præſtat inclinatio naturalis in efficiente non cognoſcẽte, hoc præſtat appetitio in efficiẽte cognoſcente. Nec ante obiectum aliquod poteſt dici eſſe finis actualis, ſed ſolùm poſt quam fuerit cognitum, & expetitum.

Secunda. Aliud eſt obiectũ potentiæ, aliud cauſa finalis mouens. Omnis potentia cognitiua, vel appetitiua habet ſub adæquato obiecto vnũ præſtantiſſimum, illudque dicitur finis potentiæ: & actio perfectiſſima circa præſtantiſſimum obiectum nuncupatur etiam finis potentiæ. Sed obiectum eſt tanquam finis extrinſecus; actio, quia immanens, finis intrinſecus. Sic obiectum agibile eſt efficiens intellectionis, atque appetitionis, & dicitur obiectum finale ipſius intellectus, vel appetitus, non ſimpliciter, ſed in genere agibilium: quoniam primum ſpeculabile, & ſpeculatio perfectiſſima eſt finis, & obiectum finale ſimpliciter ipſius intellectus. Ergo omne intelligibile, ſeu cogitabile non eſt localiter motiuum, ſed ſolùm intelligibile agibile, quod eſt cauſa finalis. Similis

di-

distinctio, est tùm in hoc textu, tùm in 13. met. summa 1. cap. 3. de pulchro, & bono, quòd nõ omne pulchrum est bonum, quia bonum semper in actione est: conuertitur enim in his textibus pulchrum, & intelligibile, quemadmodum etiam bonum, & agibile. Ergo obiectum agibile est causa partialis intellectionis cum intellectu, & appetitionis cum appetitu. Vbi agibile iã est amatũ, induit rationem causæ finalis, & duæ causę faciunt motum localem, appetitio effectiuè, & propriè: appetitum, siue amatũ facit finaliter, & metaphoricè, quatenus appetitus, & appetitũ res vna euaserũt.

Num. 52. Tertia, Hinc elucent discrimina inter duo significata huius vocabuli *finis*: primum, nam finis pro obiecto potentiæ etiam est in speculatiuo intellectu 2. met. 3. 3. de anima 49. sed causa finalis in efficiente cognoscente pertinet ad intellectum actiuũ, tãquã obiectũ. Secũdũ, nam causa finalis dat esse suo causato, vnde quando in demonstratione quæris *propter quid ambulat?* & respondes, *vt sanetur*; tria sunt, medium demonstrationis, vt *sanitas*: subiectum, *appetens sanitatem*: & maior extremitas, *ambulatio* vt causatum finale causa finalis dat esse ambulationi, & præexistit ordine naturæ ipsi ambulationi. Obiectum autem non dat esse ipsi potentiæ, quæ circa tale obiectũ versatur, sed potentia est mensurata ab obiecto per 6. met. 10. nõ causata: & præexistit antequã vel agat cum obiecto, vel patiatur ab obiecto; nõ ergo potentia est causatum finale ab obiecto. Hinc apparet, quòd eadem res potest esse, & obiectum, & finis: vt obiectum causat effectiue partialiter cognitionem, & appetitionem sui: vt causa finalis causat totaliter in suo genere suum effectum, nec præsupponit ipsũ. Tertium discrimẽ. Finis pro obiecto soli potẽtię cognoscẽti, & appetẽti cõgruit. Sed causa finalis cõgruit cũ omni agente, siue per cognitionem, siuè absque cognitione; neque causa finalis causat ipsum efficiens, sed ambæ causant vnũ, & idem causatum, vna finalizando, altera efficiendo.

Quod autem ex Aristotelis sententia obiectum sit causa effectrix, & iam dictum est, & infra dicetur. Nunc legatur liber de sens. & sens. cap. 3. vbi scriptum est de obiecto sensili. *Quid autem vnunquodque eorum existens faciet sensum, & actum, nunc dicamus*. Cum ergo concurrunt in obiecto agibili duæ rationes vna obiecti effectiui, & altera finis motiui, declarat Philosophus à posteriori ipsam rationem motiui finalis, quatenus enim aliquid existit gratia alicuius, eatenus ipsum, cuius gratia mouet. Quatenus enim finis dat existentiam ipsi causato, eatenus est causa finalis. Sed finis amatus dat existentiam ipsi motui, vt ambulationi, quæ, & fit & est gratia sanitatis amatæ, ergo sanitas amata est præcisè causa finalis ipsius ambulationis, & eorum, quę sequuntur ad ambulationem. Non autem

habet rationem cauſæ ad ſubiectum appetens tanquam cauſatum, ſed ſubiectum appetens eſt efficiens eiuſdem ambulationis, cauſatæ. Ita mouetur animal localiter progreſſiuè, tùm ab anima amante, tùm ab obiecto amato: ab anima amante effectiuè tantùm (niſi fortè anima ſit amans, & amata, & ex amore ſui moueat corpus) ex obiecto tanquam efficiente appetitionem, & finalizante ambulationem, ſiue alium motum localem.

Num. 53. Textus. *Quare palam eſt, quòd contingit quidem id, quod ſemper mouetur, à ſemper mouente, ſimiliter moueri, vt ſingula animalia: contingit autem vt alio modo; & idcirco illud quidem ſemper mouetur, animalium autem motus terminũ habet. Sẽpiternũ autem pulchrũ, & id quod verè, & primò eſt bonum, neque modo quidem eſt, modo verò non eſt, diuinius profectò, honorabiliuſque eſt, quam vt illo quicquam ſit prius.*

Obſeruatio. In principio capitis dixit ſe tractauiſſe de motu cæli, & motore eius, atque de modo, quo mouet, & mouetur. Dixit animalia mouere illa, quæ non mouentur à ſe: ſed excepit cælum. Nunc poſtliminio reuerſus dicit, quod cælum ſic mouetur localiter, ſicut ſingula animalia, neque explicat, in quo ſimilitudo conſiſtat. Addit, quòd cælum non mouetur eo modo, quo mouentur animalia, ſed explicat diſſimilitudinem, quia cælum ſemper mouetur, animal non ſemper, ſed habet terminum ſui motus. Ratio affertur diſcriminis, quæ mihi ſubdifficilis videtur talis. Primum pulchrum, & verè bonum eſt bonum, ac pulchrum ſempiternum: non aliquando bonum, aliquando non. Quare primum bonum ſemper mouet, & cælum ſemper mouetur. Sed bonum optatum ab animalibus aliquando eſt bonum, aliquando non. Vt alimentum animali eſurienti bonum eſt, ſaturo non eſt bonum. Ceſſante itaque ratione boni ex aliqua circumſtantia quantitatis, qualitatis, loci, temporis, modi, & ſimilium: ceſſat appetitio; & ex conſequẽti ceſſat ratio finis, & efficiens ceſſat ab actione. Hinc poteſt colligi etiam ſimilitudo, quia ſicut obiectum intelligibile, & amabile, ſed agibile, mouet animam, & mediante anima corpus; ſic ſempiternum bonum intelligitur, & amatur à qualicunque anima cæli: & hoc modo ſempiternum bonum mouet animam effectiuè ad intellectionem, & amorem, mouetque effectiuè corpus cæli mediante anima: ſed mouet finaliter metaphoricè corpus cæli, quatenus eſt amatum.

Num. 54. Fortè ſimilitudinem non ponit Ariſt. ad motionem obiectiuam à ſempiterno bono factã: ſed ad motionem de qua in capitibus 2. 3. & 4. vt efficientis non cogniti, ſicuti terra mouet animal, ſic ſempiternum bonũ mouet cælum. Nam prior expoſitio dubitationem nõ leuem habet; ſiquidem nos mouemur à primo intelligibili, & amabi-

li,

li, quando metaphyſicè illud ſpeculamur; & quanquam in illo obiecto, & illa ſpeculatione, & amore noſtra felicitas naturali conſiſtat: tamen paruo tempore durat hæc motio 12. met. 39. Ergo ex ſempiternitate boni non ſatis concluditur ſempiterna motio intellectus, & voluntatis.

Præterea. Sempiternum bonum eſt intelligibile, & voluntate affectibile 12. met. 36. ſed intellectus, & voluntas ſunt poteſtates rationales, quæ poſſunt agere, & non agere 9. met. 3. & 10. licet igitur ex parte obiecti ſempiterni motio ſempiterna eſſet, quid obſtat, ne ex parte potentiæ anima cæli ceſſet? Nã in poteſtate ipſius voluntatis affectantis eſt amare, & non amare, mouere, & non mouere, lege 3. Nicom. c. 7. Nec ſufficit, ſi ex 8. phyſ. 8. dixeris, quòd anima cęli ſciens illud obiectum, illud amat, & ex amore illius mouet, vt ei aſſimiletur: nec facit ſicuti voluntarius ſciens, qui abutitur ſcientia è contrariò. Non ſufficit inquam, quoniam diuiniſſimum bonum non habet prauitatem vllam 1. cæli 100. ſed anima cæli, & alia inferiora bona non facilè credentur habere tantam dignitatem, cum enim non habeant ſummam bonitatem, iam videntur poſſe habere prauitatem aliquam, ſicut habent defectum bonitatis. Secundò dictum eſt, quòd anima illa non abutitur ſcientia, vel abuti non poſſit: ſed quomodo eſt probatum? Tertiò, ſi amat aſſimilationem ad ſempiternum bonum, quod eſt immobile, potius videbitur amatura immobilitatem in termino ad quem, quia immobile immobili ſimilius eſt, modo ſit quies in termino, ad quem naturaliter tendit. Quartò, quia ſi animal ſubcæleſte amãs pané, vel autũ, à quibus abeſt: neceſſariò debet moueri ad finem habendum in re. Sed cur cælum mouebitur magis ad Ortum, quàm ad Occaſum, vel è contra, vt appropiet ſempiterno bono? Nam ſi ſempiternum bonum eſt vbique, ergo ſiue ſtet, ſiue moueatur cælum, habet præſentiam amati boni. Si verò ſempiternum bonum fingatur eſſe in vna parte ſpatij imaginati extra cælum, ergo vbi præcipuum aſtrum attigerit illum ſitum, obtinebit finem, & ceſſabit motus.

Hæc mihi occurrunt: potentiores meliora dicant.

Textus. *Primum igitur immatum mouet: appetitio autem, & id, quod appetibile eſt, mota mouent. Vltimum autem eorum, quæ mouentur, quod aliud moueat, nulla neceſſitas eſt.* Num. 55.

Obſeruatio. Hæc tria conſpicua ſunt ex 3. de anima 54. Obiectum appetibile eſt mouens, non motum: appetitus eſt motus ab appetibili, & mouet corpus: corpus eſt motum. In ſecundo membro cõtradicit hic textus textui citato in 3. de anima: quoniam hic dicitur appetibile eſſe mouens motum, illic non motum. Sed error diſcutitur, quia in textu noſtro vox ὀρεκτικὸν verti debuit appetituum, non appetibile.

2. Ad summam. Datur aliquod efficiens, quod mouet, & facit, & non mouetur; nam intelligibile, & appetibile mouēt intellectum, & appetitum actiuè, & faciunt propriè intellectionem, & appetitionē. Quod autem in vno efficiente inuenitur, potest multò magis inueniri in primo efficiente. Certè aliquod cognoscibile est, tùm ab intellectu, tùm à sensu, quod nec est finis, nec medium ad finem. Sic albedo parietis mouet medium, & potentiam visiuam, & non est causa finalis potentię visiuæ, aut medii, neque est medium ad finem, sed præcisè est efficiens. Ita speculabile obiectū facit cum intellectu agente speciem, vel intellectionem sui, neque tamen mouet corporaliter. Cum ergo obiectum habeat rationem efficientis, & finis, vnde habet, vt nō moueatur? Respondeo, potiùs id euenire ex ratione efficientis: fines enim aliqui, vt sunt in se ipsis, sunt ipsimet motus, vt citharæ modulatus, & omnis actio studiosa est motio quædam. Sed & dominus emens seruum, vel persequens fugientem, mouetur ad seruum, scilicet finis ad medium. Insuper si finis fuerit in intentione agentis mobilis, mouetur ad motum agentis: si in efficiente immobili non mouetur, quia non mouetur agēs: ergo ex fine quatenus huiusmodi, siue sit in intē tione, vbi est verè causa finalis, siue in executione, ubi est effectus aliquo modo, non habet immobilitatem.

Ex 12. met. tex. 35. 36. modus primus efficientis primi refertur.

Caput. VI.

DVo significata huius vocabuli *finis* attuli, finē causalem, finem obiectiuum. Ab obiecto dixi procedere alterationes duas, spiritalem, & corporalem, quibus positis, anima mouet progressiuè corpus. De alteratione corporali plura non dicam, quia in cælo non est: legatur interea liber de com. mot. cap. 7. & 8. & sequentibus. De spiritali plura dixi, quoniam vtile est ad exponendum 12. met. locum difficillimum, quem considerandum assumo. *Num. 56.*

In tex. 35. Arist. ponit rem, in 36. modum. Res est dari mouens, non motum: modus est exponere modum talis mouentis. Rem ostendit, quoniā enim extrema, quæ in medio coniuncta sunt, eadem si separantur, sunt extra medium; in medio autem sunt, & mouens effectiuè, & motum effectiuè; ergo erit mouens effectiuè per se se, & motū effectiuè per se se, prout 8. phys. 37. fusiùs dictū.

Modum deinde adducit per locum à simili. Quemadmodum etenim in 1. phys. 69. purā potentiam rei mutabilis indicauit per analogiam ad materiam artefactorum: ita nunc actum purum primi mutantis manifestat per analogiam ad obiectū motiuum animalium. Sicut enim obiectum cognoscibile mouet cognitiuum ad cognitionem, nec mouetur: atque ap- *Num. 57.*

pe-

petibile mouet appetitum ad appetitionem, & non mouetur; actus enim obiecti est in passo, 2 de anima 139. sic primum mouens mouet primum mobile localiter ad lationem, sed primũ mouens non mouetur, quia motus lationis primus est in primo passo. Igitur similitudo est agentis alterantis sensum, ac intellectum cum agente circumferente cælum; & similitudo in eo consistit, quòd vtrunque mouet, & non mouetur, sicut in 3. de anima 65. attigit, quòd primum mouens pellit, & non pellitur, & hoc in latione; sic est in alteratione, qua color mouet medium.

Nunc textus 36. libretur. *Mouet autem*, inquit, *hoc modo: concupiscibile, & intelligibile mouet non motum*. Particula *hoc modo*, græcè ὡδὶ est aduerbium similitudinis latinè redditur *sic*. Infra quoque in fine tex. 36. *mouet itaque, vt quod amatur*. Dictio *vt* græcè est ὡς, quæ est aduerbium similitudinis, annotãte Vrbano in Græcanicis rudimentis. Quapropter hic tex. potest exponi, & per similitudinem, & per proprietatem. Per similitudinem nõ docemur, quis sit motus: sed qualis sit modus, quo mouet primus motor, eritque exemplum declaratiuũ à simili. Sicut intelligibile mouet intellectum, sic primus motor mouet cælum: sed intelligibile mouet intellectum ad intellectionem, & non mouetur, ergo primus motor sic mouet cælum ad circulationem, neque mouetur; quæ conclusio nunc posita, in textu 38. apertè adducitur.

Per proprietatem, quasi Philosophus tradat, quis nam sit ille motus factus à primo motore, nempè declaret idem per idẽ. Nam primum ens est intelligibile, & amabile: primum cælum est intellectiuum, & amatiuum, ideò primum ens, inquantum intelligibile mouet intellectum cæli ad intellectionem, voluntatem cæli ad amorem. Anima cæli mota mouet corpus cæli, & cætera inferiora. In hoc sensu particulas similitudinis non sine violentia oportet exponere, tanquam reduplicatiuas. Fonseca quidem vtrãque expositionem necessariam dicit, & si secundam innuat ferè nõ esse ad propositum. Scaynus contendit solùm per similitudinem exponere. Themistius verò scribit. *Sed nemo miretur dari mouens immobile, nam omne desiderabile hoc pacto mouet: & omne intelligibile, cum intelligitur, & ad aliquas functiones mouet, hoc pacto mouet*. Si hunc sensum amplexemur, dicemus in exemplis non quæri veritatem, sed manifestationem: hinc sæpius materiam, formã, compositum in substantijs ostẽdit Philosophus per notiora in accidentibus, vt ære, figura, statua, 7. met. 7. Nunc ergo siue obiectum sit efficiens, siuè finis per exemplum notum de obiecto mouente non moto, detegit veritatem de primo motore immoto.

Hinc ruit omninò argumentum, quo ex hoc loco quidam ve- *Num* 58.

volunt oſtendere, primum mouens mouere finaliter, non effectiuè, quia primum mouens mouet, vt intelligibile, & amabile, ergo vt finis. Ruit, inquã, quoniam Philoſophus nõ affirmat primum motorem eſſe intelligibilem, & amabilem, atque ideò mouere ad intellectionem, & amorem: quod eſſet exponere textum per proprietatem, non per ſimilitudinem, ſed in tex. 37. & 38. atque in tex 43. aſſerit clariſſimè primum motorem mouere motu primo, qui eſt circulatio, non intellectio; ideò quod eſt argumentũ à ſimili, accipitur tanquam propriè dictum: quod eſt abſurdũ. Mouet ſicut intelligibile, non autem quatenus intelligibile. Nec exemplum pro re accipi debet.

Proſequitur deinde Ariſt. in tex. 36. vnam concluſionem. Prima in ordine appetibilium, & intelligibilium ſunt eadem: docetque, quòd ab intelligibili mouetur intellectus, idem dicturus, quòd ab appetibili mouetur appetitus, præſuppoſita intellectione. Ad hoc ponit ordinem intelligibilium, ac eligibilium, vnde concludit, idem eſſe primum vtriuſque ordinis. Quia verò incidit de optimo, ac de per ſe eligibili mentio: obiter ſoluit quæſtionem de fine in 3. met. 3. & 11. met. cap. 1. motam, an finis tantùm ſit in rebus mobilibus, quaſi acquiſitus per motũ: an etiam in immobilibus? Reſpondet, eſſe etiam in immobilibus. Id expone per 2. Perier. cap. 3. quia in mobilibus potentia ſeparatur ab actu, in immobilibus nõ; Ideò cum obiectum, & actus circa obiectum ſit finis rerum immobilium: quem finem immobilia habere poſſunt, illum habent. Quæ digreſſio facta eſt tùm ad declarationem exempli, tùm ad declarandam veritatem metaphyſicam de primo intelligibili, & amabili; tùm ad præueniendam accuſationem, quã in Anaxagoram faciet tex. 55. Ille enim declarauit primum efficiens, non primum finem, Ariſt. hic declarat vtrunque. His declaratis reuertitur ad ſuũ exemplum dicens. *Mouet itaq; vt, quod amatur: quod mouetur autem, cætera mouet. At ſi quid mouetur contingit etiam aliter ſe habere. Quare ſi latio prima etiã actus eſt, quo mouetur: hoc modo ſanè contingit aliter ſe habere ſecundum locum, quamuis non ſecundum ſubſtantiam. Cum autem aliquid ſit mouens, ipſum immobile exiſtens actu ens: hoc nullo modo contingit aliter ſe habere; latio namque prima mutationum eſt, huius autem qua circularis eſt, hãc autem illud mouet.*

In quibus verbis tria ſunt, primum eſt mouens ad inſtar amati, hoc eſt non motum. Secundum eſt motum, & mouens, tertiò ſunt mota à ſecũdo. Relictis alijs, cõſiderat primum mobile, & primam motionem, quę eſt circulatio, docetque primum mobile aliter ſe habere ſecundũ locum, nõ ſecundũ ſubſtantiam. Conſiderat item primum motorem, aſſeritque ipſum nullo modo aliter ſe habere, quia ipſe

Digitized by Google

se facit lationem primam, quæ in mobili est, non in motore. Argumentum est ex natura cõmuni motus, qui est in moto, nõ in motore, ergo primum motiuum facit primam motionem in primo mobili, & per consequẽs in se non habet primam motionem, quare nullam. *Sic* textus facilè exponitur; & facilè defenditur, quòd primum efficiens lationis primæ asseritur immobile in efficiendo, & hoc declaratur ex obiecto, vel efficiente, vel finalizante, vt ita loquar.

Num. 59. Si autem expositionem teneas per proprietatem, dic primum efficiens mouere in ratione intellecti, & amati animam cæli, quæ motio est effectio intellectionis, & affectationis. Deinceps idem primum efficiẽs cum anima cęli mouere effectiuè corpus cæleste circulariter; vnde primum est efficiens, & alterationis spiritalis in animã, & lationis corporalis in corpus cæli. Item ipsum primum est finis causalis ipsius circulationis, quam finaliter causat, dans illi esse: & est finis obiectiuus semper habitus ab anima cæli per se immobili; quæ ex amore finis habiti semper, semper mouet cælum localiter.

Harum expositionũ prima est magis expedita, & magis textui conformis; secunda tamen non contemnendis fulcitur Auctoribus: & opinione Aristotelis, qui non vult à primo immobili solo moueri cælum, nam cælũ & mouet se, tanquam primum mouens motum, & mouetur ab immobili, tanquam à simpliciter primo mouente, sicut animalia mouent se, & mouentur à terra immobili, atque ab appetibili immobili, quæ duæ rationes in exemplis positæ de terra, & obiecto effectiuè mouentibus cõcurrunt in primo motore.

Dubitationes quædam determinantur.
Caput. vltimum.

EX hactenus declaratis nõnul *Num. 60.* la emergunt dubia, breuibus diluenda.

Primum, quoniam animal subcæleste mouetur localiter à duplici motore immobili, altero non cognito, aut amato, sicuti est terra: altero cognito, & amato, veluti est pabulum. Dictum est cælum habere tanquã animatum, immobile externum quod mouet, vt terra: & itẽ amabile agibile, quod mouet, vt pabulum. Quare in cælo hi duo motores, vt cognitum, & non vt cognitum in vnum incidũt?

Respondetur in exemplis fũt duo, in re declarata sunt vnum, nam vnius rei multa exempla dari possunt. Sic primi motoris immobilis, duorum effectiuè mouentium dantur exempla, vnius effectiuè mouentis latione, alterius effectiuè mouentis alteratione. Vel dicendum, ideò in cælum poni vnum mouens effectiuè sub utraque ratione, quoniam melius est multitudinem, si possibile est, ad vnitatem reducere; sed non est impossibile in genere efficientis dari vnum primum efficiens, in quo sit vnitiuè, & permanenter com-

comprehensa vis omnium secũdorum efficientium; elege dicta num. 29. & 31.

Secundum dubium. Si primum mouens, vt terra, mouet vt non cognitum: 2. vt intelligibile, mouet vt cognitum: ergo idem primum mouens immobile erit cælo cognitum, & incognitum.

Respondetur, non esse absurdum, si primum sit idem re, ratione diuersa; quanquam enim in primo mouente sint duæ vires vnitæ: non est necesse, vt cælum totum cognoscat vim totã extrinseci mouentis. satis enim est, si anima motrix cæli cognoscat totum. Nam cæli corpus non cognoscit vim motricem, neque primi immobilis, neque animæ mouentis. Fortè posset etiam dici, terram non necessariò cognosci ab animali, quod illius nixu mouetur, sed neque necessariò ignorari. Arist. quippe quando in lyceum ibat, & agnoscebat lyceũ, quo tenderet: & cognoscebat terram, à qua immota mouebatur: Ita dicas proportione quadam de cæli anima motrice, agnoscente vtrãque vim primi immobilis.

Num. 61. Tertium dubium. An motus animalis, quo mouetur à terra, vt externo motore, & ab anima, vt interno, sit vnus motus numero? nã à duplici motore, quomodo est vnus motus?

Respondetur, nisi velimus asserere, quòd animal necessariò moueatur semper, quando mouetur, duplici motu; fatendum est, eundem esse motum, quo & ab anima corpus, atque totũ, & quo à terra totum mouetur. Si itaque duo mouentia sint disparata, non erit vnus motus animalis, vel cæli: si subordinata, tanquam prima, & secũda causa effectrix, erit vnus.

Quartum. Cur primum mouens extrinsecum non ponitur mouere sine cognitione lationis, & lati? Sanè neque terra mouens animal cognoscit motum, quo pellit animantia: neque appetibile, vt pabulum cognoscit animal appetens, aut appetitionem.

Respondetur. Secundum mouens est aliquando sine cognitione, aliquando cum cognitione. Sed indignum est, vt primum mouens sit agens irrationale, cognoscit ergo propriam immobilitatem, & motum, quo mouet cælum, atque cætera mota, vel mobilia.

Quintum. Quia idem primũ mouet cælum, & motu appetitionis, & motu lationis: mouet nè vtroque motu immediatè, an mediatè? *Num. 62.*

Respondetur, quando obiectum intelligibile, & potentia intellectiua cõcurrunt ad intellectionem producendam: sic amabile, & voluntas ad amorem producendum: tunc obiectum habet rationem principij partialis respectu intellectionis, & amoris. Itaque ex primo intelligibili, & appetibili, & ex intellectu, atque appetitu animę cęlestis, fit vnum integrum principium intellectionis, & amoris, quibus mouetur anima cæli motrix. Quando autem primum immobile manens cum ani-

animali toto, siue anima cõcurrit ad producendum motum localem circularem cæli, concurrit tanquam causa totalis prima cum cælo tanquam totali secunda in suo ordine. Nam & si sol, & homo hominem generet, non sunt ad instar duarum causarũ partialium, sed ad instar duplicis causæ, quarum vtraque est totalis in suo ordine. Quamobrem si loquimur de motu locali, primum immediatè mouet circulariter, quia nullus est motus medius inter motorem primum, & circulationem, quæ à duabus causis producitur. Sed si loquamur in ratione appetibilis de motu appetitionis, mouet immediatè ad intellectionẽ, & mediante hac ad appetitionem, dehinc mediante appetitu ad circulationem. In quo ordine etiam mouet circulariter, quasi finis amatus. Concurrunt namque in idem vt sit efficiens appetitionẽ, & finiens circulationem, sicut viride in smaragdo mouet effectiuè oculum, & intellectum, atque appetitum; mouet item finaliter, quatenus ob amorem viridis videndi, animal mouet gemmam ad oculũ, vel oculum ad gemmam.

Num. 63. Sextum dubium. An primũ immobile moueat se ad intellectionem, & appetitionem, an tantum animam motricem primi orbis? Profectò primum intelligibile est, & intellectiuum; si ergo ex 12. met 37. intellectus ab intelligibili mouetur: primũ immobile localiter erit mobile intellectualiter, quasi alterationis motu.

Respondetur. Arist. tarò cõcessit idem posse à se ipso moueri, nisi distinctionem in mouente posuerit. Posuit in primo diuinissimo intellectu intellectionem 12. met. 51. sed negauit potentiam, imò actualis intellectio est intellecta, & intelligens. Cum ergo omnis motus videatur indicare potentiam, est enim actus entis in potentia, & in primo intellectu nulla sit omnino potentia: non libenter dicerem ab intelligibili moueri, nisi intellectum diuersum. In nobis intellectus intelligẽs se, mouet, moueturque à seipso: sed intellectio est actus realiter distinctus ab intellectu possibili, quod idem arbitror de cæli anima, nisi quis mihi ex Philosopho oppositum ostenderit.

Secundò constat per dicta in tex. 37. *mouet itaque, vt quod amatur; quod mouetur autem, cætera mouet*; siuè hoc dictum per proprietatem, siue per similitudinem interpreteris: *quod mouetur*, & *mouet* est cælum, ergo à primo amato motum est cælũ: vt sit motio ab intelligibili, & appetibili recipienda in alio, scilicet cælo, si propriè accipis; si accipis pro similitudine, idem fit, sicut appetibile mouet appetitum, sic primum mouens mouet cælum; sed cælũ est aliud à mouente primo, ergo & appetitus, vt illic accipitur erit alius ab appetibili primo.

Septimum dubium. An cuiusque cæli sit duplex mouens, alterum anima tanquam informans: alterum intelligentia tãquam assistens. Idque siue am-

bo moueant effectiuè, ſiue alterum.

Reſpondetur. Aegrè probamus ex Ariſt. vnum ex his monentibus, tantum abeſt, vt duo ſint collocanda: fruſtra ponitur alterum. Satis namque eſt vna intelligentia tanquam actus aſſiſtens appropriatus, quæ & ſit finis cæleſtis corporis, motuumque illius ex 12. met. 48. ſicut anima eſt finis corporis, & motuum eius 7. polit. 1. Et eadem intelligentia ſit mouens effectiuè cælum motu circulari, quemadmodum nauta eſt actus nauis, & motor eiuſdem effectiuus, nec non eſt finis, gratia cuius nauis mouetur.

Num. 64. Octauum dubium. Quare ponitur duplex mouens, vnum commune nulli orbi appropriatum, quod ſit primum immobile, & alterum proprium, appropriatumque cuilibet orbi? Cum enim ægrè probetur ex Philoſopho, non videtur ad eius mentem affirmandum.

Reſpondetur, difficilè vtique id affirmatur. Neque enim ſine fundamento Piccolom in libro de cælor. motor. cap. 17. tenet primum eus immediatè mouere cælum, dicique poſſe animam cæli: ſed cum ex Ariſt. oporteat cælum dicere animatum, neceſſe eſt illi dare animam motricẽ, vt minimum: ſecundò cum prẽter cælum totum, vt animatum dandum ſit extrinſecum immobile, planè dari debet duplex ſubſtantia, altera prima immobilis mouens, quæ non ſit quaſi pars, altera, quæ ſit quaſi pars: faciliorque eſt expoſitio textuũ 2. de cẽlo, libri de com. motu, & 12. met. Imò ſi in 1. de anima 50. non arguat contra Platonẽ ex placito Platonis, videbitur Ariſt. poſuiſſe animam cæli motam per accidens ad motum cæli: ſed primum eſt immobile, & per ſe, & per accidens. Tertiò; quia primus motus in 8. phyſ. reducitur ad motores duos, vnũ immobilem, alterum ſe mouẽtem. At ſe mouens eſt animatum, ergo præter immobilem, alter motor eſt anima.

Adde. Aliquo modo primus motor immobilis dicitur ſine materia 12. met. 49. quo nõ alij, quia neque vt forma formans, neq; ut aſſiſtens determinatæ materiæ. Sed omninò immaterialis, & vnus mũdo, vt effectui dat vnitatem. Alij determinati non dant, neque enim omninò ſine materia ſunt.

Denique hoc dato faciliùs oſtenditur, qua ratione primus motor ſit infinitæ virtutis, & moueat tempore, nõ momento, tempore verò infinito, non finito. Quoniam infinita vi ſe ſiſtit immobiliter, vt propterea à nullo moueri queat, & valeat cuiuſcunque quieſcentis, vel mouẽtis nixum adiuuare. Quia & id, quod eſt immobile, non mouet alia, niſi ſecundum proportionem ad nixum extrinſeci mouentis ſe, vel quietantis ſe. Vnde ab infinita potentia actiua primi infinito tempore adiuuatur nixus cæli: à finita potẽtia actiua cẽli ſucceſſiuus cæli motus educitur. Quod ſuperiore veſtigatione etiam dictum fuit.

No-

Digitized by Google

Vnum dubium. An motores appropriati orbibus sint immobiles, sicut primus motor?

Respondetur, primus motor est immobilis omnino ab extrinseco, neque enim ab alio mouetur, vt ab obiecto intelligibili, & amabili motione spiritali, neque ab alio, vt ab efficiente motione corporali. Cæteri motores mouentur effectiuè ab obiecto primo intelligibili, & amabili, & dependent à primo, vt efficiente, & fine causante, etiam si secundi motores non cognoscerent; nam aliàs etiam dependent, vt ab obiecto actuante potentiam intellectiuam, & appetitiuam, voluntatem scilicet: quam ob causam fortè Aristoteles 12. met. 43. posuit primum immobile per se, & per accidens. Secundaria mouentia per se dixit immobilia: an per accidens moueantur, nec affirmasse, nec negasse reperio.

Hucusque de primo efficiente, atque de modis, quibus primũ efficit, tentatum est vestigare.

VESTIGATIO PERIPATETICA QVARTA.

De Vnitate Dei.

Tractanda proponuntur. Caput. I.

Nu.1. REcta locutio, rectè eſt indicium opinionis. Qui igitur rectè locutus eſt, rectè ſenſiſſe: qui prauè locutus, prauè ſenſiſſe meritò exiſtimatur. Etenim quæ ſunt in voce, ſunt earum, quæ in anima, paſſionũ notæ. Cum ergo Ariſt. frequenter *Deos* in multitudinis numero nominet, ſuſpicionem concepi, ne ille Dei vnitatem auerſatus, multos Deos poſuerit iuxta Idololatrarum errorem. Acceſſit præclariſſimorum virorum diſſenſus: nam Aug. Steuchus Eugubinus in lib. 4. de perenni philoſophia multis modis pro vnitate Dei ex Ariſt. aſſerenda laborat? Ioa. Franciſcus Picus Mirandulanus in opere prætitulato, Examen vanitatis doctrinæ gentium, lib. 4. cap. 1. pro multitudine Deorum Ariſtoteli tribuenda cõtendit. Itaque ex his ſum excitatus ad veſtigandum, num Ariſtot. vnum Deum, vt verè vnicus, ſolus, immultiplicabiliſq; eſt Deus, crediderit: an errore nefatio multos crediderit, docuerit, coluerit. *Nu.2.* Nec enim illi mihi perſuadent, qui ſtatim prorumpunt in vnum primum motorem, in vnam primam cauſam, in vnũ principem entium. Alia namq; eſt ratio ſubſtantię, ſeu ratio formalis motoris, cauſæ, principatus: & alia ratio Deitatis. Rationes motoris, cauſæ, & principatus ab Ariſt. etiam non viuis, etiam temporariis tribuũtur: ratio Deitatis verò ab Ariſtotele non conceditur iis rebus, quas non viuentes, aut nõ æternas exiſtimauerit. Deos enim, & viuentes, & immortales, ſiue æternos cenſuit. Sed quanquam ratio primi motoris, primæ cauſæ, primi entis, & ratio Deitatis eſſent re idem: ratione non eſſe idem pro comperto habeo. Quocirca non eſt idem iudicium faciendum de vno principe entium, & de vno Deo ad mentem Ariſt. *Non enim* (ex 3. phyſ. 21.) *eadem omnia iis inſunt, quæ quolibet modo ſunt eadem, ſed ſolum quibus eſſe idem eſt.* Si ad veritatem loquamur, idem profectò eſſẽtialiter eſt entium princeps, & Deus; ſi ad arbitrium Ariſtotelis fortaſſe non ſunt idem: quod an ita habeat, nec nè, explorare eſt in animo.

Quia verò de vnitate Dei a- *N.3.*

ge-

gere incipimus recenſeo ex 5. met. tex. 12. Vnum dici quadrifariam, numero, ſpecie, genere, ab vno. Si Deus ponatur vnicus numero, erit etiã vnicus ſpecie, genere, & ab vno: nam vnitas numerica cęteras cõcludit vnitates, nec retrocedit cõſequentia. Nos, qui ſcimus Deũ eſſe vnicum, omnino immultiplicabilem, de ſola vnitate immultiplicabili in plura eiuſdem rationis, vel alterius rationis tractabimus, hoc eſt de vnitate numerali. Quanquam illud perſpectum ſit, Deum non dici vnum numero propriè, cum nõ ſit cum alii rebus numerabilis, vel connumerabilis: neque illam vnitatem, quæ principium eſt numeri in genere quãtitatis, obtineat; tamen cùm loquamur de vnitate immultiplicabilis rei, quam vnitatem ſolemus nuncupare numeralem, iis vocibus vtemur, quando meliores non ſuppetunt.

Differentia rei vniuerſalis, & particularis. Caput. II.

Nu. 4. RErum aliæ sũt vniuerſales, aliæ ſingulares; prout nos docuit Peripateticorum Princeps in primo de interpretatione cap. 5. & 1. priorum ſecto 2 cap. 1. Vniuerſale poteſt eſſe in multis, & dici de multis: Singulare, nec eſſe poteſt, nec dici. Vniuerſale itaque eſt multiplicabile in plura eiuſdem, vel alterius rationis, ſingulare eſt immultiplicabile. Duas verò differentias in modo loquendi obſeruo inter vniuerſale, & ſingulare. Prima eſt, quòd vniuerſale poteſt vniuerſaliter affirmari, & negari, hoc eſt per ſigna vniuerſalia diſtribui: vt omnis homo, nullus homo. Omnes homines, nulli homines. Singulare non poteſt vniuerſaliter ſumi, vnde ſi dixeris omnis Plato, nullus Plato, omnes Platones, nulli Platones, perperam loqueris. Conſule 5. met. 16. quare non dicitur, omnis Socrates. Etenim res eſt immultiplicabilis; ſignum vniuerſale, & vniuerſalitas ponit in re modum multiplicationis; ergo dum connectis rei immultiplicabili modum multiplicationis, connectis duo incompoſſibilia, & facis rationem in ſe falſam, & impoſſibilem iuxta doctrinam 5. met. cap. de falſo tex. 34. Nec enim connectere ſingularitati vniuerſalitatem eſt iungere linũ lino. *Nu. 5* Secunda differentia eſt, quòd res vniuerſalis proferri poteſt in numero ſingulari, & in plurali; & in ſcientiis plerũque definitio, diuiſio, demonſtratio fieri ſolent in numero ſingulari: quanquam exploratum ſit, rem ſcibilem eſſe vniuerſalem, & multiplicabilem, ac multiplicatam. Ita in logica ſyllogiſmus, ac demonſtratio: in phyſica natura, & anima, quæ ſunt vniuerſales, & multiplicatæ definiuntur in numero ſingulari. Res autem ſingularis in numero ſingulari tantùm effertur apud probatos grãmaticos, Græcæ, Latinæ, atque Ethruſcæ linguę peritos, niſi tropus, vel ſchema incidat; itaque ſo-

ſolæciſmus committitur, ſi dixeris Mercurios, vel Platones, nec enim nomina propria in plurali declinantur: aut ſaltem modus pluralitatis rei implurificabili repugnat, vt ſiquis ita loquatur, incompoſſibilia componat. Quapropter ex locutione in numero ſingulari non poſſumus cõcludere rem ſignificatam eſſe ſingularem, aut immultiplicabilem, quoniam talis locutio, & rei vniuerſali multiplicatę, & rei ſingulari immultiplicabili congruit. Itaque ſi colligas, de hac re loquimur in numero ſingulari, ergo hæc res eſt ſingularis: admittis fallaciã conſequentis, quoniam numerus ſingularis poteſt applicari ſecundum vnitatem, etiam generícam, & ſpecificam, etiam ſecundum vnitatem ab vno. Sed ex locutione in numero plurali neceſſariò concluditur res eſſe vniuerſalis, & plurificabilis, ſiue in plura eiuſdem rationis, ſiue alterius rationis. Nulla igitur forma immultiplicabilis (apud propriè loquentes) poteſt numero multitudinis proferri ſine falſitate, & ſine ſolæciſmo: prout accuratè, & eruditè notat Doc. Seraph. in 1. d. 4. quæſt. 3. Quarè ii, qui fædiſſimo errore, etiam inter nos inuocant, iurant, ſcribunt *Deos immortales*, aut in grammatica ſolęciſmũ commitunt, ſi tamen credunt vnicum Deum eſſe: aut errant in Theologia, ſi credant multos. Tametſi qui credunt vnicum, non ſolum errent in grammatica, ſed etiam in moribus mentiantur, & mendacio perniciosiſſimo quidem: aliud enim in mente, aliud in ore habent. Sed hoc aliâs. Ad propoſitum negocium accedamus.

Num. 6.

A locutione plurali, plures Dij arguuntur. Caput. III.

PRimò à locutione in numero multitudinis, multos Deos Ariſtoteli fuiſſe creditos, & probatos oſtendamus. In 1. Nicom. cap. 10. car. 14. *Si tamen*, inquit, *aliquod aliud eſt à Diis hominibus exhibitum donũ, veriſimile eſt felicitatem quoq; à Diis exhiberi, ac tantò magis, quantò ipſa omnium humanarum rerum eſt optima; ſed hoc fortaſſe ad aliã magis diſceptationem ſpectat: videtur tamen licet a Diis non mittatur etc.* *Num. 7.*

4. Nicom. cap. 5. car. 60. "*Nam non eadem ſunt Diis, & hominibus, aut ad templum, & ſepulchrum ornandum accommodata.*

8. Nicom. cap. 14. car. 139. "*Eſtque amicitia filiis erga parentes, & hominibus erga Deos, tanquam erga bonum quoddam, atque excellens. Beneficia enim maxima contulerunt, quippe cum ſint in cauſa, vt et ſint etc.*

10. Nicom. cap. 8. car. 172. "*Deos maximè beatos, feliceſque exiſtimamus*, & cætera ibi fusè. *At viuere Deos, omnes exiſtimãt: quare etiam operari.* Infra. *Diis enim beata tota vita eſt: hominibus autem eatenus, quatenus ſimilitudo quædam eiuſdem operationis in ipſis ineſt.*

In. 1. Magnor. moral. cap. 1. car. 179. "*Neque enim de Deorum*

rum bono agendum eſt; nam de eo alia habenda fuerit oratio.

In 1. polit. cap. 5. car. 384. " *Quòd ſi tantum præcellunt corpore ſolium, quantum Deorum imagines &c.*

7. polit. cap. 16. car. 560. " *Iubeat ſingulis diebus iter quoddam facere debere ad Deorum ſacra mulieres, quæ ſortitæ ſunt concipiendi honorem.*

Sed hoc locutionis genus, vt creberrimum eſt apud Ariſt. ita præter citatos textus ex producendis textibus etiam, atq; etiã eluceſcet. Fortè etenim ſæpius in plurali, quàm in ſingulari, Dei nomẽ Ariſtoteles vſurpauit. Nam iuxta prouerbium. Non niſi, quem cæpit manat ab vtre liquor. Sed Ariſtoteles à teneris vnguiculis vſque ad canos inter idolorũ cultores cõuerſatus eſt.

A ſacrificiis Deorum, Dii plures. Caput. IV.

Num. 8. SEcunda ratio ex cultu ſacro, veriùs loquar, ſacrilego Diis exhibendo progerminat. Etenim Stagirita frequẽter admodum docet, Deos eſſe honorandos, colendos: templis aris, ſacrificiis excolendos.

In 1. Top. cap. 9. diſertis verbis ait. " *Nam qui dubitant, vtrum oporteat Deos honorare, et parentes diligere, an non pœnam digent?*

Secundò Top. ad finem, diſputans de dicto ſimpliciter, & ſecundum quid, hæc exarauit. " *Sed Deos honorare bonum dicis, nihil addens; ſimpliciter enim bonum eſt.*

In 4. Nicom. cap. 5. car. 60. Docebat Philoſophus eos ſumptus, qui ad magnificentiam, & magnidecentiam ſpectant, inquiens. " *Eximpenſis autem, quas honorabiles diximus, illæ ſũt, quæ ad Deorum donaria, ædificationes, & ſacrificia pertinent; quæque ad omne denique geniorum numen ſpectant.*

In 7. polit. cap. 9. car. 546. " *Neque vilium exercitiorum quiſquam ſacerdos eſt deputandus. Honos enim Diis eſt à ciuibus impendendus &c. Decens ſit, Diis cultum exhibere, & requiem ſuſcipere eos, qui pro tempore in iis laborauerunt.*

7. polit. cap. 10. car. 548. " *Præterea in ſacrificiis, cultuq; Deorum ſumptus communes eſſe debent totius ciuitatis.*

Infra de regione diſſerit. " *Illius partis, quam publicam eſſe debere diximus, vna pars Deorum cultui deputanda eſt.*

7. polit. cap. 12. car. 551. " *Templa quoque per regionem diſtributa eſſe debent, partim Diis, partim Heroibus.*

7. polit. cap. vlt. car. 562. " *Sit cura magiſtratibus nullam neque picturam, neque ſtatuã eſſe talium rerum imitatricem, niſi apud Deos quoſdam, quibus etiam laſciuiam mos tribuit. Apud hos permittet lex iam homines factos ſe, & filiis, & vxoribus ſacra facere.*

Ex quo patet, quàm iuſtè Scotus dixerit in 1. prologi, ab Ariſt. politias aliorum fuiſſe reprehẽſas, ſed nec Ariſtotelicam eſſe irreprehenſibilem, quæ in ſua republica multitudinem Deo- *Num. 9.*

rum

rum, & illorum cultum permittat. Polytheismus enim, & Idololatria nulla ratione permittẽda est. Quam iustè, & ego reprehenderim, quod non solùm Deos, sed luxuriæ Deos obscœnissimis sacrilegiis honorare lege lata permittat. Quàm autẽ turpia, quàm execranda, & abominanda committerentur erga diabolicos hosce Deos in illorum honorem, qui uolet, legat apud San. Augu. 6. de Ciuit. Dei cap. 9. & 7. de ciuit. Dei ca. 26. & 27. referentem illa etiam ex ipsismet idolorum cultoribus scripta: legat Arnobium lib. 5. aduersus gentes. Quæ qui legerit, nisi frontem sine fronte habeat prostitutam, planè erubescet, ac detestabitur.

Num. 10. Vt autem hęc ratio meliùs percipiatur, propono aliquas assertiones. Primam. Diuersis rebus, diuersos honoris gradus, vel modos deberi. Ita in 9. Nicom. cap. 2. car. 145. Aristot. author est: "*Honor*, inquit, *parentibus, quemadmodum Diis exhibendus est: non omnis tamen parentibus, neque enim idem patri, & matri; neque is, qui conuenit sapienti, aut duci, sed patermus, & simili modo maternus: omni item seniori honor pro ætate reddendus est, assurgendo, & sessione cedendo*. Quamobrem comparatis honore, qui Deo, & honore, qui aliis offertur: honor qui Deo, diuinisque rebus impenditur, vocatur sacer, qui autem hominibus, eorumque rebus tribuitur ciuilis, moralisque appellatur.

Num. 11. Secundam. Honor Deo debitus non exhibetur, quantus ei debetur, sed quantus à nobis potest exhiberi, assertore Arist. in 8. Nicom. cap. vlt. car. 147. "*Neque enim*, inquit, *id quod pro dignitate fit, in omnibus est: sicut in honoribus, qui Diis, aut parentibus exhibentur: nemo enim referre his dignam gratiam posset; sed qui pro uiribus colit, is esse probus videtur*". Rursus in 9. Nicom. cap. 1. car. 144. loquitur de honore magistris in philosophia erudientibus exhibendo. "*Neque honor æquiparabilis exhiberi posset: sed fortasse satis est, sicut etiam erga Deos, et parentes id, quod fieri potest*". Itidem in 7. ad Eud. cap. 10. car. 360. *Atque ita Deus pro facultatum modulo nostrarum sacrificia æstimat*; Colimus autem, vel Deum, vel homines cultu interno mentis, & externo corporis. Cultus internus intellectu, & voluntate exercetur, quarum potẽtiarum est distinguere honorem Deo debitum, scilicet supremum: & honorem ciuilem hominibus, pro ratione, vel virtutis, vel beneficii dicendũ. Facilè autem interiores potentiæ, & obiecta distinguunt, & distinguendo obiecta, prout decet, honorant. Sed in actibus externis non est facilè distinguere, multæ quippe actiones communiter in Deum, & homines honorandos collocantur. Illæ tamẽ sunt propriè actiones Deũ honorantes, in quibus diuinam maiestatẽ, & illius perfectiones protestamur. Tale est sacrificium in primis.

Num. 12. Tertiam. Sacrificium Soli Deo

Deo debetur. Etenim in ſacrificio aliqua res integra Deo offertur, quæ in Dei honorem, vel tota, vel pars conſumitur. Qua operatione ſignificatur ſũma Dei poteſtas, à quo omniũ rerum eſſe, & non eſſe ad nutũ dependet; & quanquam Ariſt. in 3. politicorum cap. 14. car. 450. regibus ſacrificare concedat, niſi talia eſſent ſacrificia, quæ ſacerdotium requirerent: attamen ſacrificium, & ſacerdotium correlatiua ſunt, neque ſi reges ſacrificent, vt reges hoc facient, ſed vt ſacerdotes; ſicut enim medicus per accidens edificat, per ſe ſanat: ſic ſacerdos per ſe ſacrificat, per accidens regnat. Porrò ſacrificia ſoli Deo deberi, veri Dei decretum eſt, eiuſmodi exodi. 22. "*Qui ſacrificat Diis, eradicabitur: præterquam Domino ſoli.* Cuius ſentẽtię aſſertor eſt Aug. vir doctiſſimus, & ſanctiſſimus 10. lib. de ciuit. Dei cap. 4. & 8. de ciuit. c. 27. Falſi etiam Dii ſacrificiorum cultũ exigebant: Dæmones etenim appetẽtiſſimi ſunt diuinorũ honorum, quos imitati ſunt nonnulli homines dæmoniacæ ſuperbiæ, qui ſe tanquam Deos honorari voluerunt. Nec Ariſtoteles prorſus alienus eſt ab Aug. ſententia; quoniam in 9. Nicom. cap. 2. car. 145. ſcribit. "*Neque Ioui omnia ſacrificantur*"; & 8. Nicom. cap. 11. car. 135. ſcribit. "*Et qui ſacrificia faciunt, circa eaque conuentus, honores Diis exhibent, & ſibi ipſis cum voluptate requiem comparant: priſca enim ſacrificia, & conuentus videntur poſt fructuum collectiones, quaſi primitiæ quædam fieri conſueuiſſe.*" Idipſum colligitur ex locis paulò ante citatis in 4. Nicom. cap. 5. & 7. polit. cap. 10. & cap. vlt. item 1. de cælo 2.

Qua propter omnes plurium Deorum cultores idololatræ dicti ſunt, propterea quòd honorem ſoli Deo, tanquam ſummo Domino exhibendum, alijs impartiebantur, qui non erant Dij: & cum homines ſummam ſeruitutem (latriam Græci dicunt) ſoli Deo perſoluere teneantur: idololatræ multis, atque adeò plurimis exhibebant. Itaque ſacrificium, altare, templum, & ſacerdos ſoli Deo offeruntur, tanquam ſupremo Domino: cæteris, quos honore proſequi conuenit, aliæ actiones honorariæ. Quę pleræque Deo, & hominibus eædem dãtur, excepta confeſſione, & laudatione, qua Deum eſſe ſupremum confitemur, atque per eſſentiam honorabilem: cæteros autem vt inferiores, & per participationem honoramus. *Num.* 13.

Cum igitur Ariſtot. multos Deos expreſſè vocet, & inuocet: multis, & ſacrificia, & ſacerdotes, & templa dicari iubeat, ergo multos Deos credit, quos diuino honore proſequitur; multos præterea Deis inferiores, quos genios, & heroes nominat: per heroes fortè intelligens homines virtute, & beneficiis illuſtres: per genios, hominis natura maiores, ſignificans dæmones, quod modò non eſt exquirendum; tantùm colligamus. Qui multis ſacrificia, & ſacerdotes aſcribit, mul-

tos tanquam Deos veros honorat. Ariſtot. autem eiuſmodi eſt, prout citati textus conficiunt.

Ex opinionibus aliorum probatis. Caput. V.

Num. 14. QVando Ariſtotelicæ mentis teſtimonia quærimus circa vnitatem, vel multitudinem Deorũ, duo ſunt examinanda præcipuè: aliena opinio relata, & propria opinio aſſerta. Imbecillum teſtimonium eſt aliena referre, niſi apertè relata probentur: robuſtiſſimum argumentum eſt, ſi Ariſtoteles ab alienis placitis proprium placitum ſecernat, & in proprio placito vnum, aut plures Deos eſſe confirmet. Præſenti capite referam loca, in quibus Ariſtot. aliena dogmata de plurib. Diis affert, & approbat. In ſequenti loca, quibus propriũ placitum declarat.

In 1. de cælo tex. 22. Ad cæli perennitatem ſtabiliendam hæc exarauit Ariſtot. quę ſequuntur. "*Videtur, & ratio iis, quæ apparent, atteſtari, & quæ apparent rationi. Omnes enim homines de Diis habent exiſtimationes, & omnes eum, qui ſurſum eſt, locum Deo tribuunt, & Barbari, & Græci, quicunque putant eſſe Deos: tanquam videlicet immortale immortali coaptatum ſit. Impoſſibile enim aliter.*"

Idem in 2. de cælo tex. 1. "*Cælũ autem, & qui ſurſum eſt locum, antiqui quidem Diis attribuerũt, vt potè quod ſolum eſt immortale.*

Item in 2. de cælo tex. 6. *Non ſolùm de ipſius cæli ſempiternitate ſic exiſtimare melius: ſed & ſolùm vtique habebimus ſic conſentaneè diuinationi ei, quæ de Diis eſt, enunciare concordes ſermones.*

Quibus conſonant dicta in 2. de cælo 17. "*Eorum vnumquodque, quorum eſt opus, eſt gratia operis: Dei autem operatio immortalitas eſt, hoc autem eſt vita ſempiterna; itaque neceſſe eſt motum ſempiternum Deo ineſſe. Quoniam autem calum tale eſt (ſcilicet cælum eſt Deus) corpus enim quoddam diuinum eſt, ob hoc habet circulare corpus, quod natura circulariter mouetur ſemper.*" Iam verò ſi dixerimus Ariſtot. populariter affirmauiſſe mundi æternitatem, poterimus eum eximere ab impietate, quæ ſtatuit multos Deos. Si autem aſſeruerimus ipſum philoſophicè credidiſſe mundi æternitatem, non videtur mihi poſſibile ipſũ defendere ab impietate polytheiſmi, hoc eſt pluralitatis Deorum: ponit enim cælum eſſe Deum, & multos Deos cæli habitatores. Excute particulã excluſiuam *ſolùm*. Si ſempiternitas cæli ponitur, diuinatio de Diis ſeruari poteſt: ſi non ponitur ſempiternitas, ſeruari non poteſt diuinatio de Diis ſolùm nanque poſita æternitate, ponitur conſentaneè diuinationi de Diis.

Ergo qui fatetur Ariſtot. eſſe propugnatorem æternitatis, fateatur neceſſe eſt eundem eſſe aſſertorem multorum Deorum, & approbatorem antiquorum colentium multos Deos. Num. 15.

Ad hæc in 1. de partibus. cap. 1. car.

1. car. 1112. Aristot. hortatur physicum, vt nihil in rerum natura quantumuis vile, contemnat, sed omnia speculetur: eo quod in omnibus numen naturæ præfulgeat. Adducit in id Heracliti Apophthegma iubẽtis, quosdam in casam furnariã ingredi dicens. "*Quoniam nec huic quidem loco Dii immortales desunt.* Approbat ergo Aristot. Deos multos. Nam quod in 1. de anima 86. Thaleti refert acceptum, omnia esse plena Diis: id neque approbare, neque reprobare videtur.

In lib. de com. mot. causa ca. 4. car. 1480. Carmina Homeri laudantur, quibus Iupiter effecerat se ab omnibus Diis, Deabusque non posse de cælo in terram trahi.

Sed vobis nunquam cælo deducere ab alto.

Ad terram dabitur summumq́, sciumq́, tonantem:

Non si pervigili studio, multoque labore

Diique, Deæque omnes pariter trahere, inde velitis.

Igitur Aristot. commendans Homerum, & Homeri sensum præter summum Deorum: omninò immobilem, aliam farraginem Deorum, atque Dearum confitetur.

Ex hac authoritate arguere possumus cõsentaneè ad ea, quæ diximus, capite secundo. Quicquid vniuersaliter distribuitur per signa vniuersalia, *omnis*, & *nullus*, necessariò est vniuersale, nec potest esse singulare. At hoc in loco Aristot. post Homerum omnes Deos, omnes Deas memorat; ergo Deus Aristoteli nõ est singularis, & immultiplicabilis, sed vniuersalis vniuersaliter multiplicatus.

Ex propriis plures Dii statuuntur. Caput. VI.

MVlta dixit Aristot. populariter, multa philosophicè: illa ex aliena, hæc ex propria sententia. Operæ pretium autem est ex iis locis mentem Stagiritæ vestigare, in quibus propriam sententiam aperuit, & propria dogmata stabiliuit. *Num.* 16.

Igitur in 12. met. 50. postquã concluſit orbes planetarum esse 47. vel 55. quibus addita sphęra inerrantium stellatum constituit orbes 48. vel 56. deinceps colligit substantias immobiles per se, & à materia separatas totidem esse, quot orbes. Tunc subiecit hæc verba de substantiis separatis. "*Tradita autem sunt quædam à maioribus nostris, & admodum antiquis, ac in fabulæ figura posterioribus tradita, quòd hi Dii sunt, vniuersamque naturam diuinum continet. Cætera verò fabulosè ad multitudinis persuasionem, & ad legum, ac eius, quod confert, oportunitatẽ, iam allata sunt: humanarum formæ nãque, ac aliorum animalium nonnullis similes eos dicunt, ac aliæ consequentia, & similia his, quæ dicta sunt.*

Quorum, si quis ipsum solum primum separando accipiat, quòd Deos arbitrabantur primas substantias esse, diuinè dictum putabit; Hic Philosophus propriã

opinionem ſeparat à fabulis, à legibus, ab antiquis. Solùm hoc accipit ex paterna traditione, quòd primæ ſubſtantiæ ſunt Dii: hoc diuinè dictum arbitratur, ergo Ariſtoteli philoſophicè, & ex propria ſenẽttia omnes ſubſtantiæ immobiles, & cælorum motrices ſunt Dii.

Num. 17. In 1. de cælo tex. 2. de numeri ternarij perfectione ait. "*Quapropter à natura accipientes, tanquam leges illius, & ad ſacrificia Deorum hoc vtimur numero.* Lex naturæ eſt propriũ Ariſtot. dogma, non alienum, non Pythagoricum. Ergo lege naturæ ternario numero ſacrificandum Diis Ariſtoteles decernit.

Tertiò in lib. contra Zenonẽ locum habemus luculentum, particula quinta. Zeno aſſerit Deum eſſe vnum, eo quòd Deus eſt ens omnium præſtantiſſimũ. Hoc enim eſt proprium Dei, vt præſideat, & dominetur. Qua verò ex parte non præcellit, nõ dominatur: ea ex parte non eſt Deus. Si ergo ponantur duo Dii, maior, & minor; qui minor eſt, nõ præſidet, nec dominatur maiori: ergo qui dicitur Deus, non eſt Deus. Si ponãtur duo æquales, neuter alteri præſidet: neuter ergo eſt Deus. Nõ multi ergo Dii ſunt, ſed vnus tantũ.

Præterea ex omni potentia Zeno arguit; quia Deus poteſt ſua voluntate omnia, quæ vult facere, ac deſtruere. Si autem duo ſint Dii, & vnus vellet ſolus eſſe, non poſſet: neque ille ſolus poſſet omnia facere, vel deſtruere; nam quæ alter fecerit, ille vnus facere non poſſet, niſi actum agat: nec deſtruere poteſt, niſi alter ſit imbecilliot, atque ideò non Deus: igitur vni cus tantùm ſingularis eſt Deus. *Num.* 18.

Ariſtoreles in particula 18. confutat Zenonẽ. Primò quidem quoniam Zeno aſſumpſit hoc principium, Deus eſt ens præſtantiſſimum, optimum, potentiſſimum; ſed hoc, inquit Ariſtoteles, eſt contra legem, & opiniones. Verba Ariſtot. hæc ſunt ad car 1538. "*Præterea præſtantiſſimum eſſe Deum ſumit, potentiſſimum, atque optimum ita appellans. Id autem ex lege minimè videtur: ſed in multis præſtantiores ſeſe mutuo eſſe Dii dicuntur. Non igitur ex eo, quod videtur, hanc de Deo conſenſionem ſumpſit.*

Inſuper 2. refellit, quoniam Deus nõ dicitur præſtantiſſimus relatiuè ad alterum, ſed præſtantiſſimus abſolutè, & ad ſe: quia videlicet Deus optimè ſe habet, nihilque ei deeſt ad hoc, vt bene ſe habeat. Quo ſenſu aſſerit Ariſtot. plures eſſe Deos. Ita dicens. "*Accedit, quòd Deũ eſſe præſtantiſſimum, non eo ſenſu dicitur, vt erga aliud quippiam huiuſmodi ſit Dei natura, ſed quãtum tantummodo ad ſuam ipſius affectionem attinet: nam ſi ad alterum ſpectemus, quid prohiberet, Deum non ſua ipſius æquitate, & fortitudine, ſed ex aliorum imbecillitate excellere? At Deum ita eſſe præſtantiſſimum intelligit nemo, ſed quia ipſe, quam optimè fieri poteſt, affectus eſt: nihilque ei, quo minus benè, & rectè ſe ſe habeat, deeſt: quippe cum ita ſe ſe ha-*

habenti simul illud etiam eueniat, necesse sit. Ita verò esse affectos, etiam si plures ipsi sint, nihil vetat: vt omnes quàm optimè fieri potest affecti, & præstantissimi erga alios, non erga se sint: nam sunt procul dubio etiam alia. Luculẽtissimè videmus, Aristotelem plures Deos asserentem, eosque optimè affectos, & præstantiores in comparatione ad alia omnia, sed inter se tamen inæquales.

Quo in loco iterum noto, signum distributiuum *omnes* in numero plurali attributum esse Deis; & propterea *Deus* apud Aristotelem esse nomen vnius vniuersalis vniuersaliter multiplicati in multos Deos, vel numero, vel specie etiam distinctos.

Num. 19.

Alij quoq; suppetunt textus ex scientiis actiuis. Sanè in primo Magnor. moral. cap. 5. car. 186. legimus. "*Nam si quempiam eousque feceris intrepidum, vt ne Deos quidem metuat, iam non fortis, sed demens fuerit.*

Similiter in 9. Nicom. cap. 1. car. 144. ex veritate philosophica de retributione in amicitia differit inquiens. "*Non pecunijs dignitas æstimatur, &c. Sed fortasse satis est, sicut etiam erga Deos, & parentes id, quod fieri potest.* Quibus concinit, quod inbdit in cap. 2. de honore Dijs, & parentibus exoluendo.

In 10. Nicom. cap. 9. car. 173. indicat se velle probare, etiam secundum sapientes ea, quæ sunt dicta in cap. 8. præcedenti. Quo circa in cap. 9. non populariter, sed seriò, & sapienter scribit. Ait autem. "*Nam si aliquam humanarum rerum curam Dii habent, sicut videtur: consentaneum est ipsos re illa, quæ optima est, atque ipsis maximè cognata, delectari.*

In 5. polit. cap. 11. car. 515. præcepta edocet, quibus tyrannus conseruare se possit. Ad eam rem tale præceptum sancit Philosophus. *Vnde etiam oportet ipsum erga religionem Deorũ affici vehementer: minus enim formidabunt populi, ne quid contra iustitiam fiat, si religioni deditum illum existimẽt, & Deorum timorem habere. Minusque contra illum audebunt insurgere, quasi Deos habeat propitios, & fautores.*

Ad extremum, quando Aristoteles vltimum condidit testamentum, ita quo maximè sua vltima voluntas potuit aperiri, tùm se se idolorum cultorem patefecit. Diogenes Laertius in Arist. testis locuples nobis erit, qui totam Aristotelici testamenti seriem ad verbum recenset. Plura quidem in eo de Cerere, & similibus, sed in fine tandem concludit. "*Et seruar votum Nicanoris, quod pro illo vouimus; animalia lapidea cubitorũ quatuor Ioui seruatori ac Minervæ seruatrici in Stagyris.* In horum Deorum nomine, & cultu postrema sua dicta concluſit Aristot. à quibus nõ potuit maiorem sperare salutem, quàm perditi illi haberent Dij. An pluribus, certioribusque authoribus muniantur dicentes, Aristotelem implorando primę causæ misericordiam, obiisse,

Cœli. Rhod. 17. antiq. lec. c. 34.

ac

ac munſatur Laertius, mihi non eſt exploratum: vnde nec à Laertij atteſtatione recedo.

A ratione ſumpta è dictis Ariſtotelis. Caput. VII.

Num. 20. NOndum nos defecere viæ comprobandi, quòd Ariſtot. multos Deos poſuerit. Primo quidem Deum poſuit eſſe animal immortale. Idq; ſæpe ſæpius iteratũ deprehẽdes. Id quinto Top. loco 1. docet, aliquod proprium ineſſe ſuo ſubiecto ſemper, *vt Dei, animal immortale* eſſe proprium affirmat. Idipſum attigit in 4. Top. loco 17. Itidem in 1. de anima 8. inter ſpecies animalis enumerat equum, canem, hominem, Deum. Sed & in eodem 1. lib. tex. 77. videtur collocare Deum inter compoſita, dum inquirit, quomodo anima cognoſcat cõpoſita ex principijs coalita. Impugnat autem Empedoclem, & ait. "*Sed compoſitum, quo cognoſcet, aut ſentiet, vt quid Deus, aut homo, aut caro*. In 5. met. quoque tex. 31. legis. "*Vt homo, equus, Deus, quoniam omnia animalia*. Vnde & minus mirum eſt, ſi in 12. primæ Philoſophiæ tex. 39. legamus. *Diximus itaque Deum ſempiternum, optimumque viuens eſſe*. Ita quidem tranſtulit Beſſarion, peroſus vocem animalis Deo attribuere, ſed annotauit in margine Græcę haberi ζῶον, nempe animal. Qua in re Mirandulanus in Examine vanitatis doctrinæ gentium lib. 4. cap. 1. eruditè admodum oſtendit non debere legi viuens, ſed animal.

Adijcit quoque ſequaces Ariſtotelis iudicauiſſe, Deũ eſſe animal ad aures Ariſtot. pura Themiſtium, Plutarchum, Albertũ Magnum, qui etiam vitio vertit Ariſtoteli, quòd Deũ eſſe animal aſſeruerit. Sic autem Porphyriũ in prædicabilibus Peripateticè locutum; nam ille diſtinxit animal per mortale, & immortale, vt Deus ſit animal immortale rationale: homo animal mortale rationale, brutum animal irrationale. Summam facio ex Ariſtot. in logicis, phyſicis, metaphyſicis, & ex aſſeclis illius, Deum eſſe animal.

N. 21. Ex quibus argumentor. Si ſecundum Ariſtot. Deo repugnaret multiplicatio in plures Deos, repugnaret, vel ratione generis, vel differentiæ, vel vtriuſque. Animal quidem eſt genus. Atqui animal eſt multiplicabile in plura ſpecie, & numero diſtincta. Rationale verò multiplicatur in Deos, & homines, & fortè etiam genios. Immortale inſuper Deis, cælis (qui etiam Dij nuncupantur) humanis intellectibus, quin & materiæ primæ congruit; ergo ex his ſeorsũ, aut ſigillatim ſumptis nulla ratio fulget immultiplicabilitatis. At in Deo, quod non repugnat eſſe, neceſſariò eſt, neceſſariò igitur plures erũt Dij, optimi vtique omnes ſecũdum propriam abſolutam eorũ diſpoſitionem, & ſecundum negationem indigẽtiæ alienorum bonorum: ſed inter ſe comparati alij alijs maiores, minoreſque, aut pares.

Num. 22. Secundo argumentor ex proprie-

prietatibus quibuſdam Deo tributis, quę proprietates multitudinem admittunt: hæ ſunt mobilitas, & immobilitas. Nam Deus eſt mobilis, authore Ariſtot. 8. phyſ. 64. & 2. cæli 17. Rurſus Deus eſt immobilis per 12. met. 50. quo loci ſubſtantiæ primæ immobiles, aſſeruntur eſſe Dij. Iam arguo. Impoſſibile eſt, vt eadem ſubſtantia ſingularis per ſe exiſtens ſit mobilis, & immobilis. Nunc autem Ariſtoteli aliquis Deus eſt mobilis, vt Iupiter, Saturnus, Venus: aliquis per ſe immobilis, vt ſubſtantia motrix Iouis, Saturnis, Veneris. Ergo impoſſibile eſt, vt vnus, & idem ſingularis Deus per ſe exiſtens inueniatur, imò ſunt plures Dij apud Ariſtot. eſſentialiter diuerſi.

Tertiò. Argumentor ex pranitate, & probitate. Aliquis Deus apud Ariſtot. nullius pranitatis eſt capax, per ea, quæ habentur in 1. de cælo 100. *Nam primum, ac maximè ſummum diuinorum, neque habet pranitatem vllam, neque indigens ſuorum bonorum vllo eſt*. E contra verò iuxta tradita in 4. top. loco 64. Aliquis Deus eſt capax pranitatis. Volens quippe Ariſtot. oſtendere, quòd res fugiendæ, & ſequendæ conſiſtunt in actu, nõ in potentia: quodque nullus pranus eſt, vel dicitur ex eo, quia poſſit prana agere, ſed ex eo, quia prana agat; hoc probat, quoniã *Deus, & homo ſtudioſus poſſunt prana agere*: nõ ſunt autẽ praui, quoniam, neque prana agunt, neque ex electione prana ſectantur. In quem locum lege Aphrod. & Sueſſan. cõſule item Thomam Aquin. in 3. ſententia d. 12. quęſt. 2. art. 1. ad. 4. & Bonau. 1. d. 44. num. 7. atque in 2. d. 25. num. 52. Ex quo apparet Ariſtot. loqui de tali poteſtate agendi prana, qualis ſi ad actum reduceretur, & Deus eſſet pranus, & prauè ageret, ſic & homo ſtudioſus. Quoniã idem ſignificant ferè, prana poſſe agere ex electione, & prauè poſſe agere.

Hinc ita concludo. Non poteſt vnum, & idem ens per ſe exiſtens, & ſingulare eſſe omnis pranitatis incapax, & pranitatis capax. Neque eſt eadem eſſentia, quæ & poſſit prana agere, & non poſſit prana agere. Sed ex primo cæli diuiniſſimum non poteſt tranſmutari, nec habet pranitatem vllam; ergo neque poteſt habere; nam tranſmutabile eſſet. Rurſus ex 4. top. Deus poteſt prana agere, & ſi prana neque eligat, neque agat, ergo hi duo non ſunt vnũ, & idem ens per ſe exiſtens, & ſingulare, neque ſunt eadem eſſentia, ſiquidem eædem per ſe potentiæ ſequuntur eandem eſſentiam.

Ex Dei proprietatibus conceſſis, vel ablatis. Caput. VIII.

LAbortioſior illa quidem, at non inutilis diſcuſſio eſt futura, qua conſiderantur perfectiones, ac dotes Deo propriæ, cum vel à Deo vno auferuntur, vel etiam ſi ab eo non auferuntur, ad alios tamen, qui non ſunt Deus, afferuntur. Sanè grauiſſimum eſt piaculum, ſiuè *Num.* 23

siuè Deo dignitates proprias adimas, siue non Deis illas eas-dem ascribas.

Primo enim modo, qui Deus est, fingitur non Deus. Secundo, qui non Deus, fingitur esse Deus. Quemadmodum autem Deus est immultiplicabilis essẽtialiter, sic & Dei proprietates, & vice versa. Et quemadmodum Dei ratio aliis essentialiter ab vno Deo diuersis nõ conuenit: ita & proprietates Dei non conueniunt.

Contemplemur ergo Dei veri proprietates, quæ nam sint. Principiò quædam proprietates vnius Dei apud omnes vnius Dei solius assertores confessæ sunt; quædam & si à quibusdam soli Deo, tanquam veræ proprietates tribuantur; ab aliis tamen viris doctis, ac piis, siue ex propria opinione, siue ex doctrina gentilium ab ineunte ætate hausta, cognoscuntur quidem Deo in esse, at non soli Deo, verùm etiam Dei operibus asserũtur competere.

Num. 24. Primi ordinis sunt istę. Prima, Ineffectibile simpliciter, & primum effectiuum omnium, atq, adeò omnipotentia.

Secunda, Actualitas purissima; nam Deus est actus purus omnino separatus à materia, & à potẽtia passiua, vel receptiua.

Tertia, Necessitas essendi, vt solus Deus sit necesse esse, omne aliud ens contingens esse.

Quarta, Intransmutabilitas, eo quòd nec Deus, nec aliquid formaliter existẽs in Deo possit verti, corrumpi, variari.

Quinta, Beatitudo connaturalis, qua Deus per se ipsum est beatissimus intelligendo, & amando se: cætera intellectualia per se se non sunt beata, sed in Deo solo, vt obiecto beatifico beatitudinem nanciscuntur.

Sexta, Sufficiẽtia per se, Deus namque nullo eget, sibi solus sufficit, & omnibus: alia omnia defectum patiuntur, & ea quibus egent, mendicant à Deo.

Septima, Esse maximum, & & optimum; quamobrem, & communi hominum ore inuocatur Deus Optimus Maximus, tanquam perfectione supremus, & absolutè, & relatiuè.

Octaua, Infinitas perfectiones, vt sit infinitæ essentiæ, infiniti intellectus, infinitæ voluntatis, infinitæ potentiæ.

Nona, Immensitas, qua Deus à nullo existente abest, omnibus rebus, locisque adest.

Decima, Simplicitas summa, qua Deus nec est cõpositus, nec compositibilis: neque pars, neque ex partibus.

Vndecima, Independentia simpliciter, qua Deus à nullo pendet, reliqua omnia pendent essentialiter ab ipso, in esse, & in omnibus consequentibus esse.

Duodecima, Adorabilitas suprema, quæ ex parte Dei summũ dominium ponit, summi principis, sapientissimi, potentissimi, optimi; ex parte effectuum libertate præditorum ponit seruitutem summam, quæ latria nuncupatur.

Secundi ordinis dignitates quædam sunt, quæ à pluribus tanquam proprietates Deo soli conuenientes proponuntur; ab *Num. 25.*

aliis

aliisetiam rebus causatis communicantur, hæ sunt.
Immaterialitas,
Aeternitas.
Impartibilitas numerica, siue immultiplicabilitas
Immaterialitatem soli Deo cõcedunt Gregorius Nazianzenus, Aug. Boethus, Bonauentura.
Aeternitatem Fulgentius, Ambrosius, Damascenus, Bonauentura.
Immultiplicabilitatem, seù impartibilitatem numericam, ferè iidem, qui tribuunt immaterialitatem.

Quidam tamen has tres dei dotes causatis accommodant, siue ex propria inuentione, siue potius (aut ego fallor) ex tesiduis Aristotelicæ doctrinæ.

Haud inscitè Horatius cecinit.
Quo semel est imbuta recens seruabit odorem
Testa diu.
Sic assueti placitis Aristotelicis à puerili æuo, quoniam vident illum omnes substantias incorporeas posuisse immateriales, æternas, immobiles, immultiplicabiles in eadem specie: hæc eadem cõcedunt Angelis. Quia verò nequeunt, fidei retinaculis constricti, eis concedere actu æternitatem, concedunt eos æternos esse potuisse, quo vel sic Aristotelem tueantur.

Num. 26. Hi ita delibatis, experiamur, an Aristoteles aliquas ex enarratis proprietatibus, rebus multis ascripserit, an vni soli, & ratione, & numero vendicarit, tanquam vero deo.

Quod attinet ad proprietates secundi ordinis res est satis, superque apud Peripateticos explorata, Aristotelem scilicet inuexisse multas substantias immateriales, æternas, immobiles, necesse esse, immultiplicabiles numero: ex 12. diuinorũ 30. & 43. & 48. atque 49. Qui igitur doctorum immaterialitatem, æternitatem, impartibilitatem numericam, soli diuinæ essentiæ competere arbitrantur, ii statim dicent, & Deitatem, & proprietates deitatis ab Aristotele multis ascriptas: impossibile etenim est, vt alicui competat proprietas, & ratio proprietatis non competat: vel è contra.

Cæterùm ratio longè robustior est ex prioribus confessis dei proprietatibus. Ex quibus duodecimam, nempe, Adorabilitatem summam, sacrificiis testatam Aristoteles procul dubio multis Diis largitus est, quemadmodum superius capite 4. ostendimus. *Num. 27.*

Secundam, videlicet actualitatem sine materia dedit multis in 12. met. 30. in quibus posuit operationem esse ipsam substãtiam, vt substantiæ illæ æternæ, & motrices sint substantiæ actu, quare sunt actus puri: quod eò magis constiterit ex immobilitate, & intrasmutabilitate concessa multis (hæc autem est 4. proprietas) prout constat ex 12. met. 43. & 48. & 1. de cælo 100. ex quo loco textum nobis vsui futurum adduco, tractantem de his, quæ sunt extra cælum. "*Quapropter neque, quæ illic sũt,*

nata sunt in loco esse, neque tempus ipsa facit senescere, neque vlla transmutatio vllius eorum est, quæ super extima dispositæ sunt latione: sed inalterabilia, & impassibilia, optimã habentia vitam, & per se sufficientissimam perseuerant toto æuo. Ex quibus constat substantias separatas non posse mutari secundum substantiam, aut secundum accidens, quare non esse in potentia ad aliquid, sed esse actus puros: non esse compositas ex materia, neque componibiles cum aliquo, vt propterea sint summè simplices. Non posse vel incipere esse, vel desinere, sed habere necessitatem essendi ex 12.met.30. Habere optimam vitam, hoc est beatam, & per sese sufficiẽtissimam, quæ sunt quinta, & sexta proprietas. Nam si non esset eis ex se connaturalis beatitudo, non per se se haberent sufficientiam. Hinc in 10. Nicom. cap.8. diis tribuitur vita beata. Sunt optimæ substantiæ, & optimi fines, prout asseritur in 12. met. 48. & in 1. cæli 100. dicuntur habere optimam vitã. Non desunt Peripatetici, qui putent infinitam perfectionem omnibus substantiis mouentibus immobilibus ab Aristot. esse communicatam, quod ferè concludunt textus 41. & 42. 12. met. Itaque sola nobis indepẽdentia vni primo enti relinquitur, à quo cuncta dependent, cui cuncta subordinãtur. Nam de ratione ineffectibilis, & effectiui primi, immortalis est cõtrouersia inter Peripateticos, dum plurimi, & in Lyceo laudatissimi Alexandrei, Auerroistæ, & alii tenent summum ens primum, solùm esse causam in genere finis, non in genere causæ efficiẽtis. Quo circa rationem ineffectibilis extendunt ad omnes intelligentias, ad cælos, ad materiam primam: in quam sententiam nuper Aristot. ascisendam concessit Thomas Giannius lib. de natura cæli, & Petrus Hurtadus de Mendoza in disputatione 12. met. sect. 1. Consequenter, qui ita explicant Aristotelem, ponunt cælum esse primum efficiens, & omnipotens, & omniscius, atque etiã alium Deum. Qui autem Deo efficientiam secundum Aristotelẽ largiuntur, penè omnes Deo adimunt libertatem in causando, atque immediatum concursum, solumque concedunt, vt Deus agat mediante motu cæli, in reliquis alligatus sit ordini causarum secundarum. Quæ cum ita sint, liquidò discernitur, Aristotelem diuinas proprietates penè omnes multis essentialiter distinctis dedisse, atque adeò, multos Deos confinxisse.

Ad hęc non solùm Dei proprietates aliis communes fecit, verùm etiam quasdam Deo verò detraxit. Nam (vt ommittam, quam modò tetigi ineffectibilitatem, ac potentiam effectricem) Immensitatem abstulit à Deo, quoniam primum motorem non in centro esse, sed in orbe dixit 8. phys. 84. id quod longè clarius confirmarem ex lib. de mundo ad Alexandrum, si eum librum Aristotelis Stagiritæ esse concederem. Sed quã

Num. 28.

dubia fit apud ſequaces ipſius, omniſcientia Dei, nemo neſcit. Plurimi enim colligunt ex ipſis textibus, diuiniſſimum intellectum non cognoſcere ea, quæ ſunt extra ſe, atque ideò neque curam aliorum habere, aut prouidentiam vniuerſi. Plurimi Deo negant libertatem, & imperium ad aures Ariſtotelis; cum autem iſtas Dei dotes concedant aliis rebus, alios deos introdunt. Impeccabilitatẽ quoque à Deo ſecreuit, quando Deũ poſſe praua agere dixit 4. top. loco 64. & quando Deos quoſdã nefaſtis ſceleribus luxurię præſides permiſit.

Conſpicuè igitur eluceſcit ſecundum Ariſtotelẽ plures Deos eſſe ponendos; quod cum ſine errore deteſtabili affirmari nequeat, conſequenter cauendum erit, ne vel principia, ex quibus ipſe in hunc errorem delapſus eſt, recipiantur: vel concluſiones, quas ex tàm tetra falſitate eduxit, approbentur.

Soluuntur Argumenta in oppoſitum. Caput. IX.

Num. 29. AVguſtinus Eugubinus lib. 4. de perenni Philoſophia cap. 1. ait. *Ariſtotelem & ſi genus diuinum in libris de prima philoſophia videatur agnoſcere duntaxat, quod mouet cæleſtes orbes, quoniam hæc fuit barbara ſuperſtitio hominum, qui Deos appellarent lumina cæleſtia. Reſipuiſſe tamen ab hac ſententia, Deumque verum aſſeruiſſe magnum, vniuerſalem, non qui ſolum primum orbem conuertat; alterũque è duobus de omni eius philoſophia dicendum, aut præter intelligentias orbium verſatrices, poſſuiſſe alium Deum principem ſummum, qui tametſi moueat primum orbem, agat alia per omnes mundi partes intra, extraque intentus: aut eum inconſtantem fuiſſe.* Hęc ille de Ariſtot. Dehinc probare aggreditur ex Ariſtotelis, Deũ eſſe vnum.

Primo ex appellatione ſingularis Dei. Sæpè enim (inquit Eugubinus) ait Ariſt. *Deus & natura nihil faciunt fruſtra.* Hęc authoritas in 1. de cælo 32. habetur: in aliis locis ab Eugubino in margine citatis, natura nominatur, non Deus, vt in libro de greſſu animalium, & de partibus animalium cap. 2. ac 13. Hic ergo Ariſt. Deum in ſingulari numero protulit. Ita in 12. met. 39. Singularem Deum nominauit ſcribens. "*Dicimus itaque Deum ſempiternum, optimũque, viuens eſſe. Quare vita, & æuum continuum, & æternum, Deo ineſt; hoc enim eſt Deus.* Adde primum met. ſum. 1. cap. 2. quando ſapientiam ſoli Deo, vel maximè ipſi Deo concedit inquiens. "*Nam & illa, quam maximè Deus habeat, diuina ſcientiarum eſt: & ſi qua eſt, qua diuinorum ſit; hæc autem ſola vtrumque conſecuta eſt. Deus etenim tum cauſa omnibus eſſe videtur, tum quoddam principium: & talem, aut ſolus, aut præcipuè Deus habet.*

Reſpondetur, omne ſubiectũ definitionis, diuiſionis, demõſtrationis in ſingulari numero ſumi conſueuit: nec ob id con-

ficitur, vt ſubiectum illud ſit ſingulare, ſed potius oppoſitũ, quoniam de vniuerſalibus aſſignantur diuiſiones, definitiones, demonſtrationes. Quid? nonne ipſum vniuerſale in 1. de interpretatione cap. 5. & in 7. met. tex. 45. in ſingulari numero definitur? Nonnè in 1. top. cap. 4. genus, proprium, accidens, in numero ſingulari deſcribuntur? An vniuerſale, & ſpecies illius propterea dicemus eſſe ſingularia? Aliud res, aliud modus grammaticalis: à modo ad rem arguenti, figura dictionis imponit, niſi caueat; quaſi ſi lapis, petra, ſaxum eandem rem ſignificent, eademque res ſit vtriuſque, & neutrius ſexus futura. Præterquam quod vnitas iuxta dicta in 5. met. 12. ſit numerica, ſpecifica, generica, analoga; quarum ſingula ſufficit ad numerum ſingularẽ. Quid ente magis commune? Magis communicatum? In 4. tamen primæ philoſophiæ fere perpetua locutio eſt in numero ſingulari. Quapropter quæuis vnitas ſufficit ad locutionem in ſingulari; quare ſi ab vnitate quauis ad vnitatem numericam argumentere, conſequentis fallaciam commiſtes. Si Ariſt. perpetuò Deum protuliſſet in ſingulari, probabilis ea foret Eugubini ſuſpicio; cum autem longè frequentius incommunicabile illud nomen, ſiue immultiplicabile in numero multitudinis multis communicauerit Stagirita: multos Deos ab eo
N. 30. poſitos par eſt credere.

Secundò, Probat Eugubinus cap. 2. præter Deos cælorum motores, aliud genus Deorum inuectum fuiſſe ab Ariſtotele extra cælum, ſupra locum, & tempus in 1. de cælo 100.

Reſpondetur. Quanquam in textu 100. primi de cælo Dei nomen minimè legatur: ſi tamen Eugubinus velit per eniũ ſupra locum, ac tempus conſtitutos, Deos intelligere, multos colliget, non vnum. Nam præter Deos verſatores orbium ex 12. met. 50. Deos alios non verſatores inducet.

Tertiò. Adducit Eugubinus lib. de mundo ad Alexandrum, in quo libro Ariſt. confeſſus ſit vnum Deum ſummum. In quo libro emendauerit, quæ dixerat in metaphyſicis de multis Diis. Porrò Iuſtinus martyr aſſeruit, quod is liber ſit habitus, vt compendium philoſophiæ Ariſtotelis. Idem Eugubinus lib. 4. cap. 6. à Plutarcho, & Proclo citati prædictum librum tanquam Ariſtotelicum prodit: loca tamen Plutarchi, & Procli non indicat. lib. 4. cap. 3.

Reſpondetur. Hoc Argumentum plura flagitare conſiderãda. Primo ſoluo breuiter; Authorem illius libri in 2. capite dicere. "*Cælum dicere Dei domicilium*; & in eodem cap. vltra medium repetit. "*Cum interim ſupremam regionem Deorum fecerint domicilium*. Quamobrem hoc vocabulum *Deus* tanquam terminus communis, in ſingulari etiam plura ſignificans, affertur; quòd autem aſſeritur vnus Deus ſummus, officit alios Deos minores, iuxta

gen-

Gentilium deliramenta. Sic Homerus in lib. de communi motion. relatus, docet Iouem ſuper Deis, Deabuſque præualere. Sic Ariſt. in 1. de cælo tod. Omne diuinum affirmat eſſe intranſmutabile; hinc ſubdit primum, ac maximè ſummum atteſtari huic dicto, quoniam ſummum diuinorum nihil habet ſe diuinius, à quo moueatur. Licet ergo vnus ſtatuatur ſummus Deus, non tollitur quin ſint multi Dii vnuocè dicti ab Ariſtotele cum gentibus. Nam quando apud nos dicũtur multi Dii, æquiuocè vox accipitur. Si enim propriè vox teneatur vnicus, immultiplicabilisque eſt, atque hoc nomen incommunicabile affirmatur in ſacris litteris, Sap. 14. *Si autem per vſurpationem*, vel per participationem, & in ſumma ſi impropriè nomen Dei accipitur, & æquiuocè, vel analogicè multis attribuitur.

Num. 31. Hic locus me ad hæc explicãda latiùs impellit; quoniam nõnulli, & quidem graues viri, cum animaduertunt apud Ariſtotelem vnum ſupremum Deũ, & deos minores, quales ex 12. met. 50. ſunt ſubſtantiæ motrices cælorum: quales ſunt cæli ex 2. de cæli 17. ſtatim indicant Ariſtotelem cum Chriſti fidelibus ſentire, qui vnum deum colunt, nempe ſummum ens: & item cognoſcunt Angelos ſanctos, atque homines ſanctos; quibus ſcriptura ſacra nomen Dei applicat. Quocirca arbitrantur aliqui, Chriſtianorum ponentium vnum deum, & ſanctos ſub deo, ſententiam non diſcrepare à fœtẽtia gentilium, qui ſub deo ſummo minores deos tolerent, ſuoſque heroes deificarent. Item vero interceſſiſſe de nomine; imo nec de nomine, ſi etiam ſacræ Chriſtianorum litteræ dei nomen tribuunt in poteſtate conſtitutis: quemadmodũm, & conſtitutis in his, quæ ſunt ad deum, ſacerdotibus, dei nomen communicant; & conſtitutis in his, quæ ſunt ad homines, regibus, atque magnatibus, dei nomen impertiuntur.

Verùntamen multò melius de fide catholica mererentur, hi viri, ſi dicerent aliquem de nomine conſenſumeſſe inter fideles, & infideles circa vnitatem dei, in re autem maximum eſſe diſſenſum. Nam ſi conſenſus ſit, nonne Apoſtoli Chriſti, Eccleſiæ Chriſtianę fundatores, ſapientiſſimi Patres, fortiſſimi martyres, ſtolidè tot ſubiere dimicationes, atque mortes pro diſſidio de nomine? de voce igitur, non de re inter Chriſtianos ex vna parte, Tyrannos, Philoſophos, Poetas, gentileſque omnes ex altera vixit, vinetque controuerſia?

Denique hoc aſſertum dum gentium ſapientes laudat, Chriſtianæ Eccleſiæ defenſores, & ſatores infamat. Quid illud? Chriſtiani etiam contra ſacras litteras fecerunt, quando à cęlis, eorum vè motoribus, ſubſtantiiſque ſeparatis: quando ab hominibus illuſtribus, atque principibus dei nomen abſtulerunt. Itaque cò redit res, vt qui Chriſtiani pro pietate vixerunt, ac obierunt, vnicum deum defen-

fendentes impii fuerint, contra verba Dei pugnarint: qui pro impietate multos deos intrudendo, Christianos omnibus supplicijs affecerunt, pij fuerint. O horrendas blasphemias. Vt impio pietatem assereres, à pijs pietatem aufers.

Num. 32. Audiamus, obsecro, Prophetam ex veteri, Apostolum ex nouo testamento, & omnibus aliis, solùm de Aristotele loquamur. Ieremias Propheta cap. 10. reuelatorum diuinitus sic inclamat. *Dij, qui cælos, & terram non fecerunt, pereant de terra, & de iis, quæ sub cælo sunt.* An non apertè confitetur, Credo in vnum Deum, factorem cæli, & terræ? Si Peripatetici essent concordes circa sententiam Aristotelis, possemus de Aristotele decernere: tunc autem certò decernemus, cum concordabunt. Qui tamen cum Arist. negant mundum factum, cælũ, ac terram factam: qui negant, Deum esse vllius rei factorem, imo substantias immobiles volunt esse solum causas in genere finis, dicent nè idem esse Deum summum, & Angelos apud Christianos, & Deum summũ, atque substantias immobiles, cælosque apud Peripateticos?

Paulus Apostolus in 1. ad Corint. cap. 8. *Scimus*, inquit, *quia nihil est idolum in mundo, & quia nullus est Deus, nisi vnus. Nam etsi sunt, qui dicantur Dij, sive in cælo, sive in terra (siquidẽ sunt Dij multi, & Domini multi) nobis tamen vnus est Deus, pater, ex quo omnia: & vnus Dominus Iesus Christus, per quem omnia, & nos per ipsum, sed non in omnibus est scientia.* Disputauerat doctor gentium Paulus cum philosophis, atque poetis gentiũ, sed quid concludit? In 1. ad Corinth. *Nonne stultam fecit Deus sapientiam huius mundi? Nam quia in Dei sapientia non cognouit mundus per sapientiam Deum, placuit Deo per stultitiam prædicationis saluos facere credẽtes.* Credimus Deum non esse nisi vnum: sint alij dij multi in cælo, vel in terra, nobis vnus est qui fecit cælum, & terrã. Satisne Paulus secreuit Christianũ dogma ab Aristotelico ponente deos minores, videlicet cælos, vel motores eorum? Profectò in eo sensu Prophetæ, ac Apostoli, successoresque eorum patres & martyres repudiarunt cælos, cælorumque cultum, atque motorum, qui cælis astant: in quo à gentilibus principibus, philosophisq; proponebantur. Proponebantur, vt dij minores. Ergo neq; vt minores dij colendi sũt, exterminãdiq; sũt omnes dij de cælo & de terra; vnus solus Deus est, & colẽdus est solus. Num. 33.

At scripturæ Deos dicunt Angelos sanctos, & sanctos homines. Planè, sed æquiuocè; vnus Deus ex natura, Angeli, & homines ex gratia supernaturali. An Aristoteles naturali acumine dona gratiæ supernaturalis agnoscere valuit? An non viuiuocè ex natura sua voluit omnes suos deos esse viuentia optima, & sempiterna?

Sequamur naturam, & quia in angelis & bonis, & malis eadẽ est natura: dicantur etiam an-

ge-

geli praui ex natura dii. An quiſquam Chriſtianus toleraturus eſt, vt dęmones, vel ſolo nomine deteſtabiles, naturâ dii dicantur, niſi cum addito dii gentium, dii huius ſæculi, dii ſceleratorum, qui vel ex ignorantia dæmones colunt, vel ex malitia dæmonibus obſequuntur? Alius eſt igitur ſenſus Ariſtoteleus, alius Chriſtianus; diſſidiumq; eſt de re, non de voce. Etſi ſingulari, Elohim in plurali apud Hebræos vox æquiuoca eſt, ſignificans Deum verum, angelos, homines potentes: vt apud Latinos vox canis ſignificat aſteriſmum, quadrupes, piſcem. Ex æquiuoco colliges angelos, & homines æquiuoce Deos nuncupari. Tametſi notet Auguſtinus in 9. de ciuit. Dei cap. poſtremo, homines, quàm angelos expreſſius Dei nomine honoratos in ſcripturis, ne propter excellentiam angelorum, quis eos Deos crederet, quod propter humanam fragilitatem nõ facilè in homine fieret.

Quod attinet ad Potentatus, in Hebræo vox el ſignificat iudicem, & Deo tanquam ſummo iudici omnium bonorum, ac malorum nomen impoſitum eſt ab actu iudicandi; ſic dicitur Iudex iudicum Latinè qui Hebraicè Deus Deorum. *Deus ſtetit in congregatione Deorum in medio autem Deos diiudicat. Vſquequo iudicatis iniquitatem.* Sic in Exodo 22. *Dominus domus applicabitur ad Deos. Ad Deos vtriuſque cauſa perueniet, et ſi illi iudicauerint.* Hunc morem Hebraicum interpres latinus ſeruauit, ſed intelligendam ratione ſignificatam lectoribus dereliquit. Atqui æquiuocè Deus ex natura, & Deus, vt iudex dicitur. Primum eſt immultiplicabile, ſecundum multiplicatur. Denique ſacra ſcriptura Deos nominat gentium, ſed tales deteſtatur; vnum ſcimus Deum, non plures ſiue æquales, ſiue inæquales agnoſcit. Cum igitur Ariſtoteles Deos illos, vt ex natura eorum Deos agnouerit, & partim ex propria opinione ſub ratione vniuoca, partim ex opinione patrum ſuorum, vt 1. cęli 22. & 2. cæli 2. & 6. contex. vtroque modo poſuit malè Deos plures. Deos ex gratuita communicatione ſupernaturali vel gratiæ ſanctificãtis, vel iuriſdictionis de cælo deſcendentis, non agnouit, neque aſſeruit. Quare nequeat veritas habet, Deum ex natura vnicum, neque Deos per gratiam eſt confeſſus. *Num. 34.*

Secundo, adiicio, nos à ſolo Diogene Laertio habere catalogum eorum, qui certi ſunt, librorum Ariſtotelis Stagiritę: inter quos is liber de mundo ad Alexandrum non continetur: Budęus quoque, qui librum Latinum fecit, ad margitem appoſuit hanc notam. *Liber hic, ſi Stagiritæ dictionem, phraſimq; non ſapit (vt fama eſt) illum forte caſdit, qui et rhetoricam ad Alexandrum.* In hanc ſententiam cum pluribus iuit Thomas Gãnimus lib de natura cæli cap. 44. car. 475. Profectò Alexandrei, & Auerroiſtæ, Thomiſtæ item, atque Scotiſtæ librum illum tan- *Num. 35.*

Pſal. 81.

tanquam Aristotelicum non sūt facilè recepturi.

Tertiò. Confitentur Eugubinus lib. 4. cap. 3. & 4. & Patritius discuſ. peripat. lib. 6. in libello de mundo ad Alexandrū dici multa longè aliena, atque etiam contraria reliquis libris Aristoteleis. Concedit Patritius id factum in gratiam Regis, nō ex animi ſententia. Cōcedit Eugubinus id factum ad emendationem dictorum in phyſicis, & metaphyſicis. Mihi autem potiùs videtur diuerſitas, & contrarietas dogmatum huius libri incerti ad alios libros certos Ariſtotelis, eſſe validiſſimum argumentum ad probandum, quòd hic liber non ſit Ariſtotelis Stagiritæ.

Num. 36. Neque in gratiam Regis dixerim Philoſophum ſibi cōtradixiſſe: nam cur in rhetorica ad Alexandrum Deos multos aſſeuerat in gratiam Regis, in libro de mundo vnum Deum? Potiùs multos Deos dicere debuit, ſi gratiā Regis idolorum multorum cultoris, captare voluiſſet. Quid item intererat Alexādri, ſi Oceanus à ſeptentrione per anguſtas ceruices in mare Caſpium illaberetur, vt legis in libro de mundo; an potius ſit mare illud vndique terra cinctum, prout aſſertum eſt in 2. meteor. cap. 1.

Cur vitam, & animam tribueret terræ in libro de mundo cap. 2. & aëri cap. 3. quod ſtrenuè omni corpori ſimplici negauerat in 3. de anima *66*?

Cur aërem ſuopte ingenio gelu permixtum dicat in libro de mundo cap. 2. qui in 2. de geh. tex. 16. aërem humidum, & calidum demonſtrauit?

Cur è cæli motu armoniam natā aſſerat in lib. de mundo c. 7. quam negauerat in 2. cæl. 52.

Cur Deus mundi pars dicitur in cap. 7. de mundo, qui in 12. diuinorum tex. 52. nō coërcetur in ordine vniuerſi, ſed longè prudentiùs ſupra totum ordinē conſtituitur?

Cur à Deo ſummo torqueri Lunam, & Solem ſcribat in lib. de mundo cap. 7. quos à propriis motoribus immotis cieri docuit in 12. met. 43. & 48?

Denique ſi hoc in libro non ex animi ſui ſententia, ſed ex ſentētia Regis Ariſtoteles differit: quę in hoc libro dicuntur, nō docebunt nos propriam Ariſtotelis de Deo ſententiam, ſed regiā. Nos autem quærebamus ſentētiam Ariſtotelis, in qua veſtiganda ille liber erit inutilis. *Num. 37.*

Quartò. Nec veriſimile eſt hunc librum eſſe ab Ariſtot. ſcriptum, vt emendaret alibi dicta. Si enim ſcripſit gratia emendationis, aut ſcripſit antequā Alexander expeditionem Perſicam adoriretur, aut poſt; ſi ante bellum Perſicum, ergo Ariſt. per hunc librum non emendauit libros phyſicos, & metaphyſicos. Hos nanque ſcripſit Athenis lector, poſtquam Alexander in Perſidem profectus fuerat. Si poſt bellum incoharum, non eſt credibile Ariſtotelem nuncupauiſſe librum Alexandro propter graues ſimultates inter Ariſtotelem, & Alexandrum exortas, ob Caliſthems coniurationem,

&

& interitum; quibus inimicitiis Ariſtoteles excitus videtur ira, tùm vt regem vlciſceretur, tùm vt ſibi proſpiceret; atque ob id venenum regi interficiendo efficax, Antipatro (vt ferunt) indicaret. Poſtremò librum hũc poſt Darium regno Perſico deiectum fuiſſe ſcriptum indicant illa verba cap. 7. "*Quippe, vt proditur, viſenda quædam ſpecies Cambyſis, Xerſis, & Darii regnantium in exquiſitum maieſtatis faſtigium exornata erat &c.* Quibus facilè vides de Dario pridem regnante commemorationem fieri. Darium verò Alexander regno deiecerat.

Alia quædam argumenta diluuntur. Caput. X.

Num. 38. QVartò. Argumentatur Eugubinus in cap. 9. libri quarti citati de Perenni philoſophia, citato Ariſtotele in magnis moralibus lib. 2. cap. 8. car. 230. Illic ait. "*At nunquid ſecunda fortuna eſt, vt Deorum quædam cura: an id minimè videri debet? Talium ſiquidem dominum facimus Deum, vt bona, malaque meritis diſtribuat: at fortuna, & quæ a fortuna proſus, vt nomen indicat, vt fors tulerit, fiunt. Quod ſi huiuſmodi diſtributori Deo aſcripſerimus, malum ipſum iudicem facimus, neque iuſtum; id nefas Deo deputare &c. Præterea neque cura, neque beneuolentia, quæ a Deo, videatur eſſe felicitas (lege fortuna) quoniam malis attribuitur. Atqui Deum malorum curam habere, fas nõ eſt.* Igitur præter Deos cælorum motores Ariſtoteli cognitus eſt Deus iudex, iuſtus retributor bonorum, & malorum: iuſtus prouiſor, qui bonorum curam habeat, malorum non habeat.

Reſpondetur, quòd Deus peculiari beneuolentia, & cura non proſpiciat malis, ſed bonis: generali tamen cura omnibus prouideat probabiliter exponit Eugubinus. Sed ſiue dedero eoſdem Deos, qui cælum conuertant, vel alium aliquem, præter illos, eſſe iuſtos prouiſores, ac retributores: nõ nè reſtat adhuc, multos Deos ab Ariſtotele fuiſſe aſſertos? Loquitur autem Ariſt. in ſingulari numero, ſicut loquitur de homine, de leone, tanquam de rebus vniuerſalibus. Hac reſponſione tollitur obiectio Eugubini de natare Deorum in cap. 10. poſita, vbi tamen expreſſè ab Ariſtotele ponuntur dii. Tollitur obiectio de Deo, qui non eſt bonus virtute, ſed eſt virtute maior, quod in omnes ſubſtantias immobiles oſtendit Ariſtoteles, cum omnes illas ſubſtantias per ſe optimas, & ſufficientiſſimas, & intranſmutabiles dixerit. Hunc locum Ariſtotelis in 2. moralium eſſe dixit Eugubinus, quòd Deus non eſt virtute bonus, ſed ſeipſo. Ego in 7. Nicom. cap. 1. hanc ſententiam reperi, nec non in magn. moral. lib. 2. cap. 5.

Quintò. Eugubinus iterum exurgit in cap. 11. lib. 4. indicãs ab Ariſtot. conceſſum eſſe vnũ Deum ſummum, ſpeculatione ſui beatum: alios verò Deos ſpeculatione ſummi Dei beatos. *Num. 39.*

Respondetur, Ita quidem Aristoteli placuisse, vt Deus sit vnum commune genus. In omni autem genere est vnum primum, quod est mensurum, & mẽsura omnium, quæ sunt illius generis: prout colligere licet ex 10. met. tex. 7. Sic in genere cęlorum, stellatum est primum: in genere colorum, albedo est prima. Ita & in genere Deorum est vnus primus, ac summus, qui & ratione, & numero est vnus; quemadmodum de prima quiditate sine materia, & de primo motore immobili sumus edocti in 12. met. 49. Primum ergo in genere Deorum est vnũ specie, & numero: sed Deus est diuisibilis sicut genus in multas species. Hoc Aristoteles protulit in primo polit. cap. 12. car. 394. "*Ideò scribens benè Homerus de Ioue inquit,*

Hominum pater, atque Deorum.

Sic appellans horum omnium regem. Natura enim excellere regem oportere, genere autẽ eundem esse; quod accidit seniori ad iuniorem, & parenti ad natum.

Num. 40. Sextò. Producit textum, qui est in 6. ad Eudem. cap. vlt. & 7. Nicom. cap. vlt. vbi redditur ratio, quare nos varietate delectemur, hoc enim prouenit ex prauitate naturæ nostræ. Compositi sumus ex diuersis partibus, hinc aliud aliis placet: & eidem nunc vnum, nunc aliud. Deus vna, & simplici voluptate gaudet, vnicam actionem habet, quæ est speculatio: nimirum quia simplex est. Ergo Deus est vnus, & vna lætatur actione, ac voluptate.

Respondetur ex 12. met. 37. Vnum, & simplex non sunt idẽ; vnum significat mensuram, simplex significat quale ipsum. Deus igitur pro substantia immobili, ponitur simplex ab Aristotele, vt singula ex illis substantiis sit vna, & simplex: vna, & simplici actione, ac lætitia potiatur. Ita in 10. Nicom. ca. 8. Diis tribuit beatitudinẽ, quæ est speculatio, & 1. cæli 100. assertore Eugubino impartitur multis vitam optimam, & per se sufficientissimam. Itaque ex dei simplicitate non concedet Aristoteles sequi vnitatẽ numericã, sed specificã, & genericã.

Postremò adducit Eugubinus locum ex 8. polit. qui tamẽ *Num.* locus à me inuentus est in 7. po- 41. lit. cap. 1. Textum Aristotelis Eugubinus transtulit in hæc dicta. "*Quod igitur tantum cuiq; felicitatis adsit, quantum virtutis, & prudentiæ, & quantum secundum has virtutes agat; sit nobis in confesso, vtentibus testè ipso Deo, qui felix est, & beatus, non ob vllum exterius bonum, sed per se ipsum ipsemet, & quia talis est natura.* Qua fretus authoritate sic argumentari poterit. Vnum tantùm ens ratione, & numero est beatum per se ipsum, scilicet vltimus finis, ac summum bonum: reliqua omnia entia sunt beata per participationem summi boni, atque vltimi finis. Deus autem Aristoteli est per se ipsum beatus, non per exteriora bona, ergo Deus est tantùm vnus ratione, & numero.

Respondetur. Argumentum probè concludit pro veritate, nam

nam quod eſt per ſe beatum ſubiectiuè, & obiectiuè, eſt tantùm vnum ratione, & numero; Deus propriè, & eſſentialiter loquendo, eſt per ſe ipſum beatus, & nihil, quod ſit Deus, poteſt eſſe beatum per aliud obiectum, vel ſubiectum, ergo Deus propriè eſt tantùm vnus. Sed Ariſtot. non accepit propriè vocabulum Dei, ſicut nos, ideò multos Deos ponit, quibus omnibus conuenit per ſe ipſos eſſe beatos. Quamobrem dictio *ſe* eſt pronomẽ demonſtratiuum reciprocum, & poteſt demonſtrare, vel vnum Deum ſingularem, vel Deum vniuerſalem; ſecundo modo accepit Ariſtoteles, non primo. Ita nos quoq; dicimus, animal eſt ſenſitiuum per ſeipſum, non per plantam, aut lapidem: anima eſt felix per ſe ipſam, & per bona interna, non per externa, ſicuti Ariſtoteles dudum citatus dicebat de anima noſtra. Et ad propoſitum de Deo aſſeruit, entia extra cælum habere vitam optimam, & per ſe ſufficientiſſimã: vnde non vni ſingulari, ſed vni vniuerſali tribuit eſſe per ſe ipſũ ſufficiens, eſſe per ſe ipſum beatum; quia Deo in vniuerſali competit hæc affectio per ſe, vt ſit beatus per ſe ipſum, non per aliud à Deo: per ſe ipſum, ideſt ex natura ſubiecti, quanquam vnus Deus poſſit beari in altero, vt in obiecto. Falſus quidem ſenſus, vt Deus alio obiecto ſit beatus, ſed Ariſtoteli conſentaneus.

Num. 42. Reſpondetur, ſecundo in multitudine Deorum eſſe ordinem, vnum eſſe primum, alios primo ſubordinatos: omnes tamen habere rationem Dei, quæ eſt, eſſe viuens ſempiternum, & optimum: optimum, inquam abſolutè, non relatiuè, ſicut explicauit Philoſophus contra Zenonem. Ad rem: vel comparas Deum ad alia, quæ non ſunt Deus, vel Deum ad Deum: primo modo Deus eſt per ſe ipſum beatus, non per aliud, quod non ſit Deus; ſecundo modo dicet Ariſtoteles vnũ Deum eſſe beatum per alterum, ſubordinatus nempe per primũ, in cuius contemplatione collocabit Ariſtoteles felicitatem optimam. Neque ex hoc ſequitur, quod Deus aliquis beatificetur per bona externa, quoniam iuxta 9. met. 16. ſpeculatio eſt in ſpeculante. Nam & de homine ſpeculante in argumento dicitur, quod ſit bonus per interna bona, non per externa. Atqui ex lib. 7. ad Eudemum cap. vlt. optimus finis hominis eſt ſpeculatio Dei, ergo felix dicitur eſſe felix per interna bona, & per ſe ipſum, etiam ſi ſpeculetur obiectum aliud à ſe

Dices, quare ergo non dicitur homo felix per ſe ipſum, ſicut Deus; cum etiam aliquis Deus habeat obiectum aliud, ſicut homo: & actum internum ex cõnaturali potentia interna, ſicut homo?

Reſpondetur, ex 10. Nicom. cap. 8. Diis beata eſt tota vita, & neceſſariò beata: homini, nec neceſſariò, nec tota vita, ſed aliquando, & per accidens. Deus igitur per ſe ipſum eſt beatus pro-

propter duas cõditiones dictas, quæ non ſunt in homine. Ad extremum breuiſſima reſponſio eſt; ſi locus oblatus ex lib. 7. polit. intelligatur de ſummo Deo, non de cæteris; ex quo tamen non fit, alios Deos non eſſe.

Num. 43. Denique aſcribo dictum P. Zamori Vtinenſis trat. 1. q. 1. art. 5. car. 49. Ariſtoteles, "*Quamuis ſciè, veraciterque dixerit, Deum eſſe ſubſtantiam intellectualem, ſempiternam, partium expertem, indiuiſibilem, infinitam, paſſionis, alterationiſq; exortem. In eo fœdiſſimè deſipuit, ac delirauit, quod non vnam, ſed plures huiuſmodi ſubſtantias eſſe cenſuerit: quinque videlicet, & quinquaginta; vel minimum ſeptem, & quadraginta, quòd totidem motus cæleſtium corporum veteres Aſtronomi poſuiſſent.* Ita contra Ariſtotelem.

Cęterũ idem Zamorus car. 400. col. 1. trac. 4. quę. 1. art. 3. num. 58. quærit ad bonum ſenſum redigere Ariſtotelẽ, quòd ille turbam Deorum ſubiecerit principatui vnius: probat ex 12. met. vlt. "*At entia nolunt malè gubernari. Non eſt bonum pluralitas principatuum. Vnus ergo princeps.* Sic in 8. phyſ. vnũ primum motorem, immobilẽ. Sic in lib. ad Alexandrũ, vnum Deum cęteris prælatum putat.

Reſpondetur, alia ratio motoris, alia Dei: ratio motoris, cauſę, principis ad plures extenditur ab Ariſtotele, quàm ratio Dei. Principes, cauſæ, motores, etiam res mortales dicuntur, Deus eſt viuens intellectuale, immortale. Poſuit quidem plures Deos ſub vno, ſed omnes vniuocè Deos dixit, omnes colendos, omnes habentes vitam optimam, per ſe ſufficiẽtem, intranſmutabilem, ſempiternam. Vnde hæc dicta ſũt de vna ſpecie, vel genere Deorum, non de vno ſingulari immultiplicabili, cum tamẽ vnus ſolus ponendus eſſet Deus per eſſentiam, & ſecundum rationẽ Dei. Cæteri æquiuocè Dii ſint.

Franciſcus Suarez in Met. tom. 2. diſp. 30. ſect. 10. cum Ariſtotele Deum eſſe vnum oſtẽdere conatur his rationibus. Deũ eſſe vnum ex phyſico motu colligere conatus eſt Ariſt. 8. phyſ. tex. 54. & ſequentibus, quia primus motor vnus tantùm eſt; ſed primus motor eſt Deus, ergo Deus eſt tantùm vnus. Maior conſtat, quia tantùm eſt vnum primum mobile, & vnus primus motus, ergo tantùm eſt vnus primus motor. *Num. 44.*

Secundò, Quæ ratio amplius declaratur ex 12. met. 44. vbi oſtẽdit tot eſſe intelligentias mouentes, quot ſunt cæli mobiles, & conſequenter iuxta ordinem, & dignitatem mobilium eſſe ordinem mouentium; ſicut ergo inter corpora mobilia datur vnũ ſupremum; ita & inter motores datur vnus tantùm primus, & ille appellatur Deus. An autem hæc ratio Ariſtotelis ſit efficax, nec ne, quod ibi accuratè Suarez expendit, non eſt noſtri inſtituti diſquirere, ſed an rè vera hæc ratio ſit Ariſtotelis, vel de Ariſtotelis mente. Sicut & alia ratio ab eodem Suarezio allata tan-

tanquam Aristotelica, idem examen subeat, oportet.

Tertiò, Alia ratio etiam est in fine 12. lib. met. vbi cum Aristoteles intulisset contra Pythagoricos, quòd ponerent multa principia prima, addit. *At entia nolunt malè gubernari: non est bonum pluralitas principatuum; Vnus ergo princeps*; quam rationem sic proponit Thom. 1. contra gẽtes cap. 42. ratione 3. quod sufficiẽter fit vno posito, melius est per vnum fieri, quàm per multa: sed rerum ordo est, sicut melius potest esse: non enim potentia agentis primi deest perfectioni rerum; optimus autem ordo est per reductionem ad vnum, ergo &c. Hæc Suarez.

Num. 45. Quod attinet ad Aristotelem conspicuum est rationes Dei, & motoris non esse formaliter easdem: sicut neque rationes principis, & Dei; quapropter in iis argumentis adesse diceret deceptionem accidentis, si primus motor est vnus, ergo Deus est vnus: quoniam vnitas attributa est primo motori, qui extraneus est, vt sic, à ratione Dei. Similiterque de principe vniuersi sẽtire posset.

Cæterùm apertè imbecilla est illa argumẽti forma. Primus motor est tantùm vnus, primus motor est Deus, ergo Deus est tantùm vnus. En similem. Primum cælum est tantum vnum, primum cælum est corpus, ergo corpus est tantùm vnum; sic etiá concluderes substantiam esse tantùm vnam, vel ens esse tãtùm vnum. Videtur ille syllogismus esse expositorius, sed nõ est: quia conclusio debitè, non colligitur exemplum esto. Arist. Stagirita est tantùm vnus, & immultiplicatus: Arist. Stagirita est homo animal, viuens, corpus, substãtia, ens. Ergo homo est tantùm vnus, animal tantùm vnum, &c debuit colligi, *aliquid, quod est homo, est tantùm vnum*. Sic in syllogismo de deo; *aliquid, quod est Deus, est tantùm vnum*. Ex quo non sequitur, deus esse vnus tãtùm; quia sicuti genus aliquod, puta animal, multiplicatur in species, & singularia, ita deus apud Aristotelem. Quocirca primus motor, & princeps entium est deus quidem, at non è conuerso, deus omnis est primus motor; siquidem primus motor de summo intellectu dicitur, & princeps entium itidem de summo intellectu; sed deus etiam de secũdis intellectibus separatis ex 12. met. 50. Consequitur comparando ad aures Aristotelis ista duo, deum, & primum motorem, hæc se habere, vt quale quid, & hoc aliquid; nam primus motor est vnum singulare, & hoc aliquid, deus est vniuersale, & quale quid. In argumento prædicto medius terminus accipitur vt hoc aliquid, sed in conclusione colligitur de ipso qua li quo, quasi esset hoc aliquid, & irrepit figura dictionis.

Ar-

Argumenta Dei multitudinem probantia conuelluntur. Caput. XI.

Num. 46. ÆQuum non est, quæ contra veritatem pugnant, insoluta dimittere, aut in iudicio de veritate prævaricari. Præclarè Philosophus in 1. ad Nicom. cap. 4. car. 7. "*Quanquam arduam*, inquit, *nobis hanc quæstionem futuram esse video, propterea quòd amici sunt, qui formas introduxerunt; sed forsan rectius esse, & oportere videretur, vt pro veritatis salute vnusquisque, & præsertim philosophi sua quoque propria refutarent. Nam licet amici ambo sint, sanctum est veritatem ipsis in honore anteponere.* Hoc salubernimum consilium insequamur, & argumenta illa, quæ ostendunt multos Deos esse, quanquam in amici Aristotelis doctrina fundentur, amore veritatis refutemus; sanctum enim est amico veritatem præponere.

At verò argumenta quædam ex authoritate Aristotelis enascebantur, quædam ex ratione. Faciat in hac disputatione illius authoritas, quem authorè nolumus, cum ille nolit se veritati esse prælatum. Ad rationes conuertamur, ne officiant veritatis amatoribus.

Num. 47. Ad primam, in cap. 7. posita. dico, Deo ex propria ratione quiditatiua, & formali repugnare multiplicationem in plures Deos, siue specie, siue numero. Accipio autem descriptionem nominis à Zenone assignatam, nempe hanc. Deus est ens omnium præstantissimum, scilicet intelligendo præstantissimum, & absolutè, & relatiuè, nam posito optimo absolutè, necessariò cõsequitur optimum relatiuè. Dico autem optimum essentialiter, eo quòd essentialiter Deus sit, & in se summum bonum, et omnia alia bona exuperans. Cum autem dicebatur, Deus esse animal, id nego: est enim viuens vtique, nõ animal. Cum quærebatur, ex qua ratione sibi repugnaret multiplicari. Respondeo ex propria ratione sui, nobis ignota: sed tamen ex ratione aliqua propria Dei nobis nota, hoc euincitur, vt Zeno optimè demonstrauit, & nos forsasse probabimus.

Obiicies. Si repugnat multiplicari, hoc est, aut quia ens, aut quia præstantissimum. Ratio entis multiplicatur: ratio præstantissimi multiplicatur, nam datur præstantissimus homo, præstantissimus color.

Respondetur, quædam per se sese accepta, esse communia: quæ simul sumpta, fiunt propria: docente Aristotele in secundo post. 70. in construenda definitione accipienda esse quædam, quorum vnumquodque in plus inerit, omnia verò non in plus; quemadmodum apparet in definitione ternarij, qui est numerus impar primus vtroque modo. Ita in re nostra dicamus, ens est in plus, præstantissimum est in plus, quàm Deus: sed ens præstantissimum vni soli immultiplicabili enti competit. Eadem ratione immultiplicabile est

ens

ens primum, ens independens, entium princeps, ſummum bonum, & alia multa.

Num. 48. Ad ſecundam nego, Deum eſſe mobilem, imò eſt omnino immobilis; atque, vt nitidius loquar, eſt inuertibilis ſecundum eſſe, atque intranſmutabili, ſecundum conſequentia eſſe.

Ad tertiam, nego minorem pro illa parte, quæ aſſerit Deum poſſe praua, vel prauè agere. Qui tales faciunt deos, ſimiles illis fieri optant. Deus verus ex ſui quiditate eſt bonus, & rectus, imo bonitas, & rectitudo per eſſentiam.

Ad quartam, Dico perperã Dei proprietates, ſiue primi, ſiue ſecundi ordinis extendi ad ea, quæ non ſunt Deus. Deus eſt ſingularis, immultiplicabilis, in quo omnis ratio boni, nulla ratio mali. Sed inter bona Dei, proprietates illius ſunt prorſus incommunicabiles rebus eſſentialiter diuerſis à Deo, loquendo de communicatione formali, quamuis, & proprietates Dei per participationem eminenter, vel cauſaliter communicentur effectis. Quæ non ſunt proprietates, communicentur etiam formaliter.

Sed ne tantùm Ariſtotelis argumenta ſoluiſſe videamur, & pro vera concluſione nihil effeciſſe: adnitamur oſtendere naturalibus rationibus, Deum eſſe eſſentialiter vnum vnitate immultiplicabili.

Dei nomen expenditur, vti Deus immultiplicabilis oſtendatur. Caput. XII.

Num. 49. DVobus modis poſſumus fingere Deum multiplicari eſſentialiter; prior eſt, vt duo ſint Dii alterius, & alterius rationis ſpecificæ, vel quaſi ſpecificæ; ſiue dicantur eſſe primò diuerſi, & in nullo conuenientes quiditatiuè ſiue dicãtur eſſe differẽtes, ideſt in aliquo prędicato communi in quid conuenientes. Quomodo autem diſcriminentur diuerſa, & differentia, docuit Philoſophus in 5. met. 16. & 10. met. 12. Poſterior modus eſt, vt duo Dii ſint eiuſdem rationis ſpecificæ, vel quaſi ſpecificæ, ſolo autem numero diſcrepent, quemadmodum Ariſtoteles, & Plato. Priore loco oſtendere optamus non eſſe poſſibile reperiri plures Deos diuerſæ rationis: poſteriore non eſſe plures eiuſdem rationis; quod ſi aſſequemur, Deum eſſe vnum, atque immultiplicabilem, & ratione, & numero, relinquetur.

Num. 50. Tota ferè contentio nobis eſt futura de nomine: nam niſi in ſignificatis terminorum diſputantes conueniãt, neque in propoſitionibus, neque in concluſionibus poterunt conuenire. Dum autem obſeruo apud omnes gentes, quid communiter per nomen Dei ſignificaretur, duo quaſi characteres ſignificati mihi occurrunt, alter eſt cauſalitas effectiua, qua Deus vel bonum concedere, vel malum auet-

auertere ab hominibus posset. Alter verò est adoratio, & cultus supremus Dei. Itaque cultu diuino colebant febrim, pauorẽ, palloreẽ, aliaq; eiusmodi numina, vt propitiati isti Dii, mala nõ infercent: colebant Segetiam, Bacchum, Venerem, vt bona afferrent segetes, vinum, voluptates. Neque enim pensi habebant, si bona honesta, vel inhonesta, sed si voluptuosa, vtiliaue peterent. Qui igitur Dii facere benè, vel malè poterant, colebantur; nam ex affectione proprii commodi omnes honorant suos benefactores. Deus ergo tanquam summus benefactor, à quo cuncta bona descendere, mala omnia profligari possunt, est adorandus. Nam & si etiam per se se honore sit dignissimus suæ præstantissimæ perfectionis causa: tamen minus, vel nullo modo adoraretur, si non beneficia hominibus attulisset, vel esset allaturus. Quo circa nostro æuo infelices quidam nouatores philosophi ad euellendum omnem cultum Dei, suadent Deum omnino nihil, vel boni, vel mali, commodi, vel incommodi facere posse, & pro Deo omnipotente (impio commẽto) Deum nullipotentem inducũt. Deus itaq; apud omnes dicitur, qui potest benefacere hominib. supra humanas vires, atq; ideò supra humanos honores colendus est. Neque plura mihi videntur in Dei nomine ponẽda, ne dum multas ponimus Dei proprietates, nõ possimus quicquam de Deo dicere, nisi omnibus antea probatis. Deus itaq; erit primum effectiuum bonorum nostrorum, à nobis, & sui gratia, & beneficiorum causa summè colendum. Hæc est significatio nominis huius, quantum ex consensu gentium omnium possum colligere, nam subtiliores considerationes in Dei nomine contentas multitudo non capit.

Num. 51. Veruntamen quoniam inter Zenonem Eleatem, & Aristotelem Stagiritam de vnitate Dei concertatio fuit, placet hos tãquam antagonistas conferre, & quid illi Dei nomine significarint, exponere, ac denique ex eorum significatione vnitatem Dei comprobare. Zeno Eleates vir de Italica philosophia præclarè meritus, *Deus*, inquit, *est id, quod præstantissimum omnium est.* Ita constat ex lib. Aristotelis in Zenonem. Idipsum habuit Arist. in libris de philosophia (Eugubino referente lib. 3. de perenni philosophia cap. 5.) ita differendo. " *Extat etiam in libris Aristotelis de Philosophia, antiquiorem Zenonem irrefragabili argumento comprobasse, Deum necessario esse vnum, vt nisi sit vnus, ne Deus quidem esse possit. Cum autem omnium optimum, inquit, ac potentissimum esse Deũ, vinceret: eundem etiam esse vnũ oportere demonstrabat. Nam si duo, vel plures fuissent, optimum ac præstantissimum eum amplius esse non posse. Singulum enim quẽque eorum, quia similes inter se omnes essent fore optimum. Idem, esse Deum, diuinamque potentiam constare asserens, quod vbique, & in omnibus teneat principatum.*

Qua

Qua propter eadem fieri ratione, vt ne eſſet Deus, quia neque optimus eſſet. Quod ſi & plures, & alii aliis potentiores, ac meliores, ne Deos quidem eſſe. Nunquam enim poſſe vinci, ac ſuperari Deũ: etenim æqualia neque maiora, neque minora inter ſe eſſe; quocirca ſi conuincitur, & Deum eſſe, & eundem eſſe optimum, vnum neceſſariò eum eſſe. Neq; enim poſſet omnia, quæ vellet, neque poſſet vnus multis exiſtentibus. Hactenus ex Eugubino, quæ relata ſunt ex libris Ariſtotelis de philoſophia ſummopere deſideraris, & ab Ariſtotele citatis in 2. phyſ. 24. & 1. de anima 26. Cũ autẽ dicitur Deus eſſe ens prẽſtantiſſimum omnium, hoc non intelligitur reſpectiuè tantùm, ſed quoniam omnis reſpectus præſupponit fundamentum abſolutum proximè, vel remotè, in quo fundetur reſpectus: Deus eſt, & abſolutè in ſe ens præſtantiſſimum, & omnibus entibus aliis eminentius. Neque dicitur Deus eſſe prẽſtantiſſimus ſecundum quid, ſed ſimpliciter, quantum poſſibile eſt perfectionis in ente aliquo cõtineri, tantum continens: in Deo enim quo ad ſuum eſſe non diſtinguuntur eſſe, & poſſe. Quapropter Deus eſt ens ſimpliciter & abſolutè præſtantiſſimum, atque ideò præſtantiſſimũ omnium. Ariſtoteles deinde in 12. met. 39. deſcripſit, Deum eſſe viuens (nam animal non placet) optimum, & ſempiternum; quarum conditionum ſecunda non eſt neceſſaria, neque enim erit optimum, niſi ſit ſempiternum, nam quod poteſt nõ fuiſſe, vel non fore, non eſt optimũ ens, ſiquidem eſt melius *ſemper eſſe* cæteris paribus, quàm *non ſemper eſſe*. Porrò illam particulam *optimum* ſi acceperis eſſẽtialiter, & ſimpliciter, ſatis habeo, conficietur nanque propoſitum ritè, & ex animi ſentẽtia: ſi accidentaliter optimum dicas, vel ſecundum quid, quaſi Deus ſit optimum viuens, prout poſſibile eſt ſecundum naturam huius rei, vel illius, vel prout poſſibile eſt ſecundum rationẽ genericam aliquam, nil obſtat, quin homo ſit optimum viuẽs, quatenus homo, qui ſe habeat optimè, prout poſſibile eſt homini, vel animali ſecundum ſubſtantiam, & accidentia ſibi congruentia; at nemo intelligit Deum ſiẽ eſſe optimum, neque ſic illum tanquam optimũ honorat, & adorat: ſed qui ſanæ eſt mentis, intelligit, Deum eſſe ens præſtantiſſimum, & optimum eſſentialiter, & ſimpliciter in genere entis, & boni. Igitur ex his omnibus accipimus Deum eſſe ens ſimpliciter, & eſſentialiter optimum in ſe, & conſequenter optimum ad alia, quibus poteſt communicare eſſe, & bonum, depellendo malum: atque ideò Deum adorandum ſummè dicimus, tùm ratione propriæ bonitatis, qua eſt propter ſe honorabilis, tùm etiam ratione bonitatis cõmunicatæ, ac diffuſæ in alios, qua eſt ex adorantium commodo ſummè honorabilis. Neq; enim eſſe poteſt aliquid Deo melius, neque aliquid magis boni cõ-

Num. 52.

Num. 53.

municatiuum, & effectiuum, cum sit primum efficiens, atq; ens primum.

Non posse esse plures Deos diuersæ rationis. Caput. XIII.

Num. 54. OStendamus iam ex ratione entis præstantissimi, & optimi non posse ipsum optimum ens multiplicari in plures species, vel quasi species essentialiter diuersas, quarum vtraque sit optima simpliciter.

Primò quoniam essentiæ, & quiditates rerum sunt sicut numeri ex 8. met. 10. quemadmodum si numero minimum quid addideris, vel detraxeris, numeri speciem euarias, neque possibile est duas species numerorum æquales esse; Ita neque diffinitio, neque quiditas per definitionem indicata erit eadē, ablato aliquo, vel addito. Vnde natū est axioma metaphysicū, impossibile est inueniri duas species æqualis perfectionis, sed semper omnis species ad omnē speciem comparata est superior, vel inferior perfectione. Iam verò si per aduersariū sint duo entia optima specificè distincta, profectò vna ex iis quiditatibus erit superior, altera inferior; quæ autē est inferior, ac deterior optimo, nō est optima, ergo altera ex iis essentiis erit optima, & nō optima, quod contradictionem inuoluit. Non igitur erunt duo dii, qui sint ens optimum, & præstantissimum secundum speciem distincti, vel diuersi.

Secundò ex ratione vnius. Quoniam ex 10. met. 7. In omni genere datur vnum primum, quod est mensura omnium, quę sunt in illo genere, vt in coloribus est numerus colorum, & est aliquid vnum mensurans coloses; non quòd ipsa ratio formalis vnitatis sit quiditas mensurās, sed aliqua quiditas subiecta vnitati, est prima in genere coloris, vt albedo. Sic in genere figurarum triangulum est ipsū vnum mensurans. Ita in genere entium datur vna quiditas prima mensurans omnia entia. Si autem ex hypothesi duæ essent optimæ, & præstantissimæ quiditates ratione, seu specie diuersæ, ergo in genere entis essent duæ vnitates primæ, & mensurantes, quod est impossibile; in omni enim genere est vna prima quiditas. Deus autē est ens optimum, & præstantissimum essentialiter, ergo nō possunt esse duo dii essentialiter diuersi.

Tertiò ex ratione veri. In 2. met. 4. *Vnumquodq; dicitur maximè tale, secundum quod alijs vniuocatis inest: vt ignis validissimū, quia est causa caliditatis aliis.* Et aliquod ens est verissimū quia est causa veritatis aliis. In 1. post 15. ex paruis, *semper*, inquit, *propter quod vnumquodque, & illud magis*; quæ regula vera est in genere causæ finalis, vt propter quod amamus, illud amicum magis: & in genere causæ effectricis, vt propter notitiam principiorum cognoscimus conclusiones, magis ergo nota principia. Si itaque fuerint duæ essentiæ diuersæ rationis, *Num. 55.*

Digitized by Google

nis, ſed ambæ veriſſimæ, aut ambæ ſunt cauſæ finales veritatis, aut ambæ efficientes; aut altera finalis, altera efficiens Primum dici, aut ſecundum nequit, ſi in omni genere cauſæ per ſe ſtatur in vna prima, quemadmodum, & ſtatur ex. 2. met. cap. 1. Si tertium detur, finis eſt nobilior (vt volunt ſeparatores harum cauſarum) efficiente, ergo primum efficiens non eſt veriſſima cauſarum, quare non ſunt duæ veriſſimæ, & optimæ eſſentiæ. Comparemus etiam iſtas duas, quæ prætenduntur veriſſimæ eſſentiæ: ſi altera eſt cauſa alterius, ergo quę veritatem cauſatam habet, non eſt veriſſima, igitur erit veriſſima, & non veriſſima, quod eſt abſurdum; ſi neutra eſt cauſa veritatis alterius, ſed ambæ aliorum, non ne ponimus, vel duos primos fines, vel duos primos efficientes, & omnino plura prima principia rerum veriſſima, & illa quidem inconnexa, vt ſit inconnexa mundi ſubſtantia, contra 12. met. vlt? Deniq; quoniã per 12. met. 36. prima in ordine intelligibilium, & amabilium ſunt eadē: fiet, ſi ſint duo veriſſima, vt ſint duo prima intelligibilia, duo prima amabilia. Non igitur vna erit prima philoſophia, vna ſcientia ſpeculatiua principaliſſima, vnaque ſuprema felicitas, ſed duæ iuxta duo prima veriſſima, ſiue intelligibilia, quod eſt abſurdum. Non ergo duæ eſſentiæ diuerſæ rationis ſunt veriſſimæ, & optimæ; neque igitur duo dii.

Quartò ex ratione boni. Quæ ritur in 12. met. 52. An bonum vniuerſi conſiſtat in bono ſeparato, an in ordine: docemusq; in vtroque bonum vniuerſi eſſe ſitum, quemadmodum eſt bonum exercitus. Bonum intrinſecum eſt ordo, extrinſecum eſt dux: verum non dux propter ordinē, ſed ordo propter ducē. Vnam autem eſt ſummum bonum, propter quod omnia, non plura bona ſimul; nam ſi duo ſint, & vnum eſt ad alterum, vel propter alterum, tam quod eſt bonum propter aliud, non eſt optimum; quod enim eſt propter ſe bonum, & eſt aliorum bonum, illud eſt melius. Si vnum non propter alterum; iã duo ſunt ordines mundi, duo principes, quod refragatur Ariſtoteli in eodem cap. vlt. 12. met. non igitur ſunt duo Dii. Num. 56.

Quintò, ex ordine. In entibus eſſe ordinem per ſe inter eſſentias ſpecificas, per accidens in iis, quæ extra eſſentias, ſeù quidditates ſunt, eſt manifeſtum. Omnis ordo eſt diſpoſitio ſecũdum prius, & poſterius; & vbi eſt prius, ibi eſt primum; itaq; in omni per ſe ordine eſt vnum primum tantùm, non plura; ſi nanque ſint duo æquè prima, vnum alterum non habet ordinem ad alterum, ergo ſunt per ſe inordinata, quomodo igitur erũt principium ordinis? Si etiam ſint duo prima principia ordinis, erit inconnexa vniuerſi ſubſtantia ex 12. met. vlt. eritque rerum natura, quaſi vitioſa tragœdia, in qua vna pars alteri nihil confert ex 14 met. cap.

5. Item, quælibet res ordinata, vel habebit formaliter in se duos ordines ad illa prima, vel duo ordines per se, & essentiales rerum dabuntur, quorum vtrumque frustra est, & absurdum: non igitur sunt duæ primæ essentiæ diuersæ rationis, neque eiusdem rationis, quatenus conficitur hoc argumento.

Num. 57. Sextò, ex mensura quiditatiua. Impossibile est eandem quiditatem mensurari quiditatiuè duabus mensuris æquè primis, quoniam altera sublata, nihilominus mensurabitur quiditatiuè. Omnis essentia aut est mensura quiditatiuè, aut mensurata: & mensura est melior, ergo neque ratio mensuratorum permittit duas essentias diuersę rationis esse optimas: neque duæ possunt esse, quin vna sit mensurata, quare etiam hæc nõ erit optima.

Septimò ex simplicitate. Si sunt duo Dii, vel duæ essentiæ optimæ, illæ necessariò, & conueniunt, & differunt: conueniũt in ratione optimi entis, & Dei, nulla enim res differt ab altera realiter per illud, in quo conuenit cum altera. Differũt etiam, quoniam per aduersarium ponuntur esse duę essentię realiter diuersæ specificè. Igitur duæ essentiæ optimę habent aliquid idem realiter, in quo conueniunt, & aliqua duo diuersa realiter, per quæ differũt; at omnis realitas vna ex se, & diuisibilis per plures realitates diuersas essentialiter, est realitas potentialis, distinguentes sunt actuales 7. met. 49. actus separat, & distinguit. Igitur duæ optimæ essentiæ constant ex realitate potentiali, & actuali, atque ideò sunt compositæ, ergo ante ipsas est aliqua essentia simplex prorsus, simplex enim composito est prius. Item illę optimę non erunt actus purus; sed essentia, quæ est actus purus est melior, ergo illæ non erunt optimæ. *Num. 58.*

Huc potest referri argumentum ex 12. met. 49. Quiditas sine materia nec ratione, nec numero est multiplicabilis: primũ quid erat esse sine materia est, ergo primum quid erat esse ratione, & numero vnum est; tale est primum mouens immobile, qui est Deus.

Octauò. Si duo Dii fuerint, vel omnino conueniunt, vel omnino differunt, vel partim conueniunt, partim differunt. Conueniant omnino, ergo non sunt duo, sed vnus. Differant omnino, igitur neq; in entitate, neque in Deitate communi conueniunt; si igitur vnus est ens, alter est nõ ens, si vnus est Deus, alter non est Deus. Si autem partim; arguo, quod habet partem communem diuisibilem essentialiter, & partem propriã diuidentem essentialiter, illud est compositum ex realitate potentiali generis, vel quasi generis, & ex actuali differentiæ, vel quasi differentiæ; quare si duo sunt Dii, duo non erunt Dii, cum vterque sit actus impurus, & compositus, ergo non Deus. *Nnm. 59.*

Nonò, ex necessitate. Etenim in 12. met. 38. primũ principium est necesse esse, secundũ quod

quod neceſſitas benè eſſe, atq; optimè eſſe dicitur. Si igitur ſint duæ optimæ quiditates, iam ipſum neceſse eſse poteſt multiplicari quiditatiuè, quate illæ duę ſpecies habent vnam rationem communem neceſſitatis, in qua conueniunt. Rurſus habẽt duas differentias ſpecificantes, de quibus poſco, an illæ duæ differentiæ ſint rationes neceſſariò eſſendi, an non. Non eſſe dicantur primò, fietque, vt quiditas ſpecifica ipſius neceſſe eſſe conſtet ex ratione communi neceſſaria, & ex ratione propria non neceſſaria, totum autem neceſſarium non poteſt eſse ex neceſſario, & non neceſſario. Item ratio communis quiditatiua, cum ſit neceſſaria, erit prętantior, quàm ratio propria, quod eſt abſurdum, quoniam differentia eſt præſtantior genere formaliter.

Secundò dicantur ambæ differentiæ eſſe rationes neceſſitatis. ergo altera ratio neceſſitatis eſt ſuperflua, quoniam vna detracta, ſpecies relinquetur neceſſaria, per alteram ſcilicet differentiam.

Decimò, ens optimum eſt ſummè ſimplex, & irreſolubile in plures rationes quiditatiuas priores: reſoluetur nanque in priora, quæ aut ſunt formaliter optima, aut optimo minora; ſi ſecundum detur, optimum erit ex imperfectis, ergo non optimum. Si primum eligatur, totum erit maius, ac melius conſtituentibus optimis, & optimo aliquid erit melius, quod eſt impoſsibile. Itaque optimum non eſt quaſi genus ad duas ſpecies optimas. *Num.* 60.

Vndecimò; ex independentia. Optimum ens ſimpliciter eſt ſimpliciter independens: at nũquam Ariſtot. aut alius quiuis poſuit duo independentia ſimpliciter, ergo non ſunt duæ ſpecies optimæ, & perfectiſſimæ. Prima propoſitio ex eo patet, quoniam omnis dependentia eſſentialis, vel accidentalis eſt imperfectio; ergo quod dependet, quatenus hujuſmodi, eſt imperfectius eo, à quo depẽdet.

Duodecimò, ex ratione cauſæ, & cauſati. Impoſſibile eſt, quòd idem cauſatum poſſit eſſe à duabus primis cauſis totalibus in eodem genere cauſæ: remota enim cauſa totali, & præciſa, remouetur effectus: & eadem cauſa poſita, ponitur ex 1. poſt. 99. Primum in genere formæ quiditatiuæ eſt vnum ratione, & numero ex 12. met. 49. Primũ in genere efficientis, ideſt, primũ mouens immobile eſt vnum ratione, & numero ex eodẽ textu. Primum in genere finis eſt vnũ ſummum bonum, & dux, propter quem eſt ordo vniuerſi. Concludamuſque cum 8. phyſ. 48. *Vnum autem magis, quam multa, & finita, quam infinita oportet exiſtimare* (ſcilicet principia prima) *eiſdem enim accidẽtibus ſemper finita magis accipere oportet. In iis enim, quæ natura ſunt, oportet finitum, & id quod melius eſt ſi contingat, eſſe. Magis ſufficiens autem eſt etiam ſi vnum, quod cum primum immobilium perpetuum ſit, erit aliis principium motus.* Hæc Ariſtot. Magis autem

dem ſufficiens eſt etiam, ſi vnum ſit ens præſtantiſſimum, & optimum, alioqui ſi vnum non ſufficiat, non erit optimum: quare non ſolum poſſibile, ſed etiam neceſſarium eſt ponere vnum tantùm ſpecie optimum ſimpliciter.

Num. 61. Ex eodem fonte efficientiæ argumentabatur Zeno docens, Deum eſſe omnipotentem, quod de prima mente, quæ eſt primùm efficiẽs affirmauit Anaxagoras. Omnipotens enim ſuo velle poteſt omnia facere, ſuo nolle omnia deſtruere: ſi igitur duo ſint omnipotentes, vnuſq; omnia, vel aliqua faciat: alter vel nulla, vel illa facta facere non poteſt, niſi actum ageret. Itemque ſi vnus velit lapidem eſſe, alter nolit, vter præualeat? Nam ille eſt omnipotens, & deus, alter nequaquam. Quid, ſi alter quia volit ſolus eſſe? *Nulla ſimilis ſocietas, nec fides regni eſt*, quemadmodum apud Ennium legerat Cicero primo officiorũ: Sic alter non ſit, ad mutuum omnipotentis: qui eſſe deſinit, non eſt deus: ſi ſit, erit inuito priore deo, quare prior non ſine triſtitia eſt, quòd exoſum obiectum habeat, nec valeat tollere. Quod ſi non velit: quia liber eſt, poteſt velle, atque ideò triſtari, talem eſſe deum, & optimum eſt impoſſibile. Impoſſibile igitur eſt plures deos eſſe alterius, & alterius rationis, quanquam hæc ratio poſtrema etiam plures Deos eiuſdem rationis excludat: quod idem conficiunt alię aliquę rationes ex prędictis, veluti quæ ducta eſt ex actualitate, & ſimplicitate, & neceſſitate, & ſimiles.

Ex ratione optimi viuentis idem oſtenditur. Caput XIV.

DEum eſſe præſtantiſſimum ens, poſuit Zeno, Deum eſſe optimum viuens poſuit Ariſtoteles. Huc vique ex ratione entis optimi, nunc ex ratione viuẽtis optimi ſequitur, vt videamus, Deum eſſe vnum vnius rationis, non autem in plures diuerſæ rationis multiplicabilem. Cautè verò monet Ariſtoteles in 7. top. cap. 1. quãdo aliquid dicitur maximè tale, & item aliquid aliud aſſeritur maximè tale, tunc illa duo vel eſſe eadem, vel alterum ab altero contineri. Exemplum ſi ex vno latere Peloponẽſii ſint fortiſſimi Græcorum: ex altero Lacædemonij ſint Græcorũ fortiſſimi: conſequens eſt vt vel Peloponneſij, & Lacędemonij ſint idem, vel contineantur alteri ab alteris, quemadmodum re vera Lacædemonii ſunt pars Peloponneſiorum. Ita cum comparamus optimum ens, & optimum viuens, aut ſunt vtrunq; vnum, aut alterum eſt ſub altero; nam re ipſa viuens eſt ſub ente contentum; & quanquam idem numero eſſe valeat, & optimum ens, & optimum viuens, ratione tamen diſcernuntur. Scio equidem, quòd ad ſupremum in inferiori nõ ſequitur ſupremum in ſuperiori, niſi illud inferius ſit præſtantiſſimũ contentorum ſub illo ſuperiori; vt ſi dicam, eſt *ſupremus heo*, ergo

Num. 62.

Num. 63.

ergo est supremum animal, non valet consequentia. Si verò dederis, est *supremus homo*, ergo est supremum animal, valet cõsequentia: quoniam leo non est perfectissima species animalis, sed homo. Ita non valeret, est optimum corpus, ergo est optimum ens; valet autem, si est optimum viuens, ergo est optimum ens, quoniam gradus vitæ optimæ est perfectissimus cõtentorum sub ente. Consideremus ergo optimum, præstantissimumque viuens: optima vita, est intellectiua, in qua sunt præsertim duæ facultates, intellectus, & voluntas, duæ rationes obiectiuæ correspõdentes, intelligibile, & volũtate affectabile, duo actus intellectio, & amor. In quibus obiectis, actibus, potẽtiis perfectissimè se habẽtibus cõsistit suprema felicitas, & beatitudo. Cæterùm quoniam variantur intellectus essentialiter, & realiter, alius enim est independens, & supremus: alius dependens, & infimus, vt humanus intellectus: alius dependẽs, sed medius, cuiusmodi est intellectus secundarum intelligentiarum à corpore separatarum. In omni natura intellectuali felicitas cõsistit, quo ad obiectum in eadem ratione primi intelligibilis, & amabilis, hoc est primæ veritatis, & bonitatis, diuinæ nimirum: tametsi actus pro ratione intellectus, vel voluntatis perfectioris, vel imperfectioris varietur. Itaque felicitatis operatio, vel operatio, qua natura intellectualis est felix, obiectiuè est eadem formaliter respectu omnium felicitatis capacium: subiectiuè, idest ex parte subiecti, felicis variari potest. Vnum mihi probandum est, scilicet, idem esse obiectum felicitatem afferens supremo, ac infimo intellectui, atque etiam per consequens medio. Deus felix est ex contemplatione suiipsius, primi scilicet intelligibilis, & amabilis per 12. met. tex. 39. & 51. Igitur cum intellectus supremus sit intellectus diuinus, is Deum contemplando felicitate repletur. De infimo intellectu, nimirum humano, habes in 7. ad Eudemum cap. vlt. *Qua igitur electio, possessioque naturæ bonorum, vel corporis, vel amicorum, vel reliquorum, considerare maximè Deum facit, præstantissima est, atque hic terminus est pulcherrimus. Qua verò vel ob defectum, vel ob excessum considerare, colereque Deum permittit minimè, ea est pessima. Atque sic quidem res habet anima, & hic terminus eius præstantissimus est.*

Num. 64.

Num. 65.

Cæterùm ne quis rem clarissimam obscuret, ratione id roboremus. Nulla potentia habẽs aliqua plura obiecta, habet perfectionem supremam actu, nisi attingat optimum inter illa obiecta, idq; optimo actu, quoad eius fieri potest: sed intellectus habet pro obiecto omne intelligibile, voluntas omne affectabile, in primisque primum intelligibile, & primum voluntate affectabile sunt optima inter intelligibilia, & amabilia, ergo nullus intellectus, aut voluntas habent supremam perfectio-

ctionem, niſi circa primum intelligibile, & amabile ſecundũ actus perfectiſſimos poſſibiles haberi à talibus potentiis. Maiorem probat Ariſt. in 10. Nico. cap. 4. tractans de præſtantiſſima voluptate, at iſta conſequitur ad præſtantiſſimam operationem, qualis eſt ſapientiæ, vel philoſophiæ primæ. *In vnoquoque enim*, inquit, *optima eius eſt operatio, quod optimè affectum eſt erga præſtantiſſimum ex iis, quæ ipſi ſubiiciuntur &c.* Minor in nobis clara eſt, qui ens, vt ens cognoſcimus, & inferiora: in Deo longè vetior, quia cum cognoſcat ſe eſſe primam cauſam: in ſe; & per ſe cognoſcit omnia cauſata, & cauſabilia, & omnes negationes horum.

Num. 66. Incipiamus ab obiecto. Si primum intelligibile in duas ſpecies eſt multiplicabile, aut vna ordinatur ad alteram, aut ambæ ad tertiam, aut neutra ad alteram per ſe ordinem habet. Si primum detur, quod eſt ad alterum ordinatum non eſt primum, ergo non eſt duplex primum; idem euincitur, ſi ſecundum detur membrum. Si tertium: in per ſe intelligibilibus non erit ordo, quod eſt contra 12. met. 36. & 37. quare omne intelligibile ad omne comparatum ſe habet, vel tanquam primum, vel poſt primum. Hoc autem eſt tale propter alterum, & per conſequens eſt minus intelligibile illo, propter quod intelligitur. Hoc ſuppoſito, quia in omni ordine per ſe eſt vnum primum: ſi duo ſunt diſtinctione formali ſecreti, alter non erit per ſe intelligibilis, neque ideò perfectiſſimum viuere largietur ſibi ipſi, ergo ex ſe non erit viuens perfectiſſimum, quoniã in optimo intelligibili obiectiuè eſt optima intellectio: & optima intellectio tùm ex obiecto, tùm ex ſubiecto, eſt optima vita.

Aliter. Primum intelligibile eſt primum intellectiuum, & optimum intelligibile eſt optimum intellectiuum, ergo & primum intelligibile eſt optimũ viuens. Antecedentis prior pars patet, quoniam iuxta 3. de anima 15. intelligibile cum materia non eſt intellectiuum; ſed intelligibile ſine materia intellectiuum eſt. Melius autem eſt intelligibile illud, quod omninò ſeparatum eſt à materia, optimum verò intelligibile eſt primum, & nullum eſt melius intelligibile; ergo nullum eſt intellectiuum melius primo intelligibili. Itaque ex primo intelligibili, & intellectiuo erit optima intellectio, quæ eſt vita optima 12. met. 39. Cum igitur vnicum ſit optimum intellectiuum, erit quoque vnicum viuens optimum ſecundum ſpeciem, atque vnus deus, qui eſt viuens optimum.

Secundò, ex amabili voluntate. Omne amandum, aut eſt amandum propter ſe, aut propter aliud. Tertium, quod ſit amabile, & propter ſe, & propter aliud, non moror, lege tamen in 1. Nicom. cap. 1. nullũ autem eſt amabile, quod non vel propter ſe, vel propter aliud ſit expetendum. Rurſus ex 1. de anima 42. *quod ſecundum ſe* *Num. 67.*

eſt

eſt bonum, aut propter ſe ipſum, hoc non eſt bonum propter aliud. Sint ergo, ſi poſſibile eſt, duæ ſpecies diuerſæ, tanquam viuẽtes optima vita, quæro vtrum vna ſit amanda propter alterã, vel neutra propter alteram? ſi vna propter alteram, illa, quæ propter alterum eſt, optima nõ eſt; nam à fine propter ſe amato habet amabilitatem, & rationem boni: ſicut medicina expetita eſt, quamuis amara, ex ordine ad ſanitatem. Si neutra propter alteram, & neutra propter ſe, planè dabitur obiectum amandum, nec propter ſe, nec propter alterum, quod eſt abſurdum. Si ambæ propter ſe amandæ ſunt, tunc neutra illarum erit primum amabile ſimpliciter; ſed ad aliqua inferiora, nam in vno per ſe ordine erunt duo prima. Tertiò, eadem potentia voluntatis, & intellectus præſuppoſiti, menſurabitur à duobus primis obiectis, quorũ vtrouis adempto, adhuc erit ſatis, ſuperque menſurata.

Quartò, duo erunt fines vltimi expetendi gratia ſui ipſorum, non gratia alterius, contra ſecundum met. 8. & 9. Quintò, inſuper duo erunt per ſe ordines vniuerſi in eodem genere cauſę. Conglomerare plura liceret abſurda, ſed hæc ſatis ſunto.

Num. 68. Tertiò. Impoſſibile eſt eandem potentiam felicitatis capacem habere habere ſuam felicitatem ab obiecto duplici, æquè primo, & optimè felicitante: propterea quòd ſi potentia eſſet felix in vno obiecto primo intelligibili, & amabili: altero deſtructo à ſuo ordine, & numero, adhuc erit potentia illa exactiſſimè felix, alioqui illud obiectum reliquum nõ erit primum intelligibile, & amabile, quod eſt contra hypotheſim. Si enim illud ſolum non felicitat potentiam, neque cum alio felicitat, cum ab alio perfectionẽ recipiat. At ſi duplex eſſet optimum viuens, duplex eſſet intelligibile, & amabile; quocirca intellectus, & voluntas noſtra erit beata, felixque in ſpeculatione amoroſa vnius obiecti, rurſus in ſpeculatione alterius. impoſſibile autem eſt, vt obiecto beante deſtituta, ſit beata: vt obiecto beante prædita, non ſit beata. Erit itaque anima noſtra ſecundum vtranque potentiam beata, & non beata.

Quartò ex intellectione, ſint duo viuentes optimi, ergo duæ erunt intellectiones optimę, ſingula in ſingulo viuente. Percontor, vnum iſtorum viuentium optimorum intelligit ne ſe, & alterum, an ſe tantùm, an alterum tantùm? Si primum, ergo emendicat perfectiſſimam intellectionem, & honorabile eſſe ab altero, & non ex ſe tantũ illam habet; quare non eſt felix ex ſe, neque optimum viuens. Melius enim eſt ex ſe habere optimum eſſe, quàm ab alio eſſentialiter dependere in habendo optimo: hoc idem eſt contra tertiam argumenti partem. Si ſecundum, arguo, quòd non intelligit optimum intelligibile, non habet optimum viuere, nec ſe optimè habet, ergo illud optimũ viuens non erit optimũ.

Num. 69. Quintò, ſi intellectus noſter optimi non intelligit eſſentiam alterius optimi, tunc intellectus illius primi nō eſt optimus; quia intellectus non optimus, qui eſt hominis aduerſatur, duo optima eſſe, intelligit, & optimus intellectus optima duo non intelligit. Si intelligat, aut per eſſentiam intelligentia, aut per eſſentiam intellecti: ſit A optimum viuens intelligens per ſui intelligentis eſſentiam ipſum B optimum viuens; atque arguo ſic. Nullum intelligibile per eſſentiam ſuam perfectiſſimè cognoſcitur, niſi intelligatur per eſſentiam ſuam, vel per aliquid eminentiùs continens eſſentiam ſuam, quàm ipſa ſit in ſe. B certè eſt per eſſentiam ſuam intelligibile, neque poteſt in aliquo eminentiore contineri, neq; enim eſſet optimum; ergo ipſum B. non perfectiſſimè intelligitur ab ipſo A. quare intellectio ipſius A. eſt imperfecta, & ipſum A. non eſt optimum viuens. Secundò A. intelligat alterum, ſcilicet B. per eſſentiam ipſius intellecti, & arguo. Omnis intellectio, quæ non eſt eadem eſſentialiter obiecto, eſt obiecto poſterior, & ab eo menſurata ex 5. met. 20. & 10. met. 4. vel ſaltem ab alio recepta.

Ad hæc ſi actus eſſentialiter diſtinctus ab obiecto, non eſt poſterior obiecto, erit nè prior, an ſimul cum obiecto? Si actus eſt prior, & ex 5. met. 16. prius vt prius poteſt intelligi ſine poſteriori; actus intelligendi poterit ſine obiecto intelligi: intellectio ergo erit, & nullius intelligibilis. Si actus, & obiectum ſunt ſimul natura, & eſſentia, quomodo erunt ſpecie diſtincti duo optimi viuentes, niſi & intellectiones ſpecificè ab obiectis diſtinguantur? Ergo intellectio duplex ſecundum ſpeciem erit in ipſo A. ſi eſt intellectio hæc accidens, intellectio non erit optimi viuentis ex 12. met. 51. ſi eſt ſubſtantia, quomodo duæ ſpecies diuerſæ erunt vna ſubſtantia ſpecie in optimo viuente? Non ergo poteſt duplex viuens optimum reperiri, quia neque in eodem duplex intellectio optima, aut vna intellectio duplicis optimi.

Ne quis tamen præfractè obſter, dicens: vnum viuens puta A. cognoſcit eſſentiam ipſius B. per rationem communem vitæ optimæ, vel emis, aut viuentis, obſiſto. Quoniam omnis cognitio, qua cognoſcitur particulare in vniuerſali eſt confuſa, impotentia, & imperfecta, vt liquet ex 1. poſt. cap. 1. & tex. 170. quoniam ratio propriæ quiditatis ſpecificæ eſt perfectior ratione communi, igitur ſi A. cognoſcat ita reliquum viuens optimum; imperfectam habet cognitionem, neque eſt optimum viuens. Num. 70.

Item ex 12. met. 51. ſi intellectus intelligit aliud, vt ex quo recipiat eſſe diuiniſſimum, illud aliud erit principale, ac diuiniſſimo intellectu erit aliquid melius, ſcilicet ipſum intelligibile. Maxima eluetur. Omnis intellectio, per quam intelligenti ineſt benè eſſe, ſi eſt in vno intellectu, & eſt de alio intelligibili, ha-

habet obiectum, vt principale intellecto. Optimum viuens, vt obiectum tale est, vt secundum illius intellectionem insit benè esse intellectui talem intellectionem habenti. Si igitur ab alio, tam aliud est nobilius intellectu optimi viuentis, & optimū emendicat ab alio felicitatem, & suum benè esse, quod est absurdum. Non ergo duo sunt viuentes optimi.

Num. 71. Ex amore in lib. 9. Nicom. c. 4. cap. 147. *Vnusquisque autem sibi ipsi vult bona, effectus verò alius, id quod ens fit: omnia autem habere, eligit nemo. Habet enim etiam nunc Deus bonum, sed cum sit ipse id, quodcunque est,* Si itaque viuis Deus, hoc est, optimus viuens, & ab alio obiecto primo intelligibili habeat intellectionem, & per intellectionem ei honorabile insit, & bonum. Sed impossibile est, vt vnū specie, sit aliud specie diuersum essentialiter. Ergo Deus intelligens, & volēs non est illud bonum, quod vult; quare Deus non erit Deus, quia Deus est illud bonum volitum: & si est aliud, non est bonum volitum.

Rursus. Si A Deus amat Deū B. aut amat B. summo amore, aut infra summum. Si summo, inordinate amat, quilibet enim magis tenetur diligere se, quàm alterum, cuius non sit effectus, vel pars. Si infra summum, inordinatè amat, omne enim potens amare obiectum amādum, quantum est amabile, tenetur amare tanto amore; at ipso optimo Deo B. nihil maius est, ergo summo amore est amandus: & per priorem rationem non summo.

Ad extremum, duo intellectus summi, aut duæ voluntates summæ non possunt esse; num. ex 1. met. sum. 1. cap. 2. *Liber est, qui est gratia sui*, & simpliciter liber, qui simpliciter est gratia sui. Sola sapientia Dei est libera, solusque Deus est liber, qui & gratia sui est. In omnibus aliis intellectibus sapiētia, est ipsius Dei gratia, tanquam vltimi finis, estque in eis per participationē, in Deo per essentiam. Ponere duas sapientias æquè gratia sui, duosque æquè liberos sapientes, est ponere eos eiusdem rationis; nam diuersæ rationis si fuerint, non erunt æquales in ratione finis, & libertatis. Quocirca vnū est quidditatiuè primum intelligibile, & primum amabile, & hoc respectu omnium intellectuum: vna est intellectio suprema, vnus supremus amor, vnus supremus intellectus, vna voluntas suprema. Cæteri intellectus, & voluntates, intellectiones, & volitiones non sunt simpliciter sui gratia, sed primi independentis intellectus sapientis, & sapientiæ verè liberę, & quæ gratia nullius est, sed omnia sunt illius gratia. *Num. 71.*

Non posse esse plures Deos eiusdem rationis. Cap. 16.

NOn posse Deos multiplicari in plures diuersæ rationis, & essentiæ specificæ, explicatū est, tùm à ratione optimi entis, tum à ratione optimi viuentis, capite superiore; sequi- *N. 73.*

tur, vt persequar aliquot rationes, quibus euincam, nec plures Deos eiusdem rationis specificæ, vel quasi specificæ solo numero differentes, posse reperiri in rerum ordine. Ita constabit, Deitatem ex se esse omnino immultiplicabilem. Video tamen plura me superius quoque ad hoc attigisse, quæ repetere non est opus: eroque ob id breuior. Sit prima ratio. Quicquid est multiplicabile in plura eiusdem rationis ex sua ratione formali: non est ex sua ratione determinatum ad certũ numerum, sed qua ratione potest esse in duob. eadem potest esse in infinitis, quod inductione explorare possumus in omni plurificabili specie, vt homine, auro, igne. Si igitur Deitas potest multiplicari, quantum est ex se in duas Deitates eiusdem rationis, ergo & infinitas in Deitates potest prorogari. Atque in iis, quæ sũt necesse esse, quicquid potest esse, actu est; ergo & Deitates sunt actu infinitæ secundum multitudinem, quod nemo, nisi furiosus diceret. Non ergo Deitas potest multiplicari in plura eiusdem rationis singularia.

N.74 Secundò, si duo sint entia præstantissima eiusdem speciei, vel rationis, ergo habent materiam, si credimus Aristoteli 12. met. 49. quæcunque enim multa numero, specie vnum, materiam habent, siue materiam acceperit pro materia prima, quam 1. phys. 82. definit, & 7. met. 8. siuè pro re potẽtiali, diuisibili, quale est genus respectu differentiarum specificarum: genus enim continet potestatẽ differentias, à quibus tanquam actibus perficitur, diuiditurque; qualis etiã est species specialissima respectu differentiarum indiuiduantium; nam & species continet potestate illas differentias, diuiditurque per ipsas in multa singularia. Siue tertiò, ipsæ differentiæ indiuiduantes (quia sunt extra rationem ipsius quid erat esse, ideſt extra rationẽ formę) vocentur materia. Non quæro. Satis est in præstantissimo ente esse purum actum, nullo sensu esse materiam, vel potentiam passiuam; igitur Deitas non est diuisibilis in duos Deos, ne sit potentialis.

Tertiò, si duo sint Dei, erunt duo principes entium eiusdem rationis. Non est bona pluralitas principum 12. met. vlt. si vnus princeps faciat regni sanctiones easdem, quomodo idem fiet à duobus? An in vno non est plena authoritas? Si alias sanctiones iudicat, quomodo erit possibile duobus dominis diuersa, atque incompatibilia iubentib. seruire: Neque igitur idem, neque diuersum alter Deus iubeat, sed longum vale recipiat.

Quartò, si ex 4. phys. 23. finitum est in suo fine, regnum in regente effectiuè: quomodo idẽ totum erit in duobus finibus, in duobus efficientibus? nam si vnum totaliter continet effectũ, & excedit sua perfectione, impossibile est, vt effectus etiam excedatur, cõtineaturq; in altero. Impossibile namq; esse videtur vnum causatum causari à duabus causis primis totalibus. N.75.

suf-

ſufficientibus in eodem genere cauſæ.

Quintò, ſi ex principiis inordinatis ordo eſſe poteſt, ſint duo Dii, quorum alter ad alterum nullatenus ordinetur; ſunt igitur duo fines, duo efficientes nullum ordinem habentes inter ſe, ergo neque mundus ab eis, vel ad eos ordinem eſt habiturus. Si autem vnus Deus eſt eſſentialiter ad alterum, vel ab altero, qui talis eſt, Deus non eſt, quia neque præſtãtiſſimum, vel optimum ens eſt.

Num. 76. Sextò, ex ratione vitæ pauca tangamus. Si Deorum alter alterum ignorat, vterque, vel alter eſt ignarus præſtantiſſimi obiecti intelligibilis, atq; felicitatem intellectualem conferentis. Sed ignorans Deum infelix eſt, non Deus. Si autem alter alterum intelligat, ergo vterq; intellectus eſt felix, & beatus in duobus. Satis ne eſt vnum obiectum, vt beet, an non? ſi non, neutrum per ſeſe eſt optimum, & primum intelligibile, ſed aggregatum ex ambobus: atque Deus non eſt, qui per ſe ſe perfectiſſimus, ſibique ſufficiẽtiſſimus non eſt, qui alio extra ſe indiget: lege primum de cælo 100. & 14. met. cap. 6. Si vnum ſatis eſt, ergo fruſtra alterum inducitur: falſò etiam idem intellectus eadem intellectione in duobus obiectis adæquatis conquieſcit.

Septimò, ad hæc ſi vnus alterum agnoſcit, cognoſcens per ſe ipſum aliud, eſt ratio cognoſcendi illud, atque ideò ratio eſſendi; ſicut enim res ſe habet ad eſſe, ita ad veritatem, & cognitionem 2. met. 4. Si cognoſcit per ſpeciem cogniti, ergo cognoſcens eſt compoſitum ex propria ſubſtantia cum ſpecie cogniti. Si cognoſcit per eſſentiam cognoſcentis, ergo Deus cognitus influit perfectionem in cognoſcentem, & mouet cognoſcentem tanquam intelligibile, & amabile 12. met. 36. Verùm mouens, quatenus tale, eſt moto præſtantius; ergo talis cognoſcens non eſt Deus.

Octauò, & poſtremò. Si vnus amat alterum propter ipſum amatum, ergo quieſcit in illo totaliter, & adæquatè, & beatur voluntate in illo. Quod autem in alio beatitudinem, & felicitatem habet, ab illo dependet. Si amat propter ſe amantem, inordinatè amat propter alterũ, quod erat amandum propter ſe ipſum. Omnis enim ordinata voluntas ita res amandas amat, ſicuti ſunt amandæ, ſed ſummũ bonum eſt propter ſe amãdum, non propter aliud: non igitur poſſunt eſſe duo viuentes optimi, duo entia præſtantiſſima eiuſdem rationis, neque igitur duo Dij. *Num. 77.*

Nonò. Quòd ſi ex ratione benefactoris ſummi, & adorandi ſummè, pergere placeret, indè quoque gliſcerent argumenta: Si nanque ſumme colendus eſt vnus, alter, cui non præſideat, non erit ita colendus: ſe tunc honor nõ erit ſummè debitus vni, ſed diuiſus ĩ ſingulos, minor erit in vno, & in neutro ſummus. Nã quod finxere, alium Deum, qui à malis eripiat, alium, qui bona

do-

donet, figmentum puerile est, quasi dum bonum tribuitur, eo ipso malum non propulsetur. Vnus est Deus in se summè bonus, quo propitio mala, & iniusti, & incommodi euadere, bona iusti, & commodi consequi possumus. Neque illi audiendi sunt, qui ponant vnum bonum ab vno Deo, alterum ab altero tribui, cum in vno primo effectiuo omnis causalitas secundarum causarum eminenter, & perfectissimè includatur. Vnus igitur est Deus, à quo bona cuncta procedunt, mala nulla iniusta fiunt, nam mala incommodi ab eo etiam inferuntur, quando id ad iusti regulam expediuerit.

Ille igitur est solus colendus, tanquam summus dominus, summo cultu, & nullus alius.

§§§§§§§
§§§§§.
§§§
5



VESTI-

VESTIGATIO PERIPATETICA QVINTA.

De numero Cęlestium orbium.

In quo tres grauissimi errores Aristoteli obiiciuntur.

Caput Primum.

Num. 1. VNumquodque principiatum exactè tũc cognoscimus, cũ cognouerimus, quæ, et quot sĩt illius principia. Quare postquã Arist. motuum cælestium principia motiua constituit esse substantias immobiles, ac separatas à corpore in 12. met. 30. & 44, atque 44, ac proinde exposuit, quæ sint principia mouentia. In textibus à 45. ad 48. numerum cælestium orbium statuere satagit, vt ex pluralitate orbium determinata, determinatam aliquam substantiarum separatarum pluralitatem concipere valeamus. Cum enim vnicuique mobili correspõdeat adequatum motiuum, rectè in tex. 48. concludet, totidem esse substantias immobiles, ac cælorum motrices, quot sunt mobilia, & motus, apertumq; relinquet etiam, quot sint principia mouentia.

Num 2. Verumtamen in orbibus enumerandis, ita scribit, vt ab omnibus penè expositoribus annotentur errores ineptissimi, in quibus Arist. puerilitèr, vt ita dicam, errasse videatur. Tres verò capitales sunt, quos primũ referre tentabo, posterius pro viribus depellere nitar.

Primus error est, quia Philosophus septem planetas numeraturus, sex numerauit, vnum prætermisit. Hoc annotauit Thomas Aquinas in commentario tex. 47. scribens. *Sed cum post Saturnum, & Iouem sint, alii quinque: manifestum, quod vnum eorum prætermisit, scilicet, vel Martem, vel Mercurium; vt quod dicit posteriorum quatuor, referatur ad quatuor infimos. Vel prætermittit Lunam, vt referatur ad quatuor immediatè sequentes.*

Postula, cur prætermiserit? Respondet. *Prætermittit autem vel ex errore, qui interdum accidit in numeris, vel propter aliam causam, quæ nos latet.* Antonius Andreas in commentario, qui Scoti nomine de facto, non de iure, à Mauritio est editus, ferè ad verbum hæc omnia ex Alensę, vel ex Aquinate transcripsit: adiecit Antonius tamen. *Prætermittit illum vnum, vel ex errore, qui interdum accidit in numeris: vel fuit error scriptorum, vt loco quatuor scribi debeant quinque, & loco sex nouem; quia ex subtractione vnius planetæ subtrahuntur tres reuoluentes.* Suessanius

nus in commentario eiusdem textus, vnum item errantium ommissum concedit.

Nu.3.

Secundus error obiicitur. Quoniam in eodem tex. 47. 12. summam faciens sphærarum deferentium, & reuoluentium erraticas stellas, asserit esse quinquaginta quinque: cum eas esse quinquaginta nouem scribere deberet. Quatuor ergo sphæræ Aristoteli per errorem exciderunt. Calippus nanque Aristotele teste, Saturno assignat quatuor deferentes, ac tres reuoluentes totidem Ioui, quæ fiunt 14. Assignat Soli quinque deferentes: & quatuor reuoluentes, ac Lunæ totidem, quæ euadunt 18. Marti, Mercurio, Veneri, singulis quinas deferentes, & quaternas reuoluentes, quarum summa est 27. Ex qua supputatione concludit Antonius Andreas loco relato. *Omnes igitur sphæræ simul sumptæ faciunt 59. Tamen quicquid sit in causa, dimisit numerare reuoluentes vnius planetæ post illos duos, & sic deficiunt quatuor reuoluentes, quæ si auferentur à 59. remanent 55.* Suessan. in com. tex. 47. *Congregando*, inquit, *reuoluentes cum deferentibus erunt omnes quinquaginta, & nouem. Causa horum patebit in littera. Debes scire, quod Philosophus in littera enumerat quinquaginta quinque: nam prætermittit vnum errantium, cui quatuor sphæræ sunt necessariæ.* Profecto Suessanus Antonium Andream suppresso nomine imitatur in hoc, & multis; sicut, & suppresso nomine eum perstringit, & in commentario, & in dilucidationibus, temperans ita inter laudem, & probrum, vt auctorem, per quem profecit, nunquam nominarit. Ad institutum; pollicetur Suessanus in commento dicturum se causam ommissorum ab Aristotele, sed quantum capio, non dixit.

Nu.4.

Tertius error Aristoteli ascriptus in subtractione consistit. Constituit Stagirita summam sphærarum quinque, & quinquaginta: subditque, si auferamus à Sole, & Luna, quas cum Calippo addidimus, relictum iri sphæras septem supra quadraginta. Eudoxus quidem tres deferentes Soli, tres Lunæ contulit: Calippus verò duas deferentes Soli, duas Lunæ apposuit. Supponamus Lunæ nullas assignari reuoluentes: Soli assignari (sicut cæteris planetis) reuoluentes, quot deferentes, vna minus. Itaque additæ sunt duæ deferentes Soli, duæ reuoluentes Soli, duæ deferentes Lunæ. nimirum sex. Ergo à sphæris quinquaginta quinque sex erunt adimendæ: vt relinquantur sphęrę quadraginta nouem: cum Aristoteles imperitus numerandi, quadraginta septem reliquas fore asseuerarit. Simplicius in secundo de cęlo com. 46. ad textus 70. & 71. testatur antiquissimum Sosigenem istius difficultatis obseruatorem fuisse. Aphrodiseus in 12. met. ad tex. 47. eius nodi meminit, atq; etiam Scaynus, & Vicemercatus. Aitque Simplicius Porphyrium, atque Alexandrum hac difficultate turbatos. Appono Simplicii dicta quædam, in quibus

bus ſolutiones etiam aliquæ cõtinentur. Sic autem ait Simplicius. *Quoniam autem intulit Ariſtoteles, quòd ſi quis non apponat Soli, & Lunæ, quos diximus motus, quadraginta & ſeptem erunt omnes, hoc confuſionem facit. Si enim auferamus duas Solis, & Lunæ duas, quas appoſuit Calippus conſtat, quòd etiam duas alias a Sole reuoluentes illas auferemus; ablatis enim illis, oportet, & ſimul auferre illas, quæ debent ipſas reuoluere: ſex quidem auferentur duæ ferentes Solem, & duæ has reuoluentes cum duabus Lunæ appoſitis à Calippo. Neque autem accidit, his ablatis à quinquaginta & quinq; relinqui omnes quadraginta, & ſeptem, ſed quadraginta, & nouem. Dicit autem Ariſtot. quadraginta, & ſeptem relinqui*

Prima reſponſio. Vel fortè non attendens, quod à Luna non quatuor, ſed duas ſolas abſtulit.

Secunda reſponſio. Vel ſi fortè oportet dicere, quòd à Sole quidem quatuor abſtulit, quas ipſe appoſuit reuoluentes, & ambas, quas Calippus, & ſic octo ablatis à quinquaginta, & quinque, reliquæ ſunt quadraginta, & ſeptem; & ſic euenit numerus.

Propter quid autem Solis duas, ſecundam ſcilicet, & tertiam non reuoluent aliqui, non habemus dicere: cum & hoc dicat ipſe, ſolum id, quod ſubtus ponitur non reuolui. Quamvis & hoc benè Soſigenes notauerit. Quòd etiam in Luna neceſſarium ſupponit reuoluentes, ne velocitas a ſuperiorib. motibus appoſita ferentibus ipſam faciat eandem, non adhuc cum non erratica æquè velociter ad occaſũ ſecedere. Sed etiam hoc dato, quòd ipſa ſola non haberet reuoluentem, non euenit numerus. Et hoc Alexandrum & Porphyrium turbauit, vt dictum eſt ſuper 11. met. Soſigenes autem ait, melius eſſe putare negligentiam circa numerum per ſcriptiones accidiſſe, quàm eaſdem ſeptimanas, & octauas ſpharas facere: cum neque ſi hoc fiat, conſonet numerus litteræ. Hæc Simplicius, quem in omnibus ſecutus eſt Vicomercatus in 12. met. ſuper tex. 47.

Harum reſponſionum tertiã, quæ refundit culpam in librarios, vt eximat à culpa Ariſtotelem, nunc dimittamus. Tametſi eam præ cæteris Fauentinus probet. Primam item, quæ non attentum fatetur Ariſtotelem, ſed oblitum, quòd à Luna duas tantum ſphæras, ideſt duas deferentes auferre poterat, non reuoluentes, quas nullas dederat. Secundam, quæ aufert à Sole duas deferentes, duas deferentes à Luna, & quatuor reuoluentes à Sole, ideſt omnes reuoluentes, Fonſeca in com. illius loci abſolutè ſequitur. Num. 5.

Refutat hanc Simplicius, tùm quia nulla cauſa reddi poteſt, cur aliis errantibus ſuperioribus reuoluentes dentur, Soli non dẽtur. Nam cum aliis planetis, excepto infimo, ideſt Luna, dẽtur reuoluentes proportionales deferentibus, ne motus ſuperioris planetæ refundatur in planetam inferiorem, ſed ſolùm motus primæ ſphæræ: cur non etiam Solis tres relictæ deferentes, duas habituræ ſunt reuoluentes, ne deferentes Lunam

cum Sole moueantur?

Secundò, quia in textu expressit Arist. excepto infimo errante, omnes habere tot reuoluentes, quot deferentes; si à Sole omnes reuoluentes sint ademptæ, iam sibi contradiceret Arist. At hoc secundum facilius euaseris dicens, Aristotelem posterius limitasse, quod prius dixerat. Primum non ita facilè, quoniam & similis propositio superioris ad inferiorem requirit, vt sicuti Saturnus habet reuoluentes sub se, habeat & sol: & insuper causa eadem est, tùm in Saturno respectu Iouis, vt prima Iouis restituatur à reuoluentibus: tùm in Sole respectu Lunæ, vt prima Lunæ restitui possit in eundem locum, sublato impedimento à reuoluentibus. Quæ est demonstratio à causa.

Philop. in 12. met. non proponit dubitationem, sed obiter soluere videtur, adiungens duas reuoluentes Soli, duas Lunæ: vnde ablatis ab vtroque luminari duabus deferentibus, duabusq; reuoluentibus, octo amouentur sphæræ; atque ex 55. essent relictæ 47. Nimirum scribit. *Si verò auferamus à Sole, & Luna Calippi additiones; adiiciebat enim tribus Solem deferentibus sphæris, etiam alias duas, & tribus Lunæ alias duas sphæras deferentes. Itaque, & alia vtrique animalium (luminarium potius) duæ adiectæ sunt reuoluentes. Si quis ergo auferat hanc additionem octo sphærarum 47. sphæræ videbuntur.* Ne tamen assentiar, efficit textus Arist. qui negat infimum astrũ reuoluentes habere. Negat, & ratio, seu causa, propter quam reuoluentes ingeruntur; sed & ipse Philoponus negat Lunam habere sub se reuoluentes, nam neque habet sub se planetã: sed reuoluentes concedimus, vt reducant in suum locum primam sphæram inferioris planetæ.

At hic noua, molestaq; ingruit difficultas. Propterea quòd Aphrodiseus, Simplicius, Philoponus, & alii plures negant, Lunæ assignandas esse sphæras reuoluentes. Eo quòd in textu Aristoteles dicat. *Horum (id est planetarum) fanè istas solas non oportet reuolui, ex quibus feratur id, quod infimè ordinatum est.* Atqui Luna inter errantes est infimè ordinata, igitur Lunæ deferentes non obtinent reuoluentes. Hinc acerbè Vicomercatus Aquinatem, clarissimum vtique Peripateticum, pungit, quòd ineptè hoc, quod de Luna dictum est, ad cuiusq; planetæ infimam sphæram, in qua astrum est infixum, referat: quæ in re tamen Rubeus, Auerroes, Alfis, Suessanus, & Iauentinus cum Aquinate militant, Fonseca non militat. Ergo Græci, & sequaces nolunt Lunæ attributas reuoluentes, idq; textu citato significari arbitrantur: Thomas cum Antonio Andrea, & Suessan. & aliis latinis plurib⁹, potiùs Martis ademptas reuoluentes, esse concesserunt, quàm Lunæ. Num. 6.

Qua in re Aquinas hæc exarauit. *Si supra iam dixit, reuoluẽtes posteriores quatuor, esse sexdecim, prætermisit Lunam. Remotis duabus deferentibus Lunæ, & dua-*

duabus Solis, non remouebuntur quatuor reuoluentes, ſed ſolum duæ, ſi ſphæræ Lunæ non habent reuoluentes, & ſic à pluralitate ſphærarum ſubtrahuntur ſex ſphæræ; quatuor deferentes, & duæ reuoluentes; vnde ſequitur, quòd ſphæræ omnes ſint 49. & ſic nõ videtur quòd Ariſt. voluerit præmittere Lunam, ſed magis Martem. Niſi aliquis dicat Ariſtotelem oblitum fuiſſe, quòd Lunæ non poſuerit ſphæras reuoluentes, idcircò errorem in numero accidiſſe, quod non videtur probabile. Hæc eſt prima ratio pro Aquinate ſatis apta, ne obliuionem Ariſtoteli tribuat, quam Vicom. tribuit. Item ne errorem in ſubtractione committat, dum à 55. detractis ſex, dicuntur remanere 47. Et reuera data expoſitione Aquinatis tempeſtas à Soſigene cõmota, quæ turbauit Porphyrium, Alexand. Simplicium placidè ſedatur.

Secunda ratio eſt à textu Philoſophi ducta. Comparat enim planetas, & primo loco dat duobus prioribus, Saturno tres, & Ioui tres deferentes. Secundò loco quatuor poſterioribus Mercurio, Veneri, Soli, Lunæ ſexdecim, hoc eſt ſingulis quaternas: Mars vtique ſine reuoluentibus relinquitur. Cuius aſſerti neſcimus *propter quid* Ariſtoteles dixerit: ſcimus *quòd* ita dixerit, iuxta expoſitionem affirmantem, vni ex errantibus non eſſe datas reuoluentes.

Num. 7. Nec obſtat allata verba, quin poſſint aptè exponi de ultima deferentium, aſtrum gerente infixum. Nam v. g. Saturnus, ſeptem orbes habet, tres deferentes, ſuperioreſq; anaſtri, tres reuoluentes, inferioreſq; item anaſtri: quartus deferentium, medius eſt inter tres deferentes ſuperiores, ac tres reuoluentes inferiores. Iſte medius orbis, qui eſt aſtriger, & infimus deferentium, non habet reuoluentem.

Senſus igitur ad aures Thomæ eſt, *Horum* (ideſt errantium) *ſanè illas ſolas* (ſphæras) *non oportet reuolui, in quibus fertur, quod infimè ordinatum eſt*, nempè aſtrum. Hoc autem quod aſtrum, & ſphæra gerens aſtrum infixum, ſit infimè ordinatum, nõ de Luna ſingulariter, ſed de omnibus errantibus vniuerſaliter eſt verum. Cui deferenti vltimo, ſecundum Thomam non correſpondet reuoluens, cum ex Vicomercato primæ deferenti ſingulorum non correſpondeat reuoluens.

Porrò textus à Beſſarione translatus vehementer cũ Thoma conſentit, dum ait, *Cum igitur, in quibus ipſa quidem feruntur ſphæris, hæ quidem octo, hæ verò viginti quinque ſint: horum ſanè illas ſolas non oportet reuolui, in quibus fertur, quod infimè ordinatum eſt.* Nota duo pronomina *Ipſa*, & *Horum*. *Ipſa* proculdubio indicat errantia ſidera, ſimiliter *Horum*, ideſt *errantium*, quod infimè ordinatum. Vbi demonſtratio per pronomẽ Horum demonſtrat, non ſolam Lunam, ſed omnes planetas indicatos per pronomen *ipſa*. Igitur ſingulorum planetarum ſphæræ vltimæ non habent reuoluentes,

quia ſinguli planetæ videntur demonſtrati. Quanquam igitur non probetur Thomæ ſententia vt germana Philoſophi; non tamen reprobatur, vt inepta, inepteq; excogitata, cum non leuibus fulciatur argumentis.

Dixi verò non probari omninò, quoniam, & ſi fugiat controuerſiam à Græcis motam in ſubtractione, non vitat controuerſiam à Latinis commotam in enumeratione, qua omittitur vnus erronum, & in ſummatione, qua pro 59. ponuntur 55. Vtrinque igitur ſunt anguſtiæ; quas tàm cautè declinauit Themiſtius, vt ne attigerit quidem. Auerroem aut non intelligo, aut inutile intelligo eſſe eum referre, actefellere.

Apparatus ad veſtigandam Ariſtotelis mentem. *Caput. II.*

Num. 8. PHiloſophus in ſectione 15. probl. 3. omnes homines, & Barbaros, & Græcos numerare ad decem vſque ſcribit, tùm regredi: ſolàm Thracum gentem quandam excepit, qui ad quatuor, numerandi ſeriem terminant, eo quòd amplius meminiſſe, modo puerorum, non poſſunt An & ipſe memoriæ defectu inter Thraces illos reponendus; qui ad 7. planetas peruenire nequiuerit? At Ariſtoteles Stagirita maximi viri ingenii, accuratiſſimi iudicii, memoriæ tenaciſſimus extitit, vt nõ facilè in ipſo, vel in textu illius errores tàm craſſi irrepere potuerint. Quare nobis eſt veritas eò attentius indaganda, quò difficilius negotium eſt ſuſceptum. Principiò nonnulla nobis accipienda ſunt ex Philoſopho, quibus via ſternatur ad mentem Ariſtotelis pertingendam. Sit itaque primum aſſertum; In cælo duos eſſe motus præcipuos, vnum ab ortu ad occaſum, qui diurnus appellatur, & extimo orbi, hoc eſt ſtellato ab Ariſtotele tributum eſt; alterũ è conuerſo ab occaſu in ortũ vergit, ſuper polos Zodiaci, qui motus planetis, ideſt ſeptem erraticis competit ſtellis. Hæc de prima latione vniuerſi, & ſecunda contraria primæ educes ex 2. de cælo 15. ac 16. contextibus, atque tex. 58. Quomodo autem ex his lationibus, perpetua generatio, & corruptio in ſubcæleſtia proueniat, in 2. de ortu, & interitu à tex. 56. & in 12. primæ philoſophiæ tex. 34. diſſeritur.

Secundum aſſertum. Octo fuiſſe orbes cælorum principales Ariſtoteli cognitos; primus omnium eſt orbis ſtellarũ fixarum, qui, & vita, & motu, & aſtris multùm alios orbes excedit: quoniam principium principiatis plurimũ excellit. Primus autem orbis mouet omnes alios orbes motu diurno, vt propterea is motus nuncupetur motus totius, vel vniuerſi in 12. met 43. De qua ratione principii cõſule 2. de cælo tex. 61. Hic orbis eſt ſimplex, ideſt non compoſitus ex pluribus orbibus, moueturque vno, primo, ſimplici, regulari motu circulationis. Reliqui orbes ſeptem ſunt to- *Num. 9.*

ta-

tales: totales dixi, quoniã quilibet orbis in plures orbes reſoluitur, ex quibus conſtat: quæ multitudo ex eo vnitatem ſortitur, quia ordinatur ad vnius aſtri lationem; lationes quippe ſunt aſtri circumducti gratia ex 12. met. 48. Septem, inquam, hi ſunt, quia ſeptem ſunt aſtra, quę non mouentur ſolo motu inerrãtium ſtellarum, ſed proprio motu ab aliis diuerſo cietur vnumquodque. De primo orbe nulla fuit, aut eſt apud Peripateticos controuerſia, neque de illius motore, cum in primo mobili primus motus à primo motore ſiat 12. met. 47. De orbibus errantium eſt. Nam cum hi orbes, atque aſtra ſingula pluribus motibus agitentur, viſum eſt oportere quemlibet orbem totalem vnius planetæ componere ex pluribus orbibus partialibus: vt ex eorum officio ratio redderetur de omnibus, quæ in planetarum motibus obſeruatæ ſunt, apparentiis. De horum numero orbium partialium cõponentium totalem ſingularem planetarum orbem, quorum alii deferentes, alii reuoluentes puncipãtur, eſt hæſitatio nata in textibus 46. & 47. 12. metaphyſices.

Num. 10. Tertium aſſertum eſt ad placitum plurium in Peripato, Ordinem ſcilicet planetarum eſſe, vt nobis proximi ſint Luna, & Sol, remotiſſimi Saturnus, & Iupiter: medii Mars, Mercurius, Venus, & à primo cælo deſcendant hac ſerie: Saturnus, Iupiter, Mars, Mercurius, Venus, Sol, Luna. Semperq; ſuperior continet inferiorem, infimus autem Lunæ orbis quatuor elementorum compaginé coercet. Hic ordo ponitur in libro de mundo ad Alexandrum, ſi tamen is liber eſt Ariſtotelis. Nã quòd nonnulli Solem immediatè ſupra Lunam poſitum probare moliuntur ex lib. 2. de cælo. 60. non conficiunt; cum in eo textu ponantur vtiq; aliqui orbes Lunæ, & Sole ſuperiores, firmamentoq; inferiores: at nõ dicitur aut Sol eſſe proximus Lunę, aut infimus omnium ſupra Lunam conſtitutorum. Sequamur interea communiorem diſcipulorum Ariſtotelis opinionem.

Num. 11. Quartũ aſſertum. Omnes cęlorũ orbes eſſe cõcẽtricos inter ſe, vnumque, & idem numero eſſe centrum vniuerſi, ac elementorum, atque cæleſtium orbium omnium. Hinc in primo de cęlo tex. 6. diſtinguitur omnis ſimplex latio in tres ſpecies, ſcilicet à medio, ad medium, circa medium; quæ à medio, eſt leuium: quæ ad medium, eſt grauium: quæ circa medium, eſt cæleſtiũ. Neque permittit Ariſtot. orbibus cælicis, vt vel minimum quippiam accedant, aut recedant à medio iuxta rationem conſtructam in primo de cęlo 18 & 19. Si enim ſurſum moueretur, à medio ſcilicet, eſſet leue: ſi deorſum, nempe ad medium, eſſet graue, ergo & corruptioni, ac generationi mancipatum eſſet. Quare nunquam quiſpiam ad placitum Ariſtotelis cõceſſit orbes eccẽtricos, & in orbibus epicyclos; quòd eccentrici ob irregularem figuram irregulari mo-

motu ferantur, oportet item, quòd non eſſent orbes æquabiliter coniuncti intrinſecus & extrinſecus. Epicyclos non conceſſit, quòd epicyclus orbis ſolliditatẽ tollat; item quia circa proprium centrum voluatur, circa mundi centrum voluterur, contra quã in 2. de cęlo 49. dicatur.

Num. 12. Hac in re de cęli motu æquedistanti ſemper à centro mundi, motu, inquam, circulari, ordinato, & regulari circa mundi medium, conueniunt Plato, & Ariſtot. Quare Plato animadmertens Pythagoreorum placita de orbibus eccentricis, atque epicyclis refragari principiis à ſe poſitis in philoſophia naturali, propoſuit aſtronomis, vt modum quærerent, quo per orbes omnes concentricos poſſent rationes reddere eorum omnium, quæ in cęlorum motibus ſunt obſeruata, teſte Simplicio in 2. de cęlo cõmentar. 45. & 46. Quã cęlorum conſtitutionem facere per cõcentricos exorſus eſt Eudoxus Gnidius, Socratis auditor & poſt eum Calippus Cyzicenus, aſtronomi præclari. Ptolomæus quidem poſt Ariſtotelem eccentricos, & epicyclos cum Pythagoreis accepit, quem ſecuti ſunt, aſtronomi paſſim, & philoſophorum naturalium plures, rationemq; iſtius conſtitutionis Simplicius loco laudato probat. Ariſtot. autem ſolùm Eudoxi, & Calippi meminit, quia per concentricos ſolos reddunt rationem apparentium. Quæ doctrina cum fundamentis Ariſtotelicis in philoſophia naturali traditis congruit. Quibus rationibus muniretur Eudoxus in orbibus conſtituendis retulit ubertim Simplicius in commentario indicato ex ipſo Eudoxi libro rationes Calippi ex libro Theophraſti de velocitatibus, quas quidem memorandas poſſe melius enarrare, quàm Simplicius. Ergo apud ipſum legantur, cum non ſint neceſſariæ ad id, quod agimus. Proximo etiam ſeculo Hieronymus Fracaſtorius, & Ioannes Baptiſta Amicus, omnia itidem per concentricos ſeruare conati ſunt. Eos comprobat Vicomercatus, improbat Fonſeca; ego paupertate opulentus, eorum libros, ideò non conſulo, quia non poſſum coemere. Antonius Medus in 12. metaph. cap. 8. noluit hos textus exponere, ſed aliam per concentricos viã iniit, vt Ariſtotelis placita ſeruaret. Sed hæc ſatis, iam textum Ariſtotelis, quantum oportet, conſideremus.

Eudoxi Syſtema ex 12. met. 46. Caput III.

TExtus. 45. duodecimi met. *Eudoxus igitur Solis, & Lunæ utriuſque lationem in tribus poſuit ſphæris eſſe: quarum primã quidem eam eſſe, quæ non errantium ſtellarum. Secundam verò ſecundum id, quod per medium Zodiacum. Tertiam porrò ſecundum eum, qui in latitudine Zodiaci obliquatur, in maiori autem latitudine obliquari eum, ſecundũ quem Luna fertur, quàm, ſecundum quem Sol.* *Num.* 13.

Obſeruatio. Eudoxus filius Aeſchi-

Aeſchinis philoſophi, Gnidius patria, Socratis diſcipulus, Platonis æuo aſtronomus inſignis, ex Laertio in vita Eudoxi, & Simplicio, vbi ſupra, hortante Platone per ſolos concentricos ſaluare cęli apparentias conatus eſt; incipit verò à luminaribus, vtpotè notioribus. Quia verò planetarum orbes ſunt, aut deferentes planetam, aut reuoluentes: Ariſtoteles primo de orbib. deferentibus cum Eudoxo, ſecundo de deferentibus cum Calippo: tertiò de reuoluentibus loquitur. Ergo hic textus ſolùm eſt de orbibus deferentibus Solem, ac Lunam: Soli autem tres deferentes aſſignat, tres item Lunæ. Motus cælorum circulares ſunt, vel ſecundum longitudinem, & hi ab ortu in occaſum vel ab occaſu in ortum tendunt: vel ſecundum latitudinem, & hi proficiſcuntur ab arctico, ad antarcticum, vel ab antarctico polo in arcticum. Nam motus ſecundum profunditatem, qui eſt ad mediũ mũdi, vel à medio, Ariſtotelesexulare à cęlo iubet.

Itaque primus deferens ſecundum longitudinem fertur ab ortu in occaſum cum orbe inerrante. Secundus deferens ſecundum longitudinem ab occaſu in ortum ſub Zodiaco.

Tertius deferens ſecundum latitudinẽ Zodiaci obliquatur ab arctico ad antarcticum, & è contra; quem motum in 2. de gen. 56. acceſſum, & receſſum in obliquo circulo appellatum cõperies. In duobus primis deferentibus Sol, & Luna conueniunt, in tertio differunt, quia Luna magis, quàm Sol appropiat ad arcticum, & antarcticũ ſecundum latitudinem. Nam iuxta obſeruationes Eudoxi, Sol aliquando magis, aliquãdo minus appropiat ad arcticum: at iuxta Ptolomęum nunquam magis accedit, imò ſemper monetur ſub ecliptica, ideſt ſub circulo diuidente Zodiacum in duas partes æquales ſecundum longitudinem.

Poſuit autem tres orbes Solis, tres Lunæ: quoniam ratus eſt, Vnius corporis ſimplicis, vnum eſſe ſimplicem motum, quod etiam Ariſtoteles in primo de cælo credidit tex. 9. quilibet autem cælicus orbis eſt ſimplex, ergo cuiuſq; eſt vnus ſimplex motus proprius ſecundum naturã: quòd ſi aliquis orbium moueatur pluribus motibus, hoc erit quia mouetur motu raptus à ſuperiori aliquo orbe, & motu proprio ſimul. Cum itaque tàm Sol, quàm Luna ternis motibus conſpicuè cieantur, primo ab ortu ad occaſum cum orbe fixarum, ſecundo ab occaſu in ortum motu planetarum, tertio ab arctico ad antarcticum motu acceſſus, & receſſus: conſequitur, vt ſtella moueatur à tribus deferentibus, vno deferente ad ortum, altero ad occaſum, tertio ad arcticum, vel antarcticũ. Et in hoc tertio luminare eſt infixum. Poli primi deferentis ſunt iidem, qui primi orbis fixarum: poli deferentis ſecundi ſunt iidem, qui Zodiaci: poli orbis tertii ſunt in aliqua dubitatione. Cum ſimplicio dicamus ab ipſis centris luminarium deferi- *Num.* 14.

ſcribi circulos declinationis, quibus circulis ad angulos rectos collocãdi ſunt poli, & axis. Alias rationes huius conſtitutionis orbium afferre non videtur oportunum. Maneant nobis hucuſque ſex deferentes, Lunam tres, Solem tres.

N.15. Tex 46. *Errantium verò ſtellarum vniuſcuiuſque in quatuor ſphæris, quarum primam quidem, & ſecundam, eandem illis eſſe; etenim quæ non errantium eſt, eam illam eſſe, quæ omnes fert. At etiã quæ ſub ipſa ordinata eſt, ac quæ ſecundũ Zodiacum lationẽ habet, eõmunẽ omnibus eſſe. Tertia verò omnium polos in eo, quod per medium Zodiacum eſſe. Quarta autem lationem ſecundum eum, qui obliquatus ad medium eius eſt. Eſſe verò tertiæ ſphæræ polos aliarum quidem proprios, Veneris autem, & Mercurii eoſdem.*

Obſeruatio. In hoc textu videtur ſtellas errantes à luminaribus ſeiungere, nec ſeiungit; nam & Sol, & Luna propriis motibus circumferuntur: vbi ergo de duobus luminaribus dictum eſt, dicatur de aliis quinque errantibus. Eudoxus ergo vnicuique ex his planetis donauit quaternos orbes deferentes.

Primus torquetur ab ortu ad occaſum eiſdem polis, & motu quibus ſtellatum communibus.

Secundus rotatur ab occaſu in ortum ſub *Zodiaco* motu, & polis planetarum.

Tertius ab antarctico ad arcticum vergit, habetque polos in Ecliptica, nempè in medio Zodiaco: ſed Saturnus, Iupiter, Mars quiſque proprios polos: Venus, & Mercurius eoſdem.

Quartus obliquatus eſt ad medium tertii orbis, ſiue moueatur ab ortu ad occaſum, ut Vicomercatus cenſuit, ſiue à borea in auſtrum, ut Sueſſanus: eadem cauſa refertur ab ambobus, ne per motum tertii orbis aſtrum vſque ad polum arcticũ perueniat, dari quartum orbem quo retrahatur ad auſtrum, ſiue antarcticum. Nemo autem retulit nobis, quomodo per hos orbes, omnes tueretur apparentias Eudoxus. Illud ad noſtrum ſpectat negotium, ut ſciamus viginti orbes ab Eudoxo quinq; planetis conceſſos, nempè quaternos ſingulis, quinquies autem quatuor ſunt viginti. His adde ſex Soli, ac Lunæ datos: reſultabuntq; omnes orbes planetarum deferentes viginti ſex ad placitum Eudoxi: Quorum ſumma hæc adiicitur.

Saturnus	4
Iuppiter	4
Mars	4
Mercurius	4
Venus	4
Sol	3
Luna	3
	26

Calippi Conſtitutio. Cap. IV.

N.16. TEx. 47. *At Calippus ſitum quidem ſphærarum eundem Eudoxo ponebat, hoc eſt diſtantiarum ordinem: pluralitatem autem ſtellæ quidem Iouis, ac Saturni eandem illi attribuebat. Soli verò, & Lunæ duas adhuc putabat ſphæ-*

ſpheras addendas eſſe, ſi quis eorum, quæ ſenſibiliter apparent, cauſas aſſignare debeat. cæteris vero errantium vnicuique vnam.

Calippus Cyzicénus, qui diutius familiariter Athenis cum Ariſtotele verſatus eſt; ſimiliter per ſolos concentricos, omnia, quæ in cælis cernuntur, defendere ſategit. Nunc Ariſtoteles refert conueniẽtiam, & diſcrepantiam Calippi ab Eudoxo. Conueniunt in ſitu, ſiue ordine orbium: nam ſi de totalibus cælis errantium loquaris à firmamento deſcendens, primò Saturnum, ſecundò Iouem, tertiò Martẽ, &c. collocabat, ſicuti Eudoxus. Similiter in ordine partialium deferentium, vt primo loco ponatur orbis correſpõdens motui fixarum ab ortu in occaſum, ſecundo verò motui planetarum ab occaſu in ortũ, tertiò ab auſtro in boreã, quartò è contra. Diſcrepant in pluralitate, quia Calippus addendos cenſuit ſeptem deferentes, duos Soli, duos Lunę, Martj vnum, Mercurio vnum, Veneri vnum. Ratio additorum Soli, & Lunæ ex æquinoctiorum, & ſolſtitiorum diſcrimine indicata eſt, apud Simplicium ex Eudemo: Ratio additorum tribus reliquis non retegitur. Conſtat ex hac narratione Saturnum, & Iouem habere quaternos, vt etiam hac in parte conſentiat Calippus cum Eudoxo: hinc hi duo ſuperiores planetæ octo poſſident deferentes; quinque inferioribus planetis ſingulis quini aſſignati ſunt, hoc eſt ad ſummam. 25. quibus coniuncti octo priores conficiunt numerum 33. deferentium, vt patet ex hac ſupputatione.

Saturni	4.
Iouis	4.
Martis	5.
Mercurij	5.
Veneris	5.
Solis	5.
Lunę	5.
	33.

Hucuſque relata eſt opinio tùm Eudoxi, tùm Calippi de orbibus deferentibus, qua in parte nulla eſt aduerſus Ariſtotelem querela. Tota enim conſiſtit in ſequenti textus particula. Quare nunc vigilantiùs eſt inſtandum.

Reuoluentium ſpherarum appoſitio, vbi Ariſtoteles à quatuor erroribus vindicatur. Cap. V.

TEx. 47. *Neceſſe verò eſſe, ſi debent omnes ſimul poſitæ, quæ apparent reddere, ſecundum vnamquamq; errantium alteras ſpheras, vna pauciores eſſe, quæ reuoluant, et ad idem poſitione ſemper primam eius aſtri ſpharam, quòd inferius ordinatũ eſt, conſtituant. Hoc enim modo ſolùm contingit errantium lationẽ omnia facere. Cum igitur in quibus ipſa quidem feruntur ſpheris, hæ quidem octo, hæ verò viginti quinque ſint: horum ſanè illas ſolas non oportet reuolui, in quibus fertur, quod infimè ordinatum eſt. Qua quidem duarum primarum.* Num. 17.

ſphæras reuoluunt, ſex erroris quæ verò poſteriorum quatuor, ſunt decim. Cauſarum verò numerus, tum earum, quæ ferunt, tum quæ reuoluunt eas, quinquaginta quinque.

Obſeruatio. Expoſuit orbes deferentes cum Eudoxo, expoſuit eum Calippo. Reuoluentes affert; ſiue ex ſe illos ipſe inuenerit; ſiue ex Calippo ſolo, ſiue ex Calippo, & Eudoxo vnitis recenſeat: quid noſtra intereſt? Sanè verſio Beſſarionis ita conſtruenda eſt: Calippus putabat neceſſe eſſe, alteras ſphæras, vna pancieres, eſſe, quæ reuoluant. Si itaque ponantur reuoluentes, de apparentibus cauſa redditur: ſin autem, minimè.

Primum documentum eſto. In reuoluẽtibus obſeruetur planeta, cui tribuuntur, & planeta cuius gratia tribuuntur. Superiori tribuuntur, vt *cui*, ſed inferiori planetæ, vt *cuius gratia*. ſcilicet vt prima ſphæra planetę inferioris reducatur ad eundem ſitum, peracta circulatione, à quo ſitu diſceſſerat. Quare vt apud Simplicium annotauit Theophraſtus, iidem orbes, & ſunt reuoluentes, & reſtituentes: reuoluentes ſuperiorem planetã, cui tribuuntur, reſtituentes planetam inferiorem, ſeu primam ſphæram deferentem inferioris planetæ, gratia cuius aſſeruntur.

Corollarium primum. Quoniam Luna nullam habet ſtellam inferiorem, nullas habet ſphæras reuoluentes ſub ſe, vt Cui attributas: fruſtra quippe eſt, quod eſt ordinatum ad finẽ, quẽ non conſequitur per 2. phyſ. 63. Sed reuoluentes dantur ſuperiori planetæ, vt cui ad reſtituendum aſtri inferioris primũ deferentem. Luna nullum aſtrũ habet inferius, quare nullum poteſt reſtituere. Fruſtra igitur Lunæ aſcribimus reuoluentes, prout rectè ſenſerunt Soſigenes, Aphrodiſeus, Simplicius, Themiſtius, Vicomercatus, Fonſeca.

Corollarium ſecundum. Iurè optimo Ariſtoteles diuiſit errãtibus in duos ſuperiores, & quinque inferiores: poſtquam reuoluentes annexas Saturno tres, Ioui tres appoſuit: excluſis reuoluentibus ab infima erraticũ Luna, ſolos quatuor errabtes poſteriores, inferioresue memorat, quibus annexi ſunt orbes reuoluentes.

Corollarium tertium. Ariſtoteles numeraturus ſeptẽ planetas, non omiſit vnũ, prout rati ſunt Alenſis Aquinas, Antonius Sueſſanus; ſiquidem reminiſcitur duorum primorum Saturni ſcilicet, & Iouis: reminiſcitur infimi aſtri, ſcilicet Lunæ: reminiſcitur quatuor poſteriorum. At hi ſunt ſeptem. Neque textus ſtructura aliter poteſt reſolui. De deferentibus aſtra errantia ſcribit. *Cum igitur in quibus ipſa (aſtra errantia) quidem ferantur ſpharis, ha quidem octo, ha verò viginti quinque ſint*: ex Calippo nimirum tribuente, duobus ſuperioribus octo: quinque inferioribus 25. deferentes; *horum (aſtrorum errantium) ſanè illas ſolas non oporteret reuolus. in quibus (deferentibus ferrur) quod infimè ordinatũ*

eſt,

eſt, Aſtrum. Nam relatiuũ *quod* refertur ad pronomina antecedentia, *ipſa* aſtra errantia, & *Horum* aſtrorum errantiũ, quod aſtrum eſt infimè ordinatum, ſcilicet Luna. Si autem hoc intelligas de omnibus deferentibus, in quibus infixum eſt aſtrum, iam erit ſolæciſmus, *Illas ſolas* ſphæras, quod infimè ordinatũ.

Num. 18. Præterea ſic declarando textum cum Græcis, omnis error hac in parte Ariſtotelis affictus profligatur: exponendo cũ Thoma, & ſequacibus, vt minimum, quatuor conceduntur errores. Hoc vt pateat, noto omnes orbes reuoluentes eſſe ſine aſtris, deferentes omnes eſſe ſine aſtris, vno excepto, in quo aſtrum eſt infixum, quem aſtriferum voco: ſicut carentes aſtris orbes anaſtros appello cũ Theophraſto, ac Simplicio. Nunc errores enumero.

Primus cõceditur, quòd Ariſtoteles ex ſeptem planetis vnũ præterijſſet, quæ non leuis incuria eſt.

Secundus, quia ſi ex orbibus 33. ſoli aſtriferi ſunt abſq; reuoluentibus, cum aſtriferi ſint ſeptem; demptis ex trigintatribus illis ſeptem, ſupercſſent reuoluentes ſex, & viginti; at Ariſtoteles omnes reuoluẽtes duos, & viginti eſſe affirmat.

Tertius error, quia ſupremis planetis abſq; ſcrupulo relictis, quinque inferiores habent 25. deferentes; deme ex hoc numero quinque aſtriferos orbes, qui reuoluentibus non donantur: pro quinque inferioribus planetis viginti aſſignabuntur reuoluentes. Atqui Ariſt. diſerte ait aſſignari ſexdecim.

Quartus error eſt, quia niſi intelligatur Luna reuoluentibus deſtituta, tanquam aſtrum infimum: tunc Lunæ quatuor erunt reuoluentes, eo quod ei quinque tradantur deferentes. Vnde in ſumma cũ omnes ſphæræ dicuntur 55. nempe 33. deferentes, & 22. reuoluentes: tũc Ariſtoteles dicere debuiſſet eſſe ſphæras 59. At Ariſtoteles ſcripſit eas eſſe quinquaginta quinque, non vnde ſexaginta.

Num. 19. Neque confugiendum eſt ad librariorum tranſcribentium incuriam, vel temeritatem: quoniam & ſi in vno, vel altero verbulo errent, tamen quater erraſſe cũ tanta connexione vnius erroris cum altero, omninò nõ eſt veriſimile. Fateamur itaq; aſtrum infimè ordinatum, reuoluentibus præditum non eſſe; tùm ne Ariſtotelis textum mendis tot infarciamus, tùm vt verbis textus de aſtro infimè ordinato ſatisfaciamus, tùm denique ne fruſtra in cælũ quatuor reuoluentes nullius rei gratia intrudamus. Ideò nanque ponuntur reuoluentes, vt reſiſtant motui ſuperioris planetæ, ne rapiat inferiorem planetam: & vt reſtituant ſphæram primam planetæ proximè inferioris; at ſub Luna neutrum horum munerũ exequi eſt opportunum.

Ita duos errores, quorũ Ariſtoteles reus agebatur, abſterſimus: imò & alios duos, qui ſimul germinabant, annulſimus. Nullaq; obliuio in Ariſtotele eſt, nullus in textu lapſus, neq;

prætermissus est planeta, vel reuoluentes planetæ, quin philosophus causam ommissionis dixerit.

Ponitur secundum documentum pro explicanda particula superiore. Caput VI.

Num. 20. PRosequamur explicationem textus 47. vt valeamus, si quo modo id fieri possit, tertium quoque errorem ab Aristotele depellere. Sitque

Secundum documentum: Quot sunt orbes deferentes alicuius planetæ, tot sunt eiusdem orbes reuoluentes, vno minus. Huius documenti duplex potest esse expositio, vna propria, de qua postea: & vna communis Græcorum, & Latinorum, vt à superiore orbe incipiamus usq; ad infimum: consideremusque deferentes planetæ alicuius, eique assignemus totidem reuoluentes vno minus, hoc ordine.

Saturnus ex Calippo habet deferentes ——— 4.
ergo habet reuoluētes 3.
Iupiter habet deferentes — 4.
ergo habet reuoluētes 3.
Mars itē obtinet deferētes 5.
igitur, & reuoluentes 4.
Mercu. possidet deferentes 5.
igitur, & reuoluentes 4.
Venus nacta est deferētes 5.
itaque & reuoluentes 4.
Sol itidē adeptus deferētes 5.
itaque & reuoluentes 4.
Luna nullos reuoluentes,
sed deferentes ——— 5.

55.

Verùm enimuero si hanc teneamus expositionem, vix tandem poterimus euitare, ne concedamus tertium errorem, vel in Aristotelis mente, vel textu. Adnitar tamen etiam hoc modo exponendo tueri philosophum. Quo facto afferam expositionē à me excogitatam.

Num. 21. Sit igitur prima explicatio nobis propositа, qua omnes deferentes ex Calippo, & eis subnexos reuoluentes perbellè nūc ad oculum demonstrati sunt.

Primum Corollarium esto. Reuoluentes sunt inter orbes deferentes superiorem planetā, & deferentes planetam proximè inferiorem. Siquidem reuoluentes ponuntur annexi superiori vt cui, ad hoc, vt restituant primam sphæram inferioris planetæ in locum pristinum. At hoc fine contactu restituentium, cum sphæra restituta esse non potest: igitur interpositi sunt: id quod in proxima serie cernere facilè datur.

Secundum Corollarium. Saturno tres reuoluētes, tres quoque Ioui sunt concedendi: quia per secundum documentum, quot sunt deferentes alicuius planetæ, tot sūt reuoluētes, vno minus? Atqui Calippus, & Eudoxus Saturno quatuor, et Ioui quatuor dederunt deferēres, ergo & singulis debentur terni reuoluentes, ambobus autem in vniuersum sex.

Tertium Corollarium. Aliis quatuor planetis inferioribus, ideſt, Marti, Mercurio, Veneri, Soli quaterni reuoluentes destinandi sunt. Nam cum secundo

do.

documento, quot deferentes, tot reuoluentes, vno minus dãtur. Calippus utique ſingulis hiſce planetis quinos deferentes optabat, ergo & quaternos reuoluentes eiſdem aſſignare oportet.

Quartum Corollarium. Reuoluentes quatuor planetarum inferiorum collectim ſumpti, ſunt ſexdecim tantùm; quia enim Luna caret reuoluentibus, per primum corollarium ad primum documentum, capite præcedenti; nuper autem dedimus Marti reuoluẽtes quatuor, Mercurio quatuor, Veneri quatuor, Soli quatuor: quater quatuor ſexdecim conſtituunt.

Quintum Corollarium. Tota multitudo reuoluentium conflata è ſex reuoluentibus ſupremorum planetarum Iouis, & Saturni: & è ſexdecim reuoluẽtibus quatuor inferiorum, eſt reuoluentium duorum, & viginti.

Reuoluentes ſuperiorum —— 6
Inferiorum —— 16

22

Itaque nullus error in Ariſtotelem, vel textum irrepſit; tot nanque inueniuntur orbes reuoluentes, quot ipſe dixit. Suſpicio verò erroris exinde orta eſt, quia putabatur Ariſtoteles ſingulis quibuſque planetis reuoluentes tribuere, cum infimo planetæ non tribuat.

Sextum Corollarium. Tota ſumma orbium, tùm deferentium, tùm reuoluentium erraticæ ſidera, iuxta ſuppoſitionem Calippi, & Ariſtotelis eſt orbium quinquaginta quinque.

Deferentes ſunt. —— 33
Reuoluentes —— 22

55

Illibata planè, & intemerata ſupputatio. Gradatim igitur quinque errores illi tribuebantur connexi.

Primus, quòd prætermiſerit numerare vnum planetam inferiorem.

Secundus, quòd illius vnius ommiſerit quatuor reuoluentes.

Tertius, quòd falsò dixit reuoluentes inferiorum 16. pro 20.

Quartus, quòd falſa eſſet ſumma omnium reuoluentium, nempe —— 22. pro 26.

Quintus, quòd ſumma orbium omnium dicitur eſſe —— 55. cum ſint 59.

Hos errores pulchrè declinarunt Græci expoſitores. Sed impinxerunt in errorem ſequentẽ de ſubtractione, quem Aquinas declinare volens, in priorem inclinauit errorem, quinque comprehendentem errores, modò numeratos.

Tex. 47. vltima particula. *Quòd ſi Lunæ, & Soli non addat aliquis, quos diximus motus: omnes ſphæræ erunt ſeptem, & quadraginta. Pluralitas itaque ſphærarum tanta ſit.* N. 22.

Obſeruatio. Vicomercatus in hac particula miratur Ariſtotelem. Addit enim duos deferentes Soli cum Calippo, duos deferentes Lunæ: quare ex tribus ab Eudoxo poſitis, & duobus additis à Calippo, erunt quinq; deferentes Solis, & quatuor reuoluentes. Ablatis duobus deferentibus à Sole, duobus à Lu-

na:

na: duobus item reuoluentibus à Sole, qui correspondent ablatis deferentibus; certè auferuntur sex orbes. Si detrahas sex à quinquaginta quinque, remanent quadraginta nouem, cum in textu dicantur quadraginta septem remanere. Hic nodus insolubilis visus est usque adeò, ut contra fidem omnium exemplarium Græcorum, Arabum, Latinorum (si Fonsecæ credimus) Petionius ausus sit transferre, *Sphæræ erunt quadraginta nouem*. Præstabat non alterare textum, sed scholium proprio nomine prænotatum ante, vel post textum apponere.

Nu.23 In re difficillima versamur, sub cuius pondere fatiscunt robustissimi proceres Peripati, Sosigenes, Porphyrius, Aphrodiseus, Simplicius, Philoponus, Vicomercatus, & alii multi. Nihil mihi arrogo, sed cum aliis periculum subeo. Ergo Aristoteles absque cunctatione approbat deferentes, ac reuoluentes assignatos post Calippum Saturno, Ioui, Marti, Mercurio, Veneri. De Sole, & Luna ambigit, videtur tamen declinare ad Eudoxum, & reiicere additos à Calippo, concludens absolutè. *Pluralitas ergo sphærarum tanta sit*. Eudoxus tres deferentes dat Soli, tres Lunæ: Calippus Soli duos, Lunæ duos apposuit: Quia verò Lunæ nulli reuoluētes subduntur, aliis subdūtur tot, quot sunt deferentes, vno minus (ut apparet) dubitatio est, an Philosophus velit auferre quatuor reuoluentes Soli additos, an duos tantùm. Nam si duos auferat falsò dicit, relinqui quadraginta septem: si quatuor, ergo falsò dicit cuilibet planetæ dandos reuoluentes, Luna excepta: nam & soli nō dabuntur.

Alexander Aphrodiseus nihil non facit, ut Aristotelem ab accusatione redimat. Affert primò responsum Sosigenis, transferentis culpam à scriptore libri in librarium rescriptorem. Hoc erit ultimum refugium: quod si aliud non aderit, nunquam deerit. Vltimoque loco afferetur in 12. met. apud Aphrodiseum.

Affert secūdò responsū. Quòd omnes reuoluentes sub Sole positi, sint resecandi. Ita quatuor reuoluentes, & duo deferentes à Sole demantur, duo deferentes à Luna: & summa orbium constat.

Affert tertiò. Quòd etiam Lunæ fuerint additi duo reuoluentes, sicuti Soli: sic enim fiet, ut binis deferentibus, binisque reuoluentibus a Sole, & Luna subtractis, de quinquaginta quinq; superfint septem, & quadraginta. Philoponus huic responso astipulatur, Simplicius, quamuis hæsitans, præcedenti.

Secundum responsum est valdè dubium. Primò, quia violatur statutus ordo, ut inter planetam, & planetam ponantur reuoluentes, qui nulli ponuntur in hoc responso inter Solem, & Lunam. Secundò, quia nulla causa est, ut auferantur ij reuoluentes, causa verò est, vt apponantur. Duo sunt fines reuoluentium, primus, vt resistāt superiori planetæ, nè rapiat inferiora: secundus, vt restituant primam sphæ- *Nu.24*

ram

ram inferioris planetæ ad eundē ſitum cum orbe fixarum. Vtraque cauſa finalis nunc militat, prima, ne Luna rapiatur a Sole, ſecunda, vt Luna rapiatur cum orbe fixarum, ergo inter Solem, & Lunam reuoluentes intererūt. Certè experimentum approbat hos fines, & medium ad fines; Luna quippè rapitur ab orbe inerrante, non ab orbe Solis.

Tertiò. Infimo planetæ tantùm negabantur ſub ſe reuoluentes; nunc aduerſus aſſerta negantur non infimo.

Quartò. Proportio ſecundi documenti non ſeruatur, nec enim ſecundum numerum deferentium ponuntur reuoluentes, vno minus. Soli remanent tres deferentes, ergo etiam duo reuoluentes oportet remanere. Duos itē aufert Ariſtoteles deferētes, ergo neceſſe eſt, vt duos reuoluentes auferat. Quæ proportio tantopere mouit Græcos expoſitores, vt non libenter audiant à Sole omnes eripi reuoluentes, & alia refugia meditētur.

Num. 25. Tertium verò reſponſum grauioribus vrgetur difficultatibus. Nam ſi Calippus præter duos deferentes Lunæ, duos cōcedāt reuoluentes: tunc inferiores planetæ non habent ſexdecim, ſed duo de viginti reuoluentes.

Nempe ſub Marte	4.
Mercurio	4.
Venere	4.
Sole	4.
Luna	2.
	18.

Falsò igitur inquit philoſophus, reuoluentes inferiorū eſſe ſexdecim, ſuperiorum eſſe ſex.

Falsò ait, omnium reuoluentium ſummam eſſe viginti duorum, nam eſſent viginti quatuor reuoluentes.

Superiorum	6.
Inferiorum	18.
	24.

Falsò tota ſumma orbium deferentium, ac reuoluentium perduceretur ad 55. nam peruenit ad 57.

Deferentes omnes	33.
Reuoluentes omnes	24.
	57.

Falsò in ſubtractione orbium octo à Sole, & Luna, dicerentur, reliqui eſſe 47. Etenim ſi abiecerimus octo orbes de 57. reſidui ſunt 49. Itaq; incidimus in Scyllam optantes vitare Charybdim.

Accedit aſſertum eſſe in textu, quòd aſtrum infimè ordinatum reuoluentes infra ſe non habet: Cur ergo illos affingamus?

Inſuper, aut nulli ſunt reuoluentes Lunæ dandi, aut iuxta decretum dandi ex ſecundo documento tot, quot ſunt Lunæ deferentes, vno minus. Quatuor ergo reuoluentes Luna eſt habitura; quòd longè probabilius dictum fuiſſet ab Alenſi, Aquinate, Aragonio, Sueſſano: tunc autem orbes fiunt 59. à quibus octo deme, & retines. 51. falsaq; eſt ſumma textus. Neq; reuoluentes omnes ſunt 22. ſed 26. Neque reuoluentes inferiorum planetarum erunt 16. ſed

20. Neque omnes planetæ numerati, sed vnus obliuioni traditus, vt Latini arbitrabantur. Vno enim inconuenienti dato, multa sequuntur, ex primo de cęlo 32. & 1. phys. 22.

Num. 26. Suessanus aliam subtractionis faciendæ rationem inuexit scribens. *Si autem Soli, & Lunæ non addiderit quis, quos diximus motus, vt potè Soli duos, & Lunæ duos: vtique quatuor eorum à 55. remouebuntur, & quod remanet erit 51. è quibus iterum subtrahe quatuor ab vnoquoque, quas addebat Calippus; & sic erunt omnes sphæræ 47.*

Aduersus hanc opinionem grauiores sunt difficultates, prima quoniam Calippus tantùm septem, deferẽtes addidit, duas Soli, duas Lunę, vnam Veneri, vnam Mercurio, vnam Marti. Suessanus verò ait ab ipso additas alias quatuor. Itaque si demas eas, quas Calippus adiecit septẽ, omnes sphæræ superstites erunt 48. non 47.

Præterea, præter Solẽ, & Lunam alii quatuor motus numerantur. Qui nam? Aristoteles in textu monet, auferendas esse sphæras additas Soli, & Lunæ: nulla de aliis errantibus mẽtio: sed omisso textu, præter Solem, & Lunam, sidera errantia sunt quinque, à quibusnam subtrahemus quatuor, cui relinquemus vnam? & cur vni potius?

Amplius. Cũ Calippus adiiciat duas deferentes Soli, addit etiã reuoluentes. Hoc idem secundum Suessanum de Luna dicatur. Item adiectis tribus deferentibus Marti, Mercurio, Veneri singulis singulas, adiunxit per consequens etiam reuoluẽtes tres, quarum summa dat 14. additas. Quas ergo ex istis auferemus, vt ex 55. fiant 47? Si autem reuoluentes nullas Lunæ donauerimus, reliquæ erunt duodecim. Si omnes à Calippo ingestas egeras: superstites erunt ex 55. solæ 43. non 47. Si non omnes, sed Soli, ac Lunæ adiectas, sex auferuntur, vt Græci notant. Profectò sententia præcedens minoribus incommodis, quàm ista vexatur.

Num. 27. Ego verò, si velimus in cæteris expositionem ab aliis datam sustinere; repeto finem, gratia cuius dantur reuoluentes superiori planetæ, nempe dantur in gratiam inferioris, vt prima sphęra inferioris proximi restituatur in locum suum, atque vt motus superioris planetæ nõ rapiat inferiorem; quod cum in Luna non fiat, neque enim ipsa motu Solis rapitur, vt experimento constat, necessarium videtur supra Lunam infra Solẽ ponere aliquas restituentes, seù reuoluentes, quemadmodum aduersus priorem dixi modum. Insuper quia ex fine sumitur necessitas mediorum, consequens est, vt posita causa finali, ponatur id, quod est gratia ipsius finis; sublata causa finali, auferatur & illud, quod gratia finis comparabatur. Aufer igitur à Luna duos orbes deferẽtes, cõfestim remoue duos restituẽtes Lunam, & reuoluentes Solem. Remoue deinceps duos deferẽtes à Sole, cõtinuò remoue quo-

que

que duos reſtituentes Solem, qui & reuoluunt Venerẽ, quia tunc Sol non eget tot reſtituentibus, neque Luna. Hoc pacto auferuntur fines, & lationes ordinatæ ad finem, ſuntque cum quatuor deferentibus à Sole, & Luna ablatis, ablati quatuor reſtituentes Solem, & Lunam, qui ſunt reuoluentes duo Solis, duo Veneris. Quo facto, detractis octo de 55. remanent 47. orbes, ſicuti textus docet.

Hoc modo refulget pulcher ordo in conſtitutione orbium. Sicut enim deſcendendo à Ioue ad Martem, tres reuoluentes ſub Ioue ſunt, qui reſtituunt quinq; deferentes Martis; ſic aſcendẽdo à Sole ad Venerem duæ ſphęræ ſupra Solem reſtituunt Solẽ, & reuoluunt Venerem. Compenſatque natura, & adæquat numerum. Quemadmodum.n. Ariſtoteles in pari cauſa 2. de cælo 69. plura aſtra vni motui, plures motus vni aſtro datis, aſſerit naturam exæquare motus. Ita in re noſtra deprehendes.

Accipe tres orbes reuoluẽtes Iouis ad reſtituendum quinque deferentes Martis: accipe duos reuoluentes Veneris ad reſtituẽdos tres Solis deferentes. Summa fit quinque reuoluentium. Accipe deinde duos deferentes in Marte, qui excedunt: tres deferentes in Venere, qui etiam excedunt. Sũma exurgit quinque deferentium. Exæquantur ergo quodammodo illi reuoluẽtes cum his deferentibus; atque ordine miro à duobus ſuperioribus deſcendendo ad tertium, fit exceſſus, nam tres reſtituunt quinque: ab inferioribus aſcendendo ad tertium, fit defectus; nam duo reuoluunt quinque. Rectè in 2. de partibus animal. cap. 14. cap. 1138. *Vbique enim natura, quod aliunde dempſerit, reddere ad aliam partem ſolet.*

Dices hoc modo perturbari ſecundum documentũ, eo quòd poſt Venerem non erunt reuoluentes, vno minus deferentibus; ſed ductus.

Reſpondetur ita eſſe: quando enim illud ponitur documentũ, integra ſumitur Calippi opinio; quando autem negatur concluſio, negatur etiam aliqua præmiſſarum. Cum ergo Ariſtot. contra Calippi ſententiam, quatuor deferẽtes duos à Sole, duos à Luna reſecet, conſequens eſt, vt inter Venerem, & Solem illud documentum ceſſet. Neq; ſemper eadem ratio ſeruetur aſcendendo, ſicut nec obſeruatur deſcendendo, tametſi ſeruetur concinna proportio aſcenſus, ac deſcenſus prænarrata. Hoc modo fortè poteſt ab errore tertio Ariſtoteles abſolui.

Propria expoſitio ſuperius promiſſa. Cap. VII.

DEnique arbitror aliam iniri poſſe viam huius exoluendæ difficultatis. Ea quidem aperitur via ex obſeruatis in textu 47. numerationibus duabus, vna deferentium cum Calippo, altera reuoluentium. Etenim in prima enumeratione duas partes facit, primò recenſet ſupremorum errantiũ deferentes à ſupremo deſcen- N. 28.

dens, nempe à Saturno ad Iouē: secundò inferiorum diuagantiū apponit deferētes, incipiens ab infimis Sole, & Luna, mox scādens ad cateros tres, Venerem, Mercurium, Martem. Textum relegamus. *Pluralitatem autem stellæ Iouis, ac Saturni eandem illi attribuebat: Solis verò, ac Lunæ duas adhuc putabat sphæras addēdas esse, cæteris verò errantium vnicuique vnam.* Hæc de deferentibus. Quare sunt superiorum Saturni, & Iouis deferentes octo ——— 8.
Inferiorum Lunæ, Solis, Veneris, Mercurii, Mart. 25.

33.

Pariter quando referat orbes reuoluentes iuxta deferētes à Calippo præscriptos, prius referat duorum supremorum sex reuoluentes correspondentes octo deferentibus. Dehinc ab inferioribus incohat, & ostendit Lunam non habere post se reuoluentes, alios autem quatuor inferiores assecutos esse sexdecim reuoluentes, annexos viginti eorum deferentibus.

Propterea sunt superiorum Saturni, & Iouis reuoluentes 6.
Lunę nulli. Solis, Veneris, Mercurii, Martis —— 16.

22.

Succedat textus. *Cum igitur in quibus ipsa quidem feruntur sphæris, hæ quidem octo, hæ verò viginti quinque sint: horum sanè illas solas non oportet reuolui, in quibus fertur, quod infimè ordinatum est. Quæ quidem duarum primarum sphæras reuoluunt, sex erunt: quæ verò posteriorum quatuor sexdecim;* Qua obseruatione excitor, vt dicam, quoniam supremus planeratum non habet supra se reuoluentes, seu restituentes, neq; infimus sub se; idcirco in sumendis reuoluentibus ab extremis gubernandæ sunt media, ordoque oppositus est seruandus, descendendo vsq; ad Iouem, ascendendo vsque ad Martem. Itaque in supremis planetis reuoluentes tot dandi sunt, quot sunt deferentes superioris planetæ; vt puta sub Saturno tot reuoluentes, quot sunt Saturni deferentes, vno minus: sub Ioue tot reuoluentes, quot sunt Iouis deferentes vno minus. At in planetis inferioribus ascendendo oppositum seruetur, tot nempe dantur supra inferiorem reuoluentes, quot sunt inferioris proximi deferentes, vno minus. Quia igitur Lunæ sunt quinque deferentes, supra Lunam erunt quatuor reuoluentes Solem. Soli habet quinque deferentes, supra se habeat quatuor Venerem reuoluentes. Venus quinque obtinet deferentes, obtineat ergo quatuor Mercurium reuolnentes. Mercurius item pro quinq; deferētibus quatuor supra se posuit reuoluētes Martē. In Marte desinet ordo ab inferioribus; in Ioue ordo à superioribus. Vnde inferior superiori accommodatur, & sub Ioue, supra Martem sunt soli tres reuoluentes Iouis. Hæc expositio omnes omnino eliminat difficultates, & facillima est. Sic positi sunt deferentes octo, & 25. Reuoluentes 6. & 16.

16. quorum orbium numerus eſt numerus quinquaginta quinque.

Nunc ad Ariſtotelis iudicium accedamus, nec enim prorſus Calippo acquieſcit, dum Soli, & Lunæ annectit quatuor deferentes. Quare iis abiectis de ſumma, cum quatuor reuoluentibus duobus ſupra Lunam, duobus ſupra Solem: reſidui ſunt ex 55. orbes 47. nec tantillus quidem error incurritur.

Num. 29. Confirmabitur expoſitio data, ſi reddamus cauſam, propter quam Ariſtoteles non vult in Sole, & Luna tot deferentes. Etenim in libro 2. de cælo 60. ponit in primo fixatum orbe vnum motum, in Saturno, & Ioue plures, in Sole, & Luna plures quidem, ſed pauciores, quàm in ſuperioribus planetis. Ratio autem videbatur poſtulare, vt ab vnitate procedendo, ſemper ad maiorem pluralitatẽ eſſet progreſſus. Huius rei rationem quãdam moralem Philoſophus diffusè aperit uſq; ad tex. 66. Quæ cum ita ſint, meritò Ariſtoteles non vult in Luna, & Sole tot deferentes, quot in Venere, Mercurio, Marte; nam intermedia errantia pluribus mouentur motibus ſecundum atteſtationẽ ab Aegyptiis, & Babyloniis receptam. Ergo plures debẽtur orbes intermediis, quàm imis errantium. Si autem pauciores dantur Lunæ, ac Soli deferentes, pauciores quoque reuoluentes ſupra Lunam, & Solem dari oportet. Sic enim conſentanea ſcribit in 12. ſupra naturalium ad ſcripta de cælo in naturalibus. Quamobrẽ ſublato hac in re ordine poſito per Calippum, proprius ordo ex Ariſtotelis inuentu erit, vt Luna tribus deferentibus potiatur, duobusque ſupra ſe reuoluentibus Solem. Rurſum Sol tribus deferentibus ſit contentus, ac ſupra ſe duobus reuoluentibus Venerem. Sic infimi planetæ pancioribus motibus, ſupremus orbis vno: intermedii pluribus mouebuntur: Saturnus, & Iupiter ferè totidem inter ſe, tardiùs Saturnus, celeriùs Iupiter: Mars, Mercurius, Venus pluribus, quàm ſuperiores, & pluribus, quàm inferiores; vt meritò his tribus plures dentur deferentes, ac reuoluentes.

Suffragatur alia ratio, quia reuoluentes dantur ad reſiſtendum deferentibus planetæ ſuperioris, non tàm gratia ſuperioris, quàm gratia inferioris: vt inferioris planetæ orbes in ſuum locum reſtituantur, præcipuè primus orbis planetæ ſubdi ti reſtitui debet. At Soli dantur tantummodo orbes deferentes, ergo non indiget, niſi duobus reſtituentibus duos deferentes ſolares primum, & ſecundum; ſi quidem non datur aliquis reuoluens ad reſtituendum orbẽ aſtriferum. Itaque fruſtra Venus haberet quatuor reſtituentes, cum duo ſufficiant pro reſtituendis duobus deferentibus Solis. Inſuper & contra fas eſſet, vt aſtrifer Solis haberet reſtituentem, cum hoc in nullo planeta concedatur; neque ratio eſt, cur in Sole concederetur

Num. 30.

vel vnus, vel potius duo restituentes astriferum Solis. Sicut ergo tres reuoluentes Ioui sufficiunt ad restituendos quatuor orbes deferentes Martis (nam quintus vacat reuoluente) Ita multò magis duo reuoluentes Veneris satis erunt ad restituēdos duos deferentes Solis.

Tandem hoc modo saluatur apparentia, qua videmus Solē non multum recedere à Venere, & Mercurio: nam ad hanc seruandam dictum est in textu, quòd Mercurius, & Venus habent eosdem polos, & numerū æqualem deferentium. Ad hāc saluandam pauciores ponuntur reuoluentes sub Venere, qui restituant Solē, ergo Sol à superioribus duobus impeditur, ne multum ab eis recedere valeat. Atque hæc sunt, quæ pro Aristotele defendēdo ab erroribus inustis, in mentem venerunt.

N. 31. Cum autem superius ad num. 20. Calippi constitutionem ob oculos posuerim, in qua 55. numerantur orbes: proficuum foro arbitror, si & postremo loco approbatam ab Aristotele constitutionem vnico sub obtutu cernendam obtulero, cum subtractione quatuor deferentiū Soli, & Lunæ à Calippo adiunctorum, nec non, & cum reiectione quatuor restituentium, seu reuoluentium: idem quippe orbis, & reuoluens est, & restituens.

Ergo in superioribus planetis duobus, Aristoteles ita statuit.

Saturni deferentes	4.
reuoluentes	3.
Iouis deferentes	4.
reuoluentes	3.
	14.

In inferioribus Aristoteles variat à precedenti constitutione; incipit ille quidem ab infimo, sed nos connumerādo proponemus ordinatè, lector ascendat contemplando.

Martis deferentes	5.	
reuoluentes	4.	
Mercurij deferentes	5.	
reuoluentes	4.	
Veneris deferentes	5.	
reuoluentes	2.	Duæ restituētes Solē detractę sūt.
Solis deferentes	3.	Duę deferentes Solem reiectæ.
reuoluentes	2.	Duę restituētes Lunam succisæ.
Lunæ deferentes	3.	Duæ deferentes Lunam abiectæ.
	33.	

Componito summam ex 33. & 14. sunt quadraginta & septem.

Sic

Digitized by Google

Sic ſuperiores —— 14.
inferiores —— 33.
47.

Neque potuit Ariſtoteles, aut quiuis alius Archimedes numerare exactiùs.

Nunc applicemus numerum orbium mobilium ad numerũ ſubſtantiarum immobilium, ſed mouentium. Statuti ſunt orbes, cõnumerãdo deferentes, & reuoluentes, 47 pro errantibus: vnus pro ſtellis fixis; ergo ad ſummam octo, & quadraginta orbes mobiles ſunt in cælo; quare & octo ſuper quadraginta ſunt ſubſtantiæ immobiles, tanquam motrices orbibus determinatis applicatæ, vt ſit adæquatio mouentis, & mobilis. Super omnes præſidet primum omnium mouẽs immobile tùm per ſe, tùm per accidens. Hoc primum mouens nulli orbi eſt alligatum, ſed omnino eſt actus & quodquid erat eſſe ſine materia: eſt infinitæ potentiæ, cuius virtute reliqua omnia mouent, vel quietant: & hoc eſt vnum ratione, & numero ex 12. met. 49. Quia verò numerus ſeptenarius eſt numerus immobilitatis iuxta Pythagoreos: multiplicatus uerò per ſe ipſum cõſtituit numerum 49. pulchrè radix immobilitatis in 49. ſubtilãrias immobiles excreſcit. Pluralitas itaque tũ mobilium principiorum, tùm mouentium hæc ſit ad mentem Ariſtotelis. N. 32.

§§§§§
§

VESTIGATIO PERIPATETICA SEXTA.

LIBER PRIMVS.

De forma ſeparabili

Formam ſeparabilem non phyſicæ, ſed metaphyſicæ eſſe ſpeculationis. Caput I.

Nu. 1. FOrmam ſeparabilem primo philoſopho, non ſecundo, ideſt metaphyſico, nõ phyſico eſſe conſiderandam, cumulatè docuit præſtantiſſimus philoſophorum, Ariſtoteles in 6. met. textibus 2. & 3. in 11. met. ſum. 3. cap. 1. in 1. de anima 16. & 17. in 2. phyſ. 18. & 19. atque aliis locis. Quocirca in primo de part. animal. cap. 1. ſcriptum reliquit. *Rem à materia abſtractam nullam poteſt ſcientia naturalis contemplari: cum natura rei alicuius gratia faciat omnia. Rebus autem abſtractis abiunctum eſt id, quod ſub hoc cuius gratia verbo intelligimus*, Neque rationem transiliuit Ariſtoteles. Etenim à modo, & ratione definiendi ſumendus eſt modus conſiderandi. Bifariam autem definitur quippiam, vel *vt ſimum*, vel *vt concauum*. Simum cum materia ſenſibili definitur, nam ſimum eſt naſus concauus: concauum autem abſque materia ſenſibili aſſignatur, teſte Philoſopho in 6. met. 2. & 11. met. ſum. 3. c. 1. atq. 2. phyſ. 19. Naturales autẽ definitiones ſunt ſemper cum materia ſenſibili, & motu, prout eiſdem in locis affirmatum eſt, & in 1. de anima 16 17. 18. & inductione conſiterit, ſi quis tentet aſſignare definitiones naſi, oculi, facici, carnis, oſſis, & omnino animalis: folii, radicis, corticis, & omnino plantæ: nullius enim eorum ratio formalis eſt ſine motu, aut materia ſenſili. Quamobrem phyſicus omnes formas vel paſſiones materiæ non ſeparabiles, vel non inquantũ ſeparabiles rimabitur. Hinc exorta eſt famoſa diſtinctio; quę ſunt formæ re, & ratione concretæ cum materia, hæ phyſici ſunt: quæ re coniunctæ, ratione abiunctæ, ſunt mathematici: quæ autem re, & ratione ſunt ſeparabiles, vel ſeparatæ, ſunt primi philoſophi. Famoſa diſtinctio à famigerato excerpta philoſopho in 6. met. 2. in 11. met. loco laudato, in 1. de anima 17. Quare non immeritò notantur in 2. phyſ. 19. Idearum authores, eò quòd ſepararent res

phy-

phyſicas magis, cum minùs eſſent ſeparatæ, quàm ſint mathematicę.

Num. 2. Quæ cum ita ſint, mirabitur quiſpiam ſummopere, cur inter Peripateticos phyſici fere pleniſſimè de forma ſeparabili, an ſit nec ne, quæ ſit, quomodo ſe habeat, & quid ſit, tractent. Metaphyſici verò, quorum ex officio intereſt hoc fungi munere, aridiſſimi penè ſint. Vt enim iniuſtum eſt in alienam poſſeſſionem inuadere: ita indiligentis eſt propriam non tueri, & colere. Neque ſine veritatis iactura de genere in genus tranſcenditur.

Pythagorei in mathematicis enutriti, principia numerorum phyſicis perperam applicabant, prout in 2. de cęlo 72. atque 1. met. ſum. 2. cap. 3. Platonici aſſueti rationibus logicis, logicè etiam phyſica tractabant ex 1. de gener. 8. & 12. met. 4. quos ideò locis relatis philoſophus corripuit. Ita verendum eſt, ne phyſici vel ſemper, vel frequenter formas inſeparabiles, & caducas contemplantes, hallucinentur in veſtigatione formę ſeparabilis, ac ſeparatæ. Sanè nõnulli animas cęlis ab Ariſtotele aſſignatas in 2. de cęlo 13. & 61. perpetuas faciunt, ſed inſeparabiles: quaſi forma ſubſtantialis perpetua eſſe poſſit, ſed inſeparabilis. Alii formas omnes inſeparabiles ponunt; illi corruptibiles formas, ſed ſeparabiles: denique & hinc fortè dixeris animam rationalem quibuſdam videri inſeparabilem, & corruptibilem; quia qualis quiſque eſt, talia credit, & iudicat: phyſicus omnia eſſe phyſica exactè, credit. Probè ex Ariſtotele in 2. diuinorum cap. poſtremo; Ea credimus, & audimus libentiſſimè, quæ audire, & credere conſueuimus. Eapropter videmus plures medicorũ, qui, quòd ſemper corpus morbis, & morti deuotũ perpendant, non poſſunt mentem attollere, & conſpicere animam eſſe aliud, quàm temperamentum corporis; in quam opinionem Alexander Aphrodiſeus quoque manibus, & pedibus iuit, qui animam ex primarum qualitatum mixtura, ac temperie exurgere aſſeuerauit. Metaphyſici ergo, quod proprium eſt eis, ſibi vendicent, neque ſutoribus ultra crepidã, aſſurgere permittant: neque ancillas ſcientias, 3. met. 3. in dominantem rebelles, vel inſurgentes tolerent. Nos quoque Metaphyſices, quanquam tantæ philoſophiæ impares, profeſſi: hanc de ſeparabili forma veſtigationem ad vmbilicum adducere tentabimus. Licet rei iam viginti ſęculis in Peripato exquiſitæ, vix quicquam addere valeamus: imò in hac idẽtidem repetendum illud ſit. *Nihil dictum, quod non ſit dictum prius.*

Nullus enim textus Ariſtotelis, vel ratio ex textu elicita eſſe poteſt, quæ non fuerint expenſa, cribrata, ac centies euentilata. Sed cum plurimi hanc incudem tutuderint hactenus, nobis probro non erit, ſi cum aliis tundere malimus, quàm otioſi ſtertere.

Porrò

Nu. 3. Porrò hic erit nobis ordo propositus, qui Aristoteli 1. post. cap. 3. vt primò vniuersales contrarias disputemus, nempè has, omnis forma est separabilis, nulla forma est separabilis; sicut ille disquirit, an omnium sit demonstratio, an nullorum sit demonstratio. Mox ad particulares contradictorias descendit, docens, quorundam esse, quorundam non esse demonstrationes. Ita nos, examinatis vniuersalibus per excursionem quandam, considerabimus particulares has, quædam forma est separabilis, quædam non est. Exordiamur itaque, atque probemus, *Omnem formam substantialem, quantum est ex se esse separabilem à materia, & sempiternam, atque incorruptibilem.*

Omnem formam substantialem esse separabilem, & perennem.
Cap. II.

Nu. 4. OPortunum videtur annotare, quòd forma substantialis considerari potest vel secundum esse perfectum, vel secundum se precisè. Tunc forma dicitur habere esse perfectum, & perfectam actualitatem, quando habet accidentia sibi conuenientia, quæ sunt instrumenta formæ substantialis in agendo, & patiendo: quibus etiam accidentibus iuncta sensui est peruia, sine quibus non est sensui conspicua. Forma verò secundum se consideratur, præcisè secundum suum esse substantiale, nullo spectato accidente comite. Si ergo forma secundum se accipiatur, dicetur omnis forma substantialis, quantum est ex se, esse sempiterna, & separabilis à materia.

Si secundo modo forma substãtialis attendatur, non semper est, sed statuto quodam tempore ad actum, & esse perfectum reducitur ex imperfecto statu: vbi verò potita est perfectione, rursus per corruptionem compositi reducitur ad statum imperfectum. Hoc posito, quod probatum est iis Peripateticis, & quidem præcellentibus, qui formarum incohationes in materia, coæuas materiæ tuentur, probemus vniuersalem affirmatiuam illam, omnis forma substantialis est separabilis, atque æterna.

Primùm. Aristot. in 5. met. tex. 15. docens, quòd vocabulũ substantia accipitur pro forma, declarat, de qua forma nomen substantiæ vsurpetur, dicens substantiam dici. *Et id, quod, cum quod quid sit, etiam separabile fuerit: tale verò cuiusque forma, & species.* In 7. met. 8. comparantur materia, forma, compositũ, vt agnoscatur, quænam horum sit substantia, & magis substantia, ait autem. *Ex his itaq; speculantibus accidit, substantiam esse materiam. At impossibile est. Etenim separabile, & quod quid videmus maximè inesse substantiæ, propter quod forma, & quod ex ambobus substantia videtur magis esse, quam materia.* Si itaque forma, ideò est substantia, & magis substantia,

tia, quàm materia, quia forma eſt ſeparabilis, ſatis vera eſt cõcluſio, quam probamus. Nam hæc differentia inter formam, & materiam eſt vniuerſalis, ſcilicet quòd forma eſt magis ſubſtantia: ergo & ratio huius differentiæ, nempè ſeparabilitas vniuerſalis eſſe debet, vt cauſæ, & effectus æquentur. Denique in 12. met. 26. *Actus nanq; eſt forma, ſi ſeparabilis ſit: & quod ex ambobus &c.* quibus ex authoritatibus quatuor obſeruo, primò in his Philoſophum loqui de forma communiſſimè, & metaphyſico ritu, non de forma aliqua ſpecialiſſima. Secundò quia ſeparabile ratione etiã à mathematico expenditur, cum hic ſermonem metaphyſicum habeat, ſeparabilitas metaphyſica videtur accipienda, ſcilicet rei, & rationis. Tertiò, quia ponitur differentia inter materiã, & formam, atque ſeparabilitas magis attribuitur formæ: ſanè materia ratione, & re eſt à ſingulis formis ſeparabilis, ergo & forma omnis hoc pacto erit ſeparabilis. Quartò, in 12. met. & 5. met. diſcriminantur forma ſubſtantialis, & accidentalis, atque ſubſtantialis affirmatur ſeparabilis, accidentalis minimè. Si formam accidentalem ratione, & ſecundum quid ſeparabilem eſſe negas, profectò mathematicam abſtractionem denegas. Igitur ſeparabilem re, & ſimpliciter concedere debes omnem formam ſubſtantialem, qui fateris formam accidentalẽ non eſſe re, ac ſimpliciter ſeparabilem. Probatur conſequentia, quoniam illa ſeparabilitas conceditur formæ ſubſtantiali, quæ negatur accidentali, & è conuerſo in citatis locis.

Secundò ex 7. met. 4. & 12. met. 3. diſcimus eſſe differentiã inter formam ſubſtãtialem, atq; accidentalem, quòd nullum accidens eſt ſeparabile, ſubſtantia eſt ſeparabilis: quæ differentia, ſi eſt vniuerſalis, & benè aſſignata, concludit, quòd omnis ſubſtantia eſt ſeparabilis; atqui forma ſubſtantialis eſt ſubſtantia, ergo omnis forma ſubſtantialis eſt ſeparabilis; nimirum eo ſeparationis genere, quod formæ accidentariæ non congruit: tale eſt ſeparabile eſſe re, nam ſeparabile eſſe ratione commune eſt ſubſtantiæ, & accidenti; at accidens, & ſubſtantia non diſcriminantur in ea ſeparabilitate, quæ eſt eis communis.

Tertiò, in 8. metaph. tex. 8. violentiſſimè id conficitur, dum Ariſtot. diſſerit de ſubſtantia, quæ eſt forma. *Neceſſe eſt*, inquit, *aut ſempiternam hanc eſſe, aut corruptibilem, abſq; eo, quòd corrumpatur, & factam eſſe abſq; eo, quòd fiat. Oſtenſum autem eſt, & declaratum in aliis, quòd formam nullus facit, neq; generat: ſed efficitur hoc, ſit autem quod ex his. Si verò corruptibilium ſubſtantiæ ſunt ſeparatæ, nondum eſt manifeſtum: attamen quod quorundam non contingit, patet, vt ea, quæ non poſſunt, præter particularia eſſe, vt domum, aut vas. Fortaſſe igitur nec ſubſtãtiæ ſunt hæc ipſa, nec aliorum quicquam, quæcunque non natura conſtituunt.* In hac authoritate ob- *Num. 6.*

ſerua primam partem, in qua talem diſiunctiuam facit Philoſophus. Neceſſe eſt formam ſubſtantialem, aut eſſe ſempiternam, aut eſſe corruptibilẽ abſque eo, quod corrumpatur: & eſſe factam, abſq; eo quod fiat. Sed pars ſecunda huius diſiunctiuæ eſt ſimpliciter falſa, nempe vt aliquid ſit factum abſque fieri, & corruptum abſque corrumpi: ergo prima pars eſt vera, dicens omnem formam ſubſtantialem eſſe ſempiternam. Poſſes reſpondere, illam diſiunctiuam non eſſe ſufficientem, nam primò forma non eſt ſempiterna, ſecundò non generatur ſine generatione, ſed tertiò verum eſſe, quòd forma generatur, ſed generatione. Contra inſurgit Ariſtoteles in ſecunda parte dicẽs, oſtenſum eſſe alibi, quòd nullus facit formã, quodque forma non fit. Recte ait, nam hoc demonſtrauit in 7. met à 26. ad 32, vt mox dicam. Cõpoſitum ergo fit, forma non fit, niſi fiat ſine fieri, & corrumpatur ſine corrumpi.

Enaſcitur tertio loco dubitatio, quaſi formæ corruptibiliũ ſeparatæ exiſtant (non ſcribit ſeparabiles) quod Platonicum eſt. Reſpondet clarum eſſe de quibuſdam formis corruptibilium, quòd non ſunt ſeparatæ, vti de forma vaſis, & domus. Statimque corrigens ſe, ait, iſtas formas domus, & vaſis, non eſſe ſubſtantiales, quia neque ſunt naturales, nam ſola natura in rebus corruptibilibus eſt ſubſtantia. Relinquit igitur indeciſum de formis ſubſtãtialibus, an ſint ſeparatæ. Satis tamen eſſe indicat ad reiectionem Platonis, ſi formæ accidentales nõ ſint ſeparatæ, de quibus tamen habentur definitiones, ac ſcientiæ. Conſpicitur ex hac authoritate, formam ſubſtantialem omnem eſſe ſempiternam, ingenerabilem, incorruptibilem, atque ideò ſeparabilem, & ſi nõ conſtet eſſe ſeparatam.

Quartò, Ariſtoteles in 12. met 12. ac in 7. met. 26. 27 32. textibus demonſtrat materiam, & formam non fieri. Si nanque forma fiat, atque omne quod fit, fit ex materia, & forma: ergo forma fiet ex alia forma, & materia ex alia materia in infinitum. Ita philoſophus. Collige hinc formam non fieri, niſi ſecundum accidens: ſi igitur accidentia conſequentia formã fient, forma dicetur fieri: ſi nõ fiant, non dicetur fieri. Quia verò ſimili, vel eodem argumẽto in primo phyſ. tex. 82. concluſum eſt, materiam non eſſe generabilem, aut corruptibilem; ob id plerique omnes inferunt, materiam eſſe perennẽ, etſi compoſita oriantur, & occidant: æquum eſt, de forma quoque aſſerere, eam eſſe perẽnem, cum vtrobique eadem ſit concluſa ingenerabilitas, & eadem demonſtratione. *Nu. 7.*

Quintò, in primo de anima tex. 12. ac 13. traditur; ſi forma habeat propriũ opus, in quo nõ communicat cum habente corpore, formam ſeparari poſſe a materia. Nunc autem omnis forma ſubſtantialis habet opus proprium, in quo materia non com- *Nu. 8.*

communicat; cum in 2. de ortu & interitu 53. dicatur materiæ proprium eſſe pati, & recipere, agere autem alterius potentiæ, ſcilicet formæ. Atque in primo met. ſum. 2. cap. 2. apertiſſimè traditur, materiam non poſſe ſeipſam tranſmutare; quapropter forma agit, materia nullatenus agit, ergo non communicat in proprio opere ipſius formæ.

Num. 9. Sextò, corruptibile, & incorruptibile ad calcem 10. met. cap. vlt. affirmantur eſſe contraria, & genere diuerſa, ne dum ſpecie; contraria per accidens, vt ibidem dicitur, poſſunt eſſe in eodem ſingulari, non ſimul, vt in Sorte album, & nigrum: at in eadem ſpecie poſſunt ſimul eſſe, vt homo eſt albus, & niger. Contraria per ſe non valent eſſe in eodem ſingulari, neque in eadem ſpecie, qualia ſunt corruptibile, & incorruptibile. Amplius vnum contrarium nequit pati, & recipere alterum contrarium, ſicut neque vnum eſt natum afficere alterum; dēſitas nanque non poteſt recipere raritatem, neque formaliter afficere primo phyſ. 51. item 12. met. 6. & 2. de gener. & corr. 5. Itaque ſi materia eſt incorruptibilis, & forma ſubſtantialis eſt corruptibilis, protinus vnum contrarium per ſe eſt ſubiectum receptiuum alterius contrarii, & duo contraria per ſe, vti corruptibile, & incorruptibile, ſimul fœdere inito manent: quod eſt inconueniens, ne dicam impoſſibile. Impoſſibile igitur eſt formam ſubſtantialem corrumpi, aut non eſſe ſeparabilē. *N. 10.*

Septimò. Si forma ſubſtantialis eſſet corruptibilis, inſeparabiliſque, ergo forma contrarium poſitiuum habet, quòd eſt abſurdum. Conſequentia deducitur, quoniam omne, quod corrumpitur, corrumpitur à contrario ex primo phyſ. 47. & 1. de cælo 20. & 1. de gē. 52. Neque oppoſitum priuatiuum ſatis eſt ad formam deſtruendam, cum priuatio ſit nō ens, quæ nihil facit, aut deſtruit. Conſequens eſſe abſurdum, nemo non nouit, qui ſciat, ſubſtantiæ nihil eſſe contrariū. Si autem accidens connexum formę ſubſtantiali pereat à cōtrario valentiore peremptum: ſubſtantia non peribit, tùm quia accidēs deſtruens non habet contrarietatem cum ſubſtantia; eſſet nanque accidenti deſtruenti duplex contrariū, forma, & accidens eam conſequens; at vnum vni contrarium eſt, ex primo de cælo 10. & 10. met. 14. De ſubiecto igitur pellitur, atque deſtruitur accidēs à contrario: forma ſubſtantialis contrario vacat, ob id neque pellitur, neque deſtruitur, ſed ſecundum ſuum eſſe præciſum ſemper ſuperſtes erit. Tùm etiam maxime, quia ſubſtantia à toto genere eſt valentior accidente, quare accidens contrarium, in ſubſtantia oppugnanda, præualere non valet.

N. 10. Omne corruptibile habet contrarium: nulla forma ſubſtantialis habet contrarium, ergo nulla eſt corruptibilis.

Octauò. Materia ideò à contrariis non deſtruitur vnquam, quia nulli eſt contraria: ſed neque forma vlli eſt contraria, nō *N. 11.*

igitur forma destruetur vnquã. Item omne compositum, quæ substantiale est, semper erit, scilicet in esse imperfecto, & inchoato; quod enim est indifferens ad ambo oppositа recipienda, neutri opponitur, & à neutro oppositorum læditur. Substantia verò quælibet, cum sui mutatione, est contrariorum susceptiua, ergo ab utroq; contrario recepto differt, & à neutro offenditur. An dices ratione connexus substantiæ cum accidente prouenire formæ interitum? propterea quod omnis substantia flagitet certa quædã accidentia, quibus desinentibus desinat ipsa.

Primò, id gratis proponitur. Forma quidem postulat accidentia quædam ad completam actualitatem suam, & secundũ accidens: secundum se non postulat, quoniam substantia est separabilis, & quoniam omne absolutum prius essentialiter, independens à posteriori, potest esse sine posteriori: talis verò est substantia, si comparetur ad quodcunque accidens.

Secundò, ad destructionem minus necessarii, non destruitur magis necessarium; at forma substantialis est magis necessaria, accidentalis minus: cum accidens pendeat in essendo à substantia, non è contra.

Tertiò, Prius essentialiter ad sui esse non poscit posterius essẽtialiter: alioqui nulla esset causa, quæ præcederet effectũ tẽpore, quod aduersatur & experientiæ, & Philosopho in 2. post. 58.

Nonò, materia prima æterna est, ergo & forma omnis. Connexum probo, quia forma magis participat de esse diuino, vnde & primo phys. 81.. formã bonum diuinum, appetibileq; nuncupatur: materia verò tanquam indiga, appetit formam ceu bonum diuinum. Atqui æternitas est præclara Dei dignitas, per quam Deus definitur, seu describitur in 12 met. 39. Deus enim est optimum, & sẽpiternum viuens. Aeternitatis quoque participatio est finis omnium agentium secundorũ, si omnia agunt, vt ipso semper & diuino participent. 2. de anima 34. & 37. Si igitur materia semper est, forma non semper, tunc magis accedit ad ipsum esse diuinum, & sempiternum materia, quàm forma. At quod perfectiori est similius, atque vicinius, est melius, atque perfectius: id quod ex ratione primi secundum perfectionem constat: quod enim primo est propinquius, magis participat rationem illius primi: constat etiam per 3. topic. locis 32. & 33. neque instantiæ illic positæ nobis obesse videntur. *Num.* 12.

Decimò. His astipulatur eiusdem 3. Topicorũ locus primus. *Quod*, inquit, *est diuturnius, & stabilius, hoc melius*. Probè Aristot. in 2. de gener. animal. cap. 1. ait. *esse, quam non esse, & viuere, quàm non viuere melius*. Ergo & semper esse melius, quàm non semper esse. Nemoque est hominum, qui, cæteris paribus, non malit esse, & viuere mille annos, quàm cum pisce ephemero, ex 1. de hist. animal. c. 5. *Num.* 13.

aut

aut cum auibus quadrupedibus ad Hypanim ex 5. de hiſt. ca. 19. diem vnicum eſſe, & viuere. Profectò, ſi materia ſemper eſt, forma non ſemper: cur materia non ſit melior ſimpliciter in ſemper eſſendo, non videris, niſi forſan in aliquo accidente.

Num. 14. Vndecimò, Si forma ſubſtantialis accedat ad materiam, & ab ea recedat abſque ortu, & interitu materiæ, cum ipſiuſmet formæ ortu, & interitu: forma ſubſtantialis, & accidentalis re, & ratione eędem erunt, nomine diſcrepantes. Quid enim eſt accidens? *Accidens eſt*, inquit Porphyrius, *quod adeſt, et abeſt ſubiecto, præter ſubiecti corruptionem*, & Ariſtot. 1. Topic. c. 4. *Accidens eſt, quod contingit eidem ineſſe, & non ineſſe*. Si autem forma ſubſtãtialis incipiat, ac deſinat eſſe, planè adeſt, & abeſt ſubiecto ſuo, præter ſubiecti, ideſt materiæ corruptionem: planè contingit formam eidem ſubiecto ineſſe, & non ineſſe. Quare eadem tota definitio congruit etiam illi formæ, quæ nomine tenus appellatur ſubſtantialis. Nam quod aiunt nonnulli, ſubiectum accidentis in actu priori ſimpliciter eſſe oportere, vnde prius in materia recipitur forma ſubſtantialis, quàm accidentalis. Hoc voluntariè dicunt, neque enim in definitionibus accidentis ea cõditio eſt repoſita; & item materia prima nuncupata eſt ſubiectum in 1. phyſ. 82. atque in 1. de gener. 24. quare optimè accipitur per nomen ſubiecti. Sed & duabus illud effugium difficultatibus patet, nam quia forma animæ corporis formam organici præſupponit, anima non erit forma ſubſtantialis, aduenit enim & abſcedit à ſubiecto exiſtente in actu ſecundum formam ſubſtantialem. Item materia refertur ad agens relatione reali, omne enim paſſiuum reale ad actiuum realiter refertur, lege 3. phyſ. 3. & 5. met. 20. materia verò eſt in potẽtia paſſiua, & actu patitur ab agẽte introducti uo, vel introducente formã. Materia itẽ eſt ſubiectũ generationis, quæ eſt via in formã 2. phyſ. 14. ergo illa relatio potẽtiæ paſſiuæ, paſſionis, mutatio ipſa, sũt accidentia realia, quæ immediatè recipiuntur in materiam. Quare non eſt de ratione accidentis, quatenus huiuſmodi, præſupponere materiã ſub forma ſubſtantiali: ſed hæc eſt cõditio cuiuſdam accidentis, quod modò exquirere nihil attinet.

Num. 15. Duodecimo & poſtremò, Perfectum eſt prius imperfecto iuta 1. de cęlo textum 10. qua propoſitione princeps Peripateticorum probat motum circularem eſſe prius natura recto, & naturalem priorem eo, qui eſt præter naturam. Perpende materiam, & formam informatricem, forma eſt vtique perfectior, & perfectio, nam endelechia eſt. Ergo forma eſt prior, & antiquior, quàm materia in rerum natura. Si ergo materia ſuæ exiſtẽtiæ neſcit exordiũ, aut epilogum, neque forma ortum, aut interitum patietur: ſed ſiue ſeparetur, ſiue aliter, ſatis, ſuperque oſtenſa eſt ſeparabilis.

Alia

Alia quoque suggerent argumenta ij, qui rationes seminales, atque formarum incohationes defendunt, vt Albertus, Bonauentura, Iacob. de Viterbio, & alii plures, quamuis illi non affirment, omnem formam esse separabilem.

Si autem quis obiecerit Aristotelem in 2. phys. & 2. de anima, atque alibi asserentem formas inseparabiles: respondebitur, secundum esse perfectum inseparabiles esse, ratione accidentis consequentis: secundum se, & secundum esse imperfectum, separabiles, atque æternas fore. Ita etiam separabiles erunt ex sui natura, inseparabiles ex modo considerandi naturali; nam physicus alligatus materiæ, qua talis, non considerat, nisi formas in materia. Quapropter Aristoteles in 2. phys. 26. præscribens limites naturales dixit, physicum considerare vsq; ad separabilia forma, vel secundum formam: in materia autem. Itaque separabilia considerat, sed vt coniuncta: sicut mathematicus ex aduerso inseparabilia, sed vt abiuncta rimatur.

Nu. 16 Si reluctaris, quòd otiosæ futuræ sint formæ, si accidentibus destitutæ suis, agere, vel pati nequeant, frustra igitur erunt. Responderi potest, frustra in tota specie concedendum non esse, in singulari aliquo non esse negandum. Semper autem aliqua forma cuiuscunque speciei in actu perfecto est. Sed neque vlla forma singularis est frustra, si enim nũquam ad actum perfectum esset peruentum, frustra esset: satis autem est, si tempore congruo vel semel operetur, sicut augmẽtatiua facultas, postquam viuens perfectam staturã attigit, non amplius agit, nec tamen adest frustra. Hæc pro vniuersali affirmatiua elaborasse sufficiat. Nunc vniuersalem negatiuam roboremus.

Nullam formam substantialem esse separabilem. *Cap. III.*

Nu. 17 MVltas annorum centurias alij consũpserunt in probanda vniuersali negatiua illa, nulla forma substantialis est separabilis, aut perpetua. Quamobrem si in priore enũciatione probanda meus est labor insumptus, in hac secunda solũ colligendis rationibus, vel authoritatibus vacabo. Veruntamen quia rationes, authoritatesque huius partis mihi soluendæ sunt pro ratione muneris institituti; ne bis legendæ sint lectori, mihique bis repetendæ, eodem contextu illas proponam, & resoluam.

Prima ratio est. Forma, quæ verè, & propriè est forma, hoc est substantia, & quiditas rei, cuius est forma: non potest ab illo corpore, cuius est forma, disiungi. Forma substantialis autem est verè, & propriè forma, hoc est substantia, & quidditas vel materiæ, vel totius compositi, ergo non potest ab hisce disiungi. *Giouin car. 23. de method. flat. post obiectũ.*

Respondetur, hoc argumentum bifariam deficere, primò, quòd

quòd petat principium in maiore, aſſumit nanque quod erat probandum: ſecundò quòd formam ſubſtantialem inſeparabilem faciat, accidentalem verò non inſeparabilem. Si quidem ex primo poſter. 99. ſi affirmatio eſt affirmationis cauſa, negatio quoque erit cauſa negationis: quare ſi ex eo, quòd forma eſt ſubſtantia, & quiditas rei, fit vt forma ſit inſeparabilis: & forma accidentalis non eſt ſubſtantia, aut quiditas ſubiecti, vel compoſiti, ergo forma accidentalis non eſt inſeparabilis; quod naturali experimento, & Ariſtoteli refragatur in 7. met. 3. & 4. necnon in 12. met. 3.

Num. 18. Gian. car. 24 Secunda ratio. Materia non poteſt ſine forma cõſiſtere, quia non eſt hoc aliquid, & ſubſtantia integra, cuius eſt exiſtere, ergo & forma ſine materia nõ poterit exiſtere, ob eandem rationem. Quinimò forma videtur magis ex materia pendere, quã hęc ex ipſa: quòd materia ſubiiciatur formæ; ſubiectumq; minus pẽdeat ex eo, cui ſubiicitur, quàm ex ſubiecto id, quod eſt in ſubiecto.

Reſpondetur, in antecedente ponitur tanquàm ratio, quare materia, vel forma nõ poſſit per ſe exiſtere, quia hæ non ſunt natura integra, & hoc aliquid, cuius eſt exiſtere. Aut enim accipitur exiſtere abſolutè, aut exiſtere per ſe ſe; ſi priori modo apertè falſum accipitur, nã materia & exiſtit, & preexiſtit, antequam compoſitum fiat, Ariſt. aſſertore in 7. met. 23. & 24. *Quare, quemadmodum dicitur, impoſſibile eſt fieri, ſi nihil praeexiſtat. Quod igitur pars ex neceſſitate exiſtat patet: materia nãq; pars, ineſt etiam hæc, & fit.* Si autem intelligat ſecundo modo iam petit in principio concluſionem. Neque etiam verum eſt, quòd materia aut forma nõ ſint hoc aliquid, teſte Ariſtotele 12. met. 14. ſunt ergo hoc aliquid imperfectè, totũ perfectè: quare illo modo, quo ſunt ens, & hoc aliquid, illo erunt ſeparabiles. Magis quidem forma ex Ariſtotele 7. met. 8. nam per 2. de anima 2. materia ſecundum ſe non eſt hoc aliquid, ideò ſecũdum ſe nõ ſit ſeparabilis ab omni forma; forma autem eſt ſecũdum quam iam eſt hoc aliquid, igitur forma eſt, ſecundum ſe hoc aliquid, (ſic nanque opponitur materię) ſitque hoc primũ, dictum: & eſt ſecundum quam compoſitum eſt hoc aliquid, quod eſt ſecundum dictum, ſed in textu. Ratio primi dicti eſt; in omni progreſſu ab effectu ad cauſam, ſtandum eſt ad primam cauſam 2. phyſ. 38. ſed compoſitum eſt hoc aliquid vltimò, tãquam effectus: non enim ſecundum ſe eſt hoc aliquid, ſed ſecũdum formam: iam interrogo, an forma ſit ſecundum aliud, an ſecundum ſe hoc aliquid; priore dato, concedes formam eſſe ſecundum ſe hoc aliquid, & primò: compoſitum eſſe hoc aliquid ſecũdum aliud, & vltimò. Poſteriore dato, quæram de illo alio, atque ad infinitum lapſus erit.

Ad formam, nego eſſe parem rationem de materia, & de forma

ma substantiali; & ad probationem, quòd forma pendeat magis à subiecto, quàm subiectum à forma, distinguens, de forma accidentaria concedo, de substantiali nego, dicente Philosopho 7. met. 8. *Ipsum separabile, & quod quid competere magis ipsi formæ, quàm materiæ.* Materia ergo est prior in ratione potentiæ: forma est ratione, actu, & substantia prior 9. met. 13.

N.19. Gian. car. 25

Tertia ratio, finis ab eo, cuius est finis, non est separabilis: sed actus est finis, & complementũ perfecti, igitur actus ab eo, cuius est actus non est separabilis.

Respondetur, maiorem esse falsam. Ait Arist. in 7. politic. cap. 15. car. 557. *Finis est enim, vt sæpè iam diximus, belli pax, otii negotium.* Nemo enim bellũ belli causa suscipit, ex 10. Nic. cap. 7. Dicere autem pacem esse non posse, nisi prælium coexistat, otiumque nisi cum negotio, ridiculũ est. Sed vita actiua est gratia speculatiuæ, prout Arist. in eodem cap. 7. 10 tradit; atqui speculatiua vita est expers actionis externæ, prout ibidem & 7. polit. cap. 3, assertum est, quin & in artificialibus, & in naturalibus falsa est illa maior. Nam ex primo Nicom. cap. 1. effectionum finis est opus, vt ædificationis ædificium: at ædificium est, quando ædificator non est, iuxta 2. phys. 37. idemque in omnibus artibus competies. In naturalibus ædificatur nidus propter prolem 2. phys. 60. & folia propter fructum, quis autem non videt fructum durare post casum foliorum, & aues post rude ædificium? Si quis verò dicat, se non loqui de quouis fine, sed de illo, qui sit actus, & perfectio subiecti, nam hic finis separari non potest à subiecto; huic dicemus, ab se peti principium: imò cum in aliis finis supersesse possit absq; iis, quorum est finis; sequitur potiùs, quòd etiam is finis, qui est actus, absque subiecto esse valeat, modò non sit actus accidentarius. Denique cor est finis omnium membrorum, & tibicẽ finis tibiarum: at prius tempore existit tibicen, & cor, quàm instrumenta, quæ gratia illorum sunt comparata, prout Aristoteles obseruat in 2. de gener. animal. cap. 6.

N.20.

Hæ rationes adducuntur ab aliis, nimis fragiles. Posset quis robustius pugnare, Aristotele duce in 1. de gener. & 1. metaph. quoniam videtur opinio prior omnem generationem, & corruptionem substãtialem demoliri & ex 3. phys. atq; 11. met. quoniam infinitæ formæ actu essent in materia. Sed non illud consilium mihi est susceptum, ut eam opinionem refellam in præsentia. Proferamus authoritates pro negatiua promissas.

Authoritatibus probatur, nullam formam separabilem esse. Cap. IIII.

N.21.

NVllam formam substantialem esse perpetuam, separabilemque, his Aristotelis authoritatibus nonnulli conficere nituntur: quod an conficiant, experiamur.

Pri-

Prima authoritas eſt in ſecũdo phyſ. 12. de forma. *Alio modo natura erit vtiq; habentium in ſeipſis motus principium, forma, & ſpecies, nõ ſeparabilis exiſtens, niſi ſecundum rationem.* Hæc definitio formæ, quæ eſt natura, eſt vniuerſalis, & de omni; igitur nulla forma eſt ſeparabilis re, ſed ratione ſolùm.

Reſpondetur quidem primo, illam non eſſe definitionẽ, formæ, ſed quæ traditur in textu 28. ſecundi phyſ. Sed præſtat concedere illam eſſe definitionẽ atque propterea debet accipi re duplicatiuè. Etenim forma vel conſideratur ſecundum rationem communem formæ naturalis, vel ſecundum rationẽ ſpecialem. Notum quippe eſt aliquid plus cõpetere ſpeciei, quã generi: nam corpus naturale, vt naturale, eſt mobile tantùm, at non eſt augmentabile, ſed corpus animatum eſt & mobile, & augmentabile. Itaq; ſi conſideremus formam naturalem ſecũdum rationem communem, non eſt ſeparabilis, niſi ſecundum rationem: ſi conſideremus ſecũdum rationem ſpecialem, eſt ſeparabilis ſecundum rationem, et ſimpliciter, prout apertiſſimè conſtiterit ex 8. met. 3. inferius proponendo.

Nu. 22 Secundò reſpondetur cũ Alexandro Alenſe maximo cõmentatore in metaphyſica, Ariſtotelem in 6. met. 1. declarauiſſe formam naturalem eſſe inſeparabilem vt plurimum, non ſemper. Non enim fruſtra Ariſtoteles poſuit particulam *vt plurimum*, quando naturalis ſcientiæ limites præſcribebat; quoniam aliqua forma eſt etiam ſeparabilis, quæ quadantenus à naturali conſideratur. Vnde in 6. met. 2. affirmans definitiones phyſicas eſſe vt ſimum, ſcilicet cum motu & materia, ſubdit. *Manifeſtum eſt quomodo in naturalibus oportet ipſum quid eſt quærere, & definire: & cur etiã de quadam anima ſpeculari, naturalis eſt, quæcunque non ſine materia.* Declarat igitur Ariſtoteles, & vt plurimum formam inſeparabilem, at non ſemper inſeparabilem à phyſico attingi, & ſimul in ſpeciali formam illã indicat, quæ eſt anima, quatenus non eſt ſine materia. Quãquam dici poſſit animam, quatenus naturam, non ſeparari neque re, neq; ratione à materia: quatenus verò aliqua pars formæ eſt, quæ non eſt principium motus, neque natura, eatenus ſeparari poſſe & re, & ratione. Hanc partem dico eſſe *ſpeculatiuum intellectum*, vt poſt patebit ex primo de part. cap. 1. Illud moneo, vt nunc meæ reſpõſiones accipiantur ad opinionẽ Ariſtotelis ſecũdum veritatem: non ad hominem.

Secũda authoritas ex 4. phyſ. *Nu.* 23
17. Illic enim probat philoſophus locum non eſſe formam, quia locus eſt ſeparabilis ab eo, cuius eſt: forma non ſeparabilis.

Reſpondetur textus integrè eſt legendus. *Forma*, inquit, *atque materia non ſeparatur à re: locum autem contingit, in quo nãque aër erat, in hoc rurſus aqua, vt dicimus, fit, viciſſim tranſlatis & aëre, & aqua.* Separatio ne-

gatur à materia, & à forma reſpectu compoſiti locati: nempe compoſito incolumi, nam locus abſque interitu aquæ ab aqua ſeparatur, ſed forma, & materia minimè. Alioqui nemo dubitat, materiam cum interitu compoſiti à compoſito quocunque ſubcæleſti ſeparari, abſque interitu materiæ. Si itaque ſeparatio eadem ponitur in forma, quæ in materia; certè fit, vt forma poſſit ſeparari à compoſito intereunte, ſicuti materia ſeparatur. Materia quidem diuertit ad aliud compoſitum cõſtituendum; forma verò ſiue diuertat, ſiue non, ex textu præſenti non concluditur inſeparabilis à compoſito poſt compoſiti diſſolutionem, ſicut neq; materia concluditur inſeparabilis, aut deſtructibilis.

Nu. 24 Fauent. in Theorem. 68. philoſophiæ naturalis arguit, quoniam in 7. met. vlt. Ariſtot. vult, quòd, quando compoſitum reſoluitur, *ſolùm* partes materiales remaneant, ſcilicet elementa, ſed forma nequaquam. Vt caro componitur ex partibus materialibus, vt aqua, & igne: ſyllaba ex elementis, vt AB. ex A. & B. Vltra hæc eſt forma totalis reſultans, quæ poſt diſſolutionem non manet, quia diſſolutis his, ideſt elementis, vti A. & B. & terra & igne: elementa quidem manent. Sed caro, & ſyllaba non manet, ideſt forma ſubſtantialis totalis, quæ forma totius nõ eſt alia à forma partis.

Reſpondetur, in citando errorem admitti; nam particula *ſolùm* non eſt in textu, in qua tamẽ præcipua vis reſidet. Quia verò hoc argumentum ſoluendũ eſt lib. 2. cap. 6. nũc dico Ariſtotelem loqui aduerſus veteres negãtes formam ſubſtantialem dari; apud eos, diſſoluto compoſito, manent elementa ſolùm; at apud Ariſtotelem, ſublata illa ſuppoſitione falſa, non docetur illic, an forma ſit prius, an poſt compoſitum: ſed hoc agitur, vt probetur forma eſſe in compoſito, quæ neque eſt elementum, neq; ex elemẽtis, ſed eſt principium, & cauſa compoſiti. Itaq; illud dictum eſt ad hominem ex ſuppoſito falſo, non ad rem, & ſimpliciter. Hæ ſunt rationes, & authoritates allatæ pro vtraque vniuerſali, & quod omnis, & quod nulla forma eſt ſeparabilis: quarum affirmatiua melius probata eſt.

Separabile, & inſeparabile quid ſignificet Ariſtotelis. *Cap. V.*

Nu. 25 SEparabilitatem quandam Platonicam Ariſt. perpetuò eleuauit, impugnauit, exploſit, tàm clarè, tàm crebrò, vt nemo vel leuiter in Ariſtotelis doctrina exercitatus ignoret, & ideas ſeparatas, & mathematica ſeparata non eſſe admittenda. Ariſt. enim in 1. & 3. met. ſecundum magnam horum librorum partem, in 13. & 14. met. lib. integris, refert opinionem Platonis & refellit. Plato igitur conſiderans de ſingularibus, & mutabilibus non haberi ſciẽtiam (nam Cratyllus negabat ſciẽtiam ob rerum mutabilita-

litatem: Socrates ob definitionem de vniuerſalibus ſcientiam venabatur, quibus Plato adhæſit) poſuit ſubſtantiam naturalem, ac formas ſeparatas, & à materia, & à ſingularibus, puta leonis idealis formam, hominis formam, & ſic de aliis. Iſtas formas primò dicebat eſſe ſubſtantias, ſecundò vniuerſales, tertiò immutabiles, ingenerabiles, incorruptibiles, quartò ſeparatas à materia, & cõpoſito, quintò vniuerſales extra, & præter ſingularia, ſextò de iſtis formis ſcientiam eſſe dicebat, immutabilibus immutabilem, vniuerſalibus vniuerſalem, ſeptimò omnia compoſita phyſica fieri per participationem earum formarum ſeparatarum, quia ſcilicet formæ illæ ſunt participabiles, materia eſt participatiua.

Nu.26 Item ponebat præter res ſenſibiles, & præter ideas, ſeu formas ſeparatas ſubſtantiarum naturalium, mathematicas res, tanquam ſubſtantias ſeparatas; atque hæc mathematica erant media inter ſubſtantias ſenſibiles, & magnitudines ſenſibiles, de quibus non eſt ſcientia: & inter formas ſeparatas naturaliũ, de quibus ſeparatis eſt ſcientia. Quamobrem in gradu infimo ſunt formæ ſubſtantiales, & quantę ſenſibiles: in ſecundo gradu ſunt mathematica ſeparata, ſeu formæ mathematicæ ſeparatæ, in tertio gradu ſummo ſunt formæ naturalium ſeparatæ. Hęc duo genera ſubſtantiarum ſeparatarum inuexit Plato, quę Ariſt. perpetuò ſategit excludere.

Hinc facilè intelligitur textus 19. 2. phyſ. quando dicitur. Nu.27 *Phyſica abſtrahunt, cũ minus ſint abſtracta mathematicis.* Res mathematicæ in conſiderando abſtrahuntur ratione, non re à materia: ſed res phyſicę neq; ratione, neque re, imò definitiones phyſicę omnes ſunt cum materia. Sed Plato in medio gradu res mathematicas, vt minus abſtractas, in ſũmo gradu res phyſicas, tanquam magis ſeparatas, collocabat. Hanc Platonicam ſeparationem realem perpetim negat Ariſtoteles à formis phyſicis, quę ſanè nulli formę informanti competit, ne intellectui quidem humano. Hanc Ariſt. negat formis & in 2. phyſ. 12. & in 1. de part. cap. 1. & in 6. met. 1. & 2. ac ſæpius. Quod cũ naturalium quidam minimè aſſueti ſeparatorum contemplationi, traditę in prima philoſophia, non animaduertiſſent, à vero Ariſtotelis ſenſu abducti ſunt in viam quãdam alienam.

Regulã ad cognoſcenda mul Nu.28 tipliciter dicta perutilem, litteris nobis cõſignauit Ariſtoteles in 1. topic. cap. 13. Propoſito enim vocabulo aliquo, in ſtit cõſiderati oppoſita ſignificata, quę ſi diuerſę rationis eſſent tepera, nonum vocabulum eſſe multiplex, & æquiuocum. Separabile nobis propoſitum eſt, & inſeparabile. Si inſeparabile opponitur ſeparabili Platonico, & fictitio, reſolutè dico, nullam formam naturalem, vel mathematicam eſſe re ſeparabilem, ſed ratione tantùm: ſecu-

ti in 2. phys. 12. indicatur, quãuis in textu propositio sit indefinita de formis, nõ autẽ vniuersalis. Si autem inseparabile opponitur separabili in sensu Aristotelico, longe alia resolutio facienda est. Videamus ergo, quid Arist. per separabile senserit. In hoc enim argumentum apparet manifestum discriminis inter Platonem, & Aristotelem, quòd Plato prẽter animas singulares, Socratis puta, vel Phędri, quę modo in corpore essent, modo à corpore intercũte separarentur; potuit animam idealem tanquam substantiam separatam semper, tanquam animam vniuersalem, prẽter animas particulares. Aristoteles hãc animã separatã, prẽter multas non nouit: sed ipsas multas particulares posse separari affirmat lõgè alia separatione, quod conabimur ostendere.

Nn. 29 Igitur separabile dicitur aliquid ab alio, quia ipsum seiunctum ab alio, adhuc suum esse retinet. Veluti si duo saxa coniuncta, seiunxeris, ea non interibunt, imo vtrunque seiunctum permanet in suo esse. Si autem ex duobus coniunctis alterum separes ab altero, & vnum intereat: illud, quod interit, est inseparabile: quod non interit, separabile est. Hęc est vera expositio istarum vocum separabile, & inseparabile in Peripato, docente Aristotele in 13. met. sum. 1. cap. 2. *Homine albo secundum rationem albedo prior est, non secundum substantiam: non enim potest separata esse, verùm semper vna cum toto est, dico autem totũ hominem album.* Eapropter Porphyrius perperam distinxit, accidentium aliud esse separabile dicens, aliud inseparabile. Nõ disquiro, an sibi contradixerit, ponens accidens inseparabile à subiecto, & ponens, quòd omne accidens potest abesse à subiecto. Illud dico perperam esse vsum voce separabilis in accidẽte, cum ex 12. met. 3. sola substantia sit separabilis, cæterorũ entium nullum sit separabile. Itidem in 7. met. 4. *Aliorũ enim, quæ prædicantur, nullum est separabile, sed hæc sola.* Ita in 7. met. 47. vbi passiones dicuntur esse inseparabiles. Iterum in 1. phys. 39. taxatur Anaxagoras, si ponat intellectum velle separare cuncta à se inuicem, quia passiones sunt inseparabiles. Itaque nullum accidens est separabile: si quis enim tentet separare accidens à substantia, accidens desinit esse. In o naturali ordine seruato, impossibile est accidẽs esse sine subiecto, quod luculẽter expressit Arist. ante prędicamẽta definiẽs ens, quod est in subiecto. *In subiecto*, inquit, *esse dico, quod cum in aliquo sit, non sicut quædam pars, impossibile est esse sine eo, in quo est.* Nullũ igitur accidens est separabile re à subiecto. Substantia verò est separabilis, quoniam ab accidẽte seiuncta proprium esse retinet. Nec si Porphyrius aliter ac Aristoteles loquatur, mirãdũ: Platonicus erat.

Porrò separatur vel vniuersale à particularibus, vel forma à materia. Separatio formę vniuersalis re est Platonica, & im- Nn. 30

pos-

poſſibilis, ſed ſeparatio formæ vniuerſalis ratione tantùm eſt poſſibilis, vt crebro Ariſt inculcat. Separatio formæ ſingularis à materia duplex eſſe poteſt, alia ratione, alia re. Ratione, vt quando ex duobus coniunctis conſideretur vna ratio, & quæ ſecundum illam conueniũt altera ratione non conſiderata. Ita luculentiſſime tãquam proprio loco tradidit Ariſtot. in 13. met. ſum. 1. cap. 3. & attigit 2. phyſ. 18. ac 19. Quare & obiecta mathematica dicũtur ex remotione in 1. de ani. 17. ex abſtractione 3. de anima 35. Talis verò abſtractio, cum ſit ſcientialis, eſt abſtractio formæ vniuerſalis à ſingularibus, & quando eſt mathematica eſt etiam à materia ſenſibili per rationem. Quare eſt rationalis ſeparatio, non realis. Cui opponitur phyſica concretio, etſi enim phyſicus conſideret formam vniuerſalem abſtractam a ſingulari, non abſtrahit à materia ſenſibili. Hinc factum arbitror, vt quandoque ab Ariſt. dicãtur formæ vniuerſales ſeparabiles ratione, ſilicet tãquam vniuerſales à ſingularibus; quãdoq; inſeparabiles ratione: quia nõ ſeparentur, à materia ſenſibili. Separabiles ratione dicuntur formæ in 2. phyſ. 12. & 8. met. 3. Inſeparabiles ratione in 1. de anima 17. Primo modo ratione ſeparabiles, vt opponantur ſeparationi Platonicę, qua vniuerſale prętęr multa datur re à ſingularibus ſeparatum. Secundo modo inſeparabiles ratione, vt opponantur ſeparationi mathematicæ, qua forma vniuerſalis abſtrahitur à materia ſenſibili, & motu. Hæ ſunt ſeparationes rationis.

Separatio realis in ſchola Ariſtotelis eſt, qua vna res poteſt eſſe ſine alia in entium ordine. Hoc modo ſubſtantia eſt ſeparabilis ab accidente, locus à locato, ſic elementa ſeparantur à mixto Sic nõ eſt ſeparabilis materia prima ab omnibus formis collectim, quanquam à ſingulis diuiſim ſeparata conſiſtat. Hoc modo quærimus, an aliqua forma ſingularis exiſtens in materia, tanquam forma informans, valeat à materia ſeparari abſque formæ deſtructione, ſiue abſq; deſitione eſſendi. Ita mentes orbium mottices ſeparatę à materia dicuntur, quoniam actu exiſtunt, neque tamen materiã informant, neque ſunt loco, & ſubiecto cum materia coniuncte; præſertim verò hoc habet primum quid erat eſſe, ex 12. diuinorum tex. 49. Quo loci noto, Ariſtotelem ponere quidditates incorporeas re ſeparatas à materia, eſſe ſubſtantias: at quidditates corporeas re ſeparatas non cenſuit, ſiue à particularibus, ſiue à materia. Hinc in 6. met. 2. & 3. atque 11 met. ſum. 3. cap. 1. Phyſica eſſe affirmatur circa inſeparabilia quidem, & mobilia. Mathematica circa immobilia, & ſeparabilia ratione. Philoſophia circa ſeparabilia, et immobilia. Hæc fuſius declarata ſunt, ſed propter rei obſcuritatem, nulla poteſt eſſe prolixitas verborum, modò adſit claritas ſenſuum in re tanta.

Nu 11

Ari-

Aristotelis opinio exponitur, & probatur ex 8. met. 3.
Cap. VI.

Nu. 32 IN primo phys. Aristoteles contrarias illas enuntiationes, omnia principia sunt contraria, nulla principia sunt contraria, declinauit: statuitq; principia quædam esse contraria, quædam non esse. In 1. poster. depulit, tùm dicentes; omnium esse demonstrationem, tùm dicentes, nullorum esse demonstrationē: recepit medias, quorundam esse, quorundam non esse. Idipsum mihi feciſſe videtur in propoſita veſtigatione: ſi enim quæras, an ſingulæ formę ſubſtantiales ſint ſeparabiles ſimpliciter à materia: neq; omnes, neque nullas esse ſeparabiles dicet, ſed quaſdam esse ſimpliciter ſeparabiles, quaſdam minimè.

Prodeat ad hoc oſtendendum prior locus ex 8. met. tex. 3. *Nunc verò*, inquit, Aristoteles *de conceſſis ſubſtantiis tractemus: hæ autem ſunt, quæ ſenſibiles ſunt. Senſibiles verò cunctæ ſubſtantiæ materiam habent. Eſt autem ſubſtantia idipſum, quod ſubiicitur, Aliter quidem materia, & Aliter ratio. Materiam autem dico, quæ cum non quod quid actu ſit, potentia eſt quod quid. Aliter autem ratio, & forma, quod cum ſit quod quid, ratione ſeparabile eſt. Tertium verò, quod ex his eſt, cuius generatio ſolius, & corruptio eſt, et ſeparabile ſimpliciter. Earum enim ſubſtantiarum, quæ ſecundum rationem, quædam ſunt ſeparabiles, quædam verò non.* Præclarus locus, ſed parum obſeruatus. Tres ſubſtantias ſenſibiles, ſubiectas accidentibus affert, materiam, formam, & compoſitum ex his: forma ſubſtantialis in communi per duas notas deſignatur, prima, quia *eſt quod quid*: ſecunda quia eſt ſeparabilis ratione. Per ſecundam conuenit cum formis accidentalibus multis, quæ ratione ſunt ſeparabiles, vt formę mathematicę: ſed per primam ſecernitur ab eiſdem, quia formę accidentarię non ſunt quod quid. Igitur forma in communi conſiderata, hoc habet, vt ſit ſeparabilis ratione, compoſitū autem vt ſit ſeparabile ſimpliciter. Si autem quęras, quare nō dicātur etiam formę compoſītes ſimpliciter ſeparabiles? Reſpondet, quoniam ſubſtantiarū, quę ſecundum rationem, ideſt formarum ſubſtantialium, quędam ſunt ſeparabiles ſimpliciter, quędam non ſunt ſeparabiles ſimpliciter.

Neq; eſt quod ſubterfugias, dicendo quaſdam formas ſubſtantiales eſſe ratione ſeparabiles, quaſdā non; loquitur quippe Ariſt. in poſtrema clauſula de ſeparatione illa, quam in proxima clauſula compoſito aſcripſerat: id quod patet per coniunctionem *enim*, quæ reddit rationem præcedentis dicti, omne cōpoſitum eſt ſimpliciter ſeparabile, quia formæ ſubſtantiarum non omnes ſunt ſeparabiles ſic, ſed quędam ſunt ſeparabiles ſimpliciter, quędam non.

Secundò, quia ſi Ariſtoteles Nu. 33 di-

diceret, aliquas formas ſubſtantiales eſſe ſeparabiles ratione, aliquas non eſſe ſeparabiles ratione: falsò poneret hanc particularem negatiuam; quia ſuperius formæ ſubſtantiali in cõmuni conceſſit, quòd eſt ratione ſeparabilis. Sicuti & in 2. phyſ. 12. dixit, formas naturales eſſe ratione ſeparabiles. Interrogo nanque in 2. phyſ. 12. & 8. met. 3. quando ait formas eſſe ſeparabiles ratione, aut loquitur de omni, aut non. Si de omni, igitur Ariſtoteles duas contradictorias concedit, haſce ſcilicet, omnis forma eſt ſeparabilis ratione, & quędam forma nõ eſt ſeparabilis ratione; quòd eſt abſurdum, nimirũ concedere duo contradictoria eſſe vera. Si non loquitur de omni forma, tunc Alexandrei perdunt vnicũ ſuum Achillem in 2. phyſ. 12. textu fundatum, volentes, quòd omnis forma ibi comprehendatur, nullaque ſit ſeparabilis, niſi ratione.

Quid Alexandreos dixi? Hic textus metaphyſicus induxit Alexandrum Aphrodiſeum, (ſi ille eſt author commentariorum Alexandro Aphrodiſeo aſcriptorum in primam philoſophiam) ad recantandum. Sic nanque in commentario ad illum textum ſcripſit. *Vocat autem ſubſtãtias ſecundum rationẽ formas (hæ quidem, illæ verò nõ) id eſt. quędam ſeparari poſſunt ratione, alię ſimpliciter. Nam cum anima cuiuſque, ipſius forma ſit, talis enim forma nunquam eſt ſine materia. Anima verò non omnis ſeparatur, ſed particeps tantùm rationis; idcirco quędam ſeparari ait, quędam ſecus.*

Fortaſſe non hoc de forma dictum eſt, quanquam id verum ſit, (nũquã enim mortalis forma abſque materia eſſe poteſt) ſed de animis rationis expertibus, has ſcilicet non ſeparari, ſed eas ſolùm, quæ rationis ſunt compotes. Hæc Alexander Aphrodiſeus Ariſtotelicis verbis coactus; nã quòd Philoponus nobiſcum dicet in iſtum textum, non eſt ambigendum.

Placet hoc loco notare, aliud ab Ariſtotele tribui formæ in communi, aliud formæ in ſpeciali. Formæ in communi tribuit ſolùm, quòd eſt ſeparabilis ratione, neque enim forma ſubſtantialis ſecundum communẽ rationem formæ plus obtinet dignitatis. In ſpeciali tradit aliquas formas eſſe ſimpliciter ſeparabiles: hæc enim ſeparabilitas non ineſt ſecundum rationẽ communem, ſed ſpecialem. Loquitur autem in plurali numero, quoniam non eſt vna forma vniuerſalis ſeparata, ut Plato dixerat, ſed ſunt plures numero ſingulares, ne ſit in omnibus vna anima ſola. Qua ex animaduerſione tollitur argumentũ Alexandreorum, nam in 2. phyſ. 12. dum deſcribitur forma, quæ eſt natura, aſſeritur non eſſe ſeparabilis, niſi ſecundum rationem. Tollitur, inquam, quoniam Ariſtoteles ibidem definit formam in communi; at in definitione communi collocanda ſunt ea, duntaxat, quæ definito conueniunt in communi. Sic autem forma, *ſecundum quod forma in* N. 34.

communi, est separabilis ratione tantùm, & non alio modo: sed aliqua forma in speciali est separabilis simpliciter. Quæ de re superius dictum num. 21. Neque hic locus explicari potest de substantiis separatis, quia Aristoteles loquitur de formis sensibilibus, quas disiunxit a substantiis separatis in 8. met. 1. & 2. tractationem de separatis in alium locum reiiciens: tractationem de sensilibus assumens. Sed ipsa textura phrasis Aristotelicæ non permittit intelligi, nisi de forma, ex qua tertium, ideſt compositum constat. Cæterum, quæ sophisticè possunt opponi, satius est prætermittere.

Ex lib. 6. met. tex. 1. & 2.
Cap. VII.

Nu. 35 ad nũ. 22.

PRoximus quoq; locus eandem 2. physicor. 12. authoritatem diluit, (prout supra monuimus,) qui & conclusionem principalem confirmat; nempè quasdam esse formas separabiles, quasdam non separabiles. Profectò in 6. met. tex. 1. forma naturalis affirmatur esse inseparabilis, ut plurimum: non ergo semper, non ergo omnis est inseparabilis. En textum. *Naturalis speculativa quædam profectò est, sed speculativa circa tale ens, quod est possibile moveri: & circa substantiam secundum rationem ut plurimum inseparabilem solùm est.* Substantiam secundum rationem vocat formam, de capite præcedente ex Alexandro Aphrodiseo dicebamus: qui tamen non observavit in textum præsentem illã particulam *ut plurimum*. Sed Alexander Alensis omnium expositorum metaphysices optimus, vigilanter annotavit, & Averroes. Non semper, sed ut plurimum, quia forma rationalis excipienda est. Cur enim non dixit semper? quædam enim sunt semper, quædam frequenter: de quibus est in primis scientia; quædam rarò, & utrumlibet, lege 1. prior. sect. 1. cap. 13. secundũ phys. à 49. & 6. met. sũ. 2. Physica scientia est de forma inseparabili, ut plurimùm: cur limitat in metaphysica? quoniã metaphysicæ est limitare scibilia scientiarum inferiorum: suprema enim scientia, tanquam domina reliqus, quasi ancillis, præscribit officia, neq; illis permissum est contradicere ex 4. met 3. Hinc fortè in 2. phys. 12. Aristoteles noluit ponere signũ vniversale, dicẽdo formam nullam esse separabilem, nisi ratione: sed locutus est indefinitè, ut locum exceptioni concederet positæ in 6. met. 1. atque doceret quasdam formas substantiales esse separabiles.

N. 36.

Textus 2. in eodem lib. 6. divinorum, etsi specialiter declaret, quænam sit illa forma separabilis à materia, quæ quadãtenus consideranda non est à physico, & quadantenus considerandа: quatenus enim est forma in materia, naturalis est cõtemplationis; quatenus est separabilis à materia, & quid illa sit, quomodouè se habeat, tùm inseparari, tùm in separato esse, exactè

exactè agere eſt primæ philoſophiæ, etſi inchoatè ſecũda quoque philoſophia talem formam attingat. Sed præſtat verba Philoſophi ſcribere, qui, cum ſanxiſſet definitionem naturalẽ exhibendam eſſe cum materia, ſubdit. *Manifeſtum eſt, quomodo in naturalibus oportet ipſum quid eſt quærere, & definire. Et cur etiam de quadam anima ſpeculari, naturalis eſt, quæcunque non ſine materia.* Cernis, arbitror, quandam animam eſſe ſine materia, quandam non ſine materia. Secunda naturalis eſt ſcientis, non prima.

Si poſtules, quænam ſit hæc anima ſine materia? Reſpondebo nunc, ex 12. diuinorum 51. quæritur, an intelligibile ab intellectu ſimpliciter ſit compoſitum? Affertur ratio dubitandi, quia intelligibile mutaretur in partibus totius, dum ſcilicet vna pars compoſiti mutatur ad aliam, fit compoſitum. At intelligibile primum, ex quo mẽs diuiniſſimo modo ſe habeat, nõ eſt mutabile. Reſpondet *An omne non habens materiam indiuiſibile eſt, vt humanus intellectus?* Aſcendit Ariſtoteles à noto ad ignotum, ab humano intellectu ad diuiniſſimũ, quia enim omne immateriale eſt impartibile, primum intelligibile eſt immateriale, ergo primum intelligibile eſt impartibile, & ſimplex, non cõpoſitum. Maior inductione oſtenditur in humano intellectu. Vbi ſingularis eſt textus ad oſtendendum, quòd intellectus humanus immaterialis eſt diuerſus à diuiniſſimo intellectu; nam ſi idem eſſet, planè Ariſtoteles idem ad ſe ipſum probandum corrogaret, ac principium peteret. Quia verò quæcunque forma immaterialis, & impartibilis eſt etiam ſeparabilis; & humanus intellectus eſt corporis forma, ratione formæ ſubſtantialis, cuius eſt pars, vel differentia, vel potentia; forma aliqua ſeparabilis concedẽda eſt Ariſt. Nec illi audiendi ſũt, qui dicũt, Alexandrũ Aphrodiſeum in ſuo textu non legiſſe illam particulam. *Humanus intellectus.* Relegant, quæſo, textum, & commentarium, de quo loquuntur: ac inuenient, Aphrodiſeum interpoſuiſſe vnã dictionem *atque* inter dictiones has, de ſuo penu. Sic autẽm habet. *An id omne eſt indiuiſibile, quod materiam non habet, atque vt mens humana, aut compoſitorum aliquo in tempore ſe habet &c.* Expungito particulam adulterinam *atq;*, reliqua ſunt eadem in textu Beſſarionis, & Aphrodiſei. Satis eſt, humanũ intellectum adhiberi ad illuſtrãda dicta de intellectu dei, prout dictum eſt. Ad hæc loca de forma *ſeparabili vt plurimum*, & de anima ſine materia reduci debent duo loca ex phyſicis, nempe 2. phyſ. 26. & primum cap. 1. lib. de partibus animal. Quæ inferius habebuntur. Tertius item de anima 16. ait, intellectum eſſe potentiam ſine materia. Idem indicatur in 1. de anima tex. 15.

Ex 7. met. tex. 8. Cap. VIII.

Num. 37. IN 7. met. contex. 7. substantiã pro subiecto primo considerandam ingreditur Aristoteles, quam in materiam, formã & *quod ex his* partitur. In tex. 8. postquã materiæ descriptionem attulerat, post rationẽ Antiquorum, qui solam materiam esse substantiam dixerant: Aristoteles volens ostendere, materiam non modò non esse solam substantiam, sed esse minùs substantiam, quàm sit vel forma, vel compositum ex eis: hæc exarauit. *Ex his itaque speculantibus, accidit substantiam esse materiam. At impossibile est, etenim separabile, & quod quid videntur maximè inesse substantiæ: propter quod forma, & quod ex ambobus substantia uidetur esse magis, quàm materia.* Volebant illi, quòd omnis substantia esset materia; At hoc esse impossibile Aristoteles probat, propterea quod *separabile* est conditio substantiæ: sed ista conditio magis competit formæ, quã materiæ, igitur forma & est substantia, & magis substantia, quàm sit materia. Tunc argumentor. Vel aliqua forma cõponens est separabilis re, & simpliciter ab omni materia, vel ne? Si non est, igitur falsò asserit Aristoteles, quòd forma sit magis separabilis, quàm materia: imò propositio hæc Aristotelis erit in toto falsa. Sanè materia est separabilis à quacũque forma subcælesti diuisim, & siue quauis permanet in suo esse incorruptibilis, & ingenerabilis ex primo phys. 82. Non tamen est separabilis ab omni forma coniunctim ex primo de gen. 29. Materia igitur est separabilis ab hac forma, quam habet, & à quacunque diuisim: forma nulla est separabilis per aduersarium ab hac materia, quam habet, sicut neque est separabilis coniunctim à quacunque, neque diuisim. Igitur multò magis esset separabilis materia, quàm forma; quod cum sit apertè Aristoteli aduersum, dicere cogimur aliquam formam separabilem esse simpliciter à materia, in qua est, atque adeò ab omni materia.

An expones textum de substãtijs incorporeis, quasi sint formæ à materia seiunctæ? Atqui Aristoteles sermonem habet de formis, ex quibus compositum cum materia fiat: lege antecedentia, & consequentia ad citatam authoritatem. Ita cæpit in tex. 7. ita absoluit in textu 9. repetita distinctione in materiam, formam, & quod ex his

An distingues de separabili ratione, nõ re? õtra, quia multę formæ accidẽtales sũt ratione separabiles; igitur formę accidẽtales quoq; cõcludẽtur esse substãtia, & magis subst. quã materia. Num. 38.

Secundò, Materia diuersam habet definitionem, & esse quiditatiuum à definitione, & esse quiditatiuo formæ ex 7. met. 8. *Materiam dico, quæ per seipsam, neque quid, neque quantum, nec aliud quippiam dicitur, quibus ens determinatur; est enim quid, de quo singula horum pradicãtur; cui esse, & cuique pradicationum di-*

diuerſum eſt. Igitur aliud eſt quid eſſe materię, & aliud eſt quid formæ : atque eſſe materię eſt prius natura, ex primo phyſ. 52. & 2. de partibus cap. 1. ergo poterit intelligi materia, quæ eſt ens abſolutum prius, non intellecta forma. Similiter ergo eſt ſeparabilis ratione materia, ſicuti forma : imò materia magis eſt ſeparabilis, quia materia in eſſe ſeparatur à ſingulis formis, forma nec à ſingula materia, nec à qualibet; quod autem ſeparatim eſt, ſeparatim intelligitur, ſicut enim ad eſſe, ſic ad veritatem 2. met. 4.

Tertiò, omnes Antiqui ante Ariſtotelem cognouerunt cauſam materialem, ex primo met. ſum. 2. cap. 1. formam ſubſtantialem plurimi ignorauerunt. Ergo poteſt ſeparari materia ratione à forma, ſicut forma à materia. Sanè ſi conſideras materiam, & formam, vt correlatiuas, vna ſine altera non poteſt intelligi : nam ſi quis definitè nouerit vnum relatiuorum, definitè cognoſcet & reliquum. Si vt entia abſoluta, eſſe materiæ eſt diuerſum ab eſſe formæ; & eſſentia materiæ eſt diuerſa ab eſſentia formæ; igitur materiæ ratio ſeparatur à ratione formæ. Quia verò illud eſt ratione prius, quod in definitione alterius aſſumitur 7. met. 4. & 13. met. ſum. 1. cap. 2. vbi ait. *Non tamen omnia, quæcunque ratione priora, ſubſtantia quoq; priora ſunt. Subſtantia namque priora, quæcunq; ſeparata ipſo eſſe excedunt; ratione verò his, quorum rationes ex rationibus.* Adiungo minorem. Sed materia ipſo eſſe excedit formam quãcunque, poſtquam ab ea ſeparata eſt : neque enim materia incipit, vel deſinit eſſe, quando forma aduenit, vel recedit, ex primo phyſ. 82. Item forma phyſica ſemper, aut vt plurimum recipit materiam in definitione, per 2. phyſ. 19. & 6. met. 2. ergo materia erit & ſubſtantia, & ratione prior, quàm forma, niſi detur forma ſimpliciter ſeparabilis, ſicut Ariſtoteles eã indicat. Tunc enim à toto genere forma aliqua poteſt eſſe ſine materia omni, materia verò non poteſt eſſe ſine omni forma : ergo rectè, hoc poſito, confitebitur, formam eſſe magis ſeparabilẽ, & magis ſubſtantiam, quàm ſit materia : hoc non poſito, non rectè.

Ex 12. met. 16. 17. Quædam forma eſt ſeparabilis. *Cap. IX.*

Num. 19. Licet. lib. 4. ca. 26.

LOcus ab omnibus obſeruatus eſt, quem aſſumimus : vt vel in eo illud repetendum ſit, nihil dictum, quod iã ſit dictum prius. Sed neque aliorum diligentia me negligẽtem debet facere : neque propoſita quæſtio permittit, me locum fortiſſimum Ariſtotelicæ menti propugnandæ, prætermittere. Proponit philoſophus in 12. met. contex. 16. docẽdum, an formæ ſubſtantiales ſint priores compoſito. Reſoluit aſſignãs differentiã inter cauſas efficientes genitas, & formas : nam cauſæ effectrices, tãquam antea

ortæ, ante existunt, formales verò causæ sunt simul cum composito genito, vt sanitas simul fit, & est cum homine sano. Deinde proponit, an post interitum compositi remaneat aliqua forma, & resolutè respondet. *In quibusdam* (scilicet compositis) *nihil prohibet*, nempè formã remanere. Si autem nihil prohibet, incunctanter asserendum est, formam aliquam posterius remanere, & esse separabilem. Textus est. *Si autem aliquid posterius permanet, considerandum est: in quibusdam enim nihil prohibet*. Habes claram resolutionem, sine conditione, dubitatione, & cum assertione; nam ratio, quare id est considerandum, affertur, per particulam rationalẽ *enim*, quia nihil prohibet, & hæc est prima pars textus. In secũda parte Arist. vult afferre exemplum, de forma permanente post compositi dissolutionem, & ait. *Veluti si anima talis sit, non omnis, sed intellectus; omnem nanq; fortassis impossibile est*. Vbi animaduerte diligenter signũ distributiuum *omnis*, ad quid referatur: refertur autem ad animam, quasi dixeris, omnis anima posterius permanet.

Secundò aduersatiuam aduerte particulam *sed*, quę refertur ad animam intellectum; fit enim cõstructio appositiua, qua magis cõmune restringitur per minus commune adiunctum. Igitur Aristoteles ponit vnam particulam conditionalem in exemplo, *veluti* si anima talis sit, non omnis: secundò ponit aduersatiuam conditionis, ideſt resolutam, sed anima intellectus posterius permanet. Quæris ne, quamobrem conditionalis apposita sit ad animam omnem; non sit apposita conditio ad intellectum, sed oppositum conditionis? Satisfacit Philosophus in postrema textus propositione. *Omnem nanque animam permanere post compositum, fortassis est impossibile*. Considera dictionem dubitatiuã *fortassis* relatam esse ad propositionẽ de omni anima, non ad propositionem particularem de anima intellectuali. Vnde absolutè, & sine vlla dubitatione assertum manet, quod aliqua forma post corruptionem cõpositi manet, nempe illa anima, quæ est intellectus.

Quod si quis contentiosius neget, in exemplis reperiri veritatem, sed solam manifestationẽ quęri: non morabor, dummodo concedat id, quod expressè textus affirmat. Nihil enim prohibet in quibusdam posterius remanere formam. Exemplum manifestat hanc veritatem, siue ipsum sit verum, siue falsum.

Vlteriùs obserua in vltima propositione textus istam categoricam, *omnis anima permanet post compositi interitum*. Postulo nanque absque an hæc propositio categorica sit possibilis, an impossibilis? Profectò nullus Peripateticus est tàm plumbeus, qui nesciat illam esse impossibilem. Si igitur propositio illa est indubitata, quare ipsi appinxit Aristoteles notam dubitationis *fortassis*? Non enim *Num.* 40.

po-

poſuit notam dubitantis de anima, quæ eſt intellectus: quia nihil prohibet aliquid poſterius permanere; ſed notam illam poſuit ad omnem animam, fortè enim aliquid prohibet omnem animam remanere poſterius. Quid ergo dicemus Ariſtotelē in vltimis operibus ſuis non habuiſſe certam rationem negandi illam enuntiationem, animę plantarum, & brutorum ſunt immortales? Si enim ipſe dubitat, aſſecias non eſſe certos, certum eſt. Defendamus ergo tanquam non impoſſibilem, nō improbabilem opinionē, quòd anima vegetalis, & ſentualis ſeparantur ſimpliciter à corpore. At hoc eſt abſurdum. Ergo dictiones *ſi* & *fortaſſis* nō ſunt indicia dubitationis. Quod per textus ſequentes indicabo.

Sicut 13. metaſum. 1. cap. 2. lego. *Nec enim vt ſpecies, & forma quædam, veluti ſi anima ſit, quod tale eſt: nec vt materia, veluti corpus.* Et in 4. de gen. animal. cap. 4. car. 1319. de priva parte animalis genita pertractans inquit. *Verbi gratia, ſi cor pars eiuſmodi eſt.* Sed animam eſſe formam, cor eſſe primam partem, quæ viuat, eſt certum, quàm quod certiſſimum ex 2. de gen. animal. cap. 4. Itidem de particula *fortaſſis* habes in primo poſter. 149. *Non enim eſt homo, neque quod album, neque quod album quid, ſed animal fortaſſe.* In 4. met. 6. *Principia verò contrariorum, vnū, & pluralitas. Hæc autē vnius ſcientia, ſiue ſecūdū vnū dicātur, ſiue nō: ſicuti fortaſſis & veritas ſe habet.* Hoc autē, quodens, & vnū dicantur ad vnū, nō ſecundū vnū, traditū vnū fuerat ſuperius in eod ē lib. Plura eiuſmodi exempla non deerunt, vt in 2. prior. cap. vlt. in 1. poſt. cap. 1. in 12. met. 22. &c. Lege tamen quæ ſolide, & diſerte notat Io. Cottunius vir de Ariſtotelis philoſophia benē meritus in lib. de triplici ſtatu animæ diſp. 5. lect. 8. comperieſque hunc locum Græcè ſine vlla conditione eſſe abſolutiſſimum. Cur ergo Ariſtoteles his vtitur dubiis particulis? Quia Pythagorei, magni tūc nominis, omnem animam ab occidione vindicabant: propterea quòd vita nō eſt capax mortis, ſicut neque denſitas raritatis. Sed omnis anima eſt vita per ſe, & primò, ergo nulla anima eſt capax mortis, omnis itaque poſterius remanet. Ariſtoteles ergo, non procaciter, ſed modeſtè ait, ſi, & fortaſſis eſt impoſſibile dogma Pythagoricum. Ne quis autem ex hac ſingularium formarum ſeparatione arbitretur aliquas ideas ſeparatas poni ab Ariſtotele, cōteſtim in textu 18. 12. monemur, propter hæc nō oportere ideas eſſe.

Per hæc refutatur Fauent in Theorem. 68. cap. 3. dicens, Ariſtotelem loqui ſub dubio quia opponit particulam dubitatiuam *forſan*, vel *ſi* conditionalem. Sed Fauētinus haud rectè diſtinxit textum, neque animaduertit in aſſertione nullam eſſe dubitationem, nullam conditionalem. Sed in exemplo, in quo tamen dubitatio, & conditio non ſunt de anima intellectiua, *Num.* 41.

ua, sed de omni anima, an sit post compositum. Suntque cõditio, & dubitatio in re absolutè, & indubiè certa apud Aristotelem.

Respõdet secundò, quòd Aristoteles illud expressè dixit, est nõ probauit ratione aliqua necessaria; sed dixit propter quasdã persuasiones probabiles, vel propter vulgarem opinionem.

Cæterùm hęc responsio non est ad propositum, non enim quærimus, quid Aristoteles demonstrauerit, sed quid senserit. Cum Fauẽtinus ipse, & Scotus in 4. dist. 43. q. 2. confiteantur Aristotelis verba pro immortalitate expressa esse, nõ pro mortalitate; cur Aristotelici sunt, qui Aristotelis verba negãt? Quàm multa Aristotelici ab Aristotele dicta, non demonstrata tenent? Vt numerum prædicamentorũ, proprietates substantiarum, species qualitatis, & alia plurima. Quod si ad normam demõstrationis exigas tàm multas, quas Aristoteles, & Scotus rationes attulerunt, vereor, ne nimis paucas in Aristotele, in *Scoto* penè nullam inuenias demonstrationem. Ergo in Aristotelis mente inuestiganda testimoniũ ab Aristotele expressum habemus, quem credimus, nihil asseruisse, nisi cum ratione valde probabili, ne dicam necessaria.

N. 42. Respondet aliter Portius, Aristotelem hic non agere de humano intellectu, quia non est suus locus.

Contra est, quia Philosophus in prima parte 12. agit de principiis substantiæ sensibilis, scilicet materia, priuatione, forma, & in textibus propositis 16. 17. 18. de forma. Sed ex 4. top. cap. 1. ad inductionem faciendam de genere, omnes species, & individua meritò assumi & possunt, & debent: quare de forma in communi loquens, descendit sub forma ad animam, & ab anima in communi ad animam intellectiuam. Sed quis non rideat, si Portius doceat Aristotelem, quid quo loco tractandum? Sus Mineruam.

Castellanus respondit Aristotelem in primo de cælo ponere, omne ortum interire. Si autem hic ponat formam intellectricẽ ante non fuisse in textu 16. & in 17. posterius manere; sibi contradicit, manet enim, & non manet post compositum.

Respondeo, hoc non est acquiescere Aristoteli, sed contra Aristotelem argumentari. Pulcher sanè respõdendi modus ad authoritatem Aristotelis, est argumentari contra Aristotelẽ. Sic videas istos, quandoque pro argumento responsionem, quãdoque pro responsione argumẽtum dare. Sed quis negat cuiuscunque scriptori, posse propria dicta declarare, & sub vniuersalibus propositionibus, quando sibi oportunum videbitur, excipere? Aristoteles in primo de cælo generaliter locutus sit, nunc facit exceptionem specialem, quare non approbas? In primo de cælo de compositis, & subsistentibus loquebatur, vt fusè *Suessan.* in comment. nunc de formis excipit, ergo nulla est contradictio. In primo de cælo

agit

agit de ijs, quæ ex contrariis cõſtant, vt poſtremus textus primi de cęlo apertè indicat, & propoſitũ diſputandi aduerſus Platonem, & priſcos Philoſophos, qui cælum vel ex contrariis elementis, vel vnum contrariorũ dixerant. Nunc tractat de intellectu, qui nullis contrariis elementorum qualitatibus eſt infectus ex 3. de anima 6. Vel igitur Ariſt. exceptionem facit, vel ſibi non contradicit.

N. 43. Diuidamus itaque conditionalem Ariſtotelis. Vel loqueris de omni anima, & fortaſſe nõ poteſt omnis anima permanere poſt compoſitum: vel de anima, quæ eſt intellectus, & hanc nihil prohibet. Aphrodiſeus in comment. huius textus cum Ariſtotele conſpirat, ſcribens. *Cæterùm vtrum formæ ſeparatæ maneant, & poſt ſeparationem perſiſtant, nec abeant in nihilum, magna quæſtio eſt. In quibuſdam tamen nihil prohibet, nam cum animantium anima ſit forma, nihil obſtat, quominus anima quæpiam, vt intellectus, ſine anima rationis compos maneat. Expertes enim rationis mortales ſunt, quamobrem adiecit fortaſſe.* Alexandrei hos commentarios, quando illorum erroribus fauent, vt in cæli animatu, & ſimilibus, tanquam Alexandri recipiunt: quando refragantur erroribus, reiiciunt, quaſi non ſint Alexandri Aphrodiſei, ſed alterius eodem nomine nuncupati. Noui Franciſcum Patricium lib. 3. diſcuſſ. Peripat. ad finem diſputare, ac oſtendere, quòd hi commentarii non ſint Aphrodiſienſis Alexandri; cui aſtipulatur vir eximię doctrinę, & magnæ mecum neceſſitudinis, Ioan. Cotturius in libro de triplici ſtatu animæ diſput. 5. lect. 7. Item Thom. Gianin. de ſtatu mentis humanæ poſt obitum cap. 3. car. 20.

In oppoſitum tamen ſtrenuè pugnant Geneſius Sepulueda interpres illorum commentariorum, Poſſeuinus in ſelecta bibliotheca, qui & nactus fuit integros illos cõmentarios, Theodorus Angelucius in noua opinione de ſubiecto metaph. & alij. Quæ autem ratio affertur, vt hi commentarij non ſint Alexandri Aphrodiſienſis, duplex eſt, altera, quòd in libros de anima oppoſitum ſcripſerit alter, quòd Soſigenẽ tanquam ſuum præceptorem citet in 7. met. cõment. 6. Soſigenes autem vixerit ante cẽtum ſeptuaginta annos, tempore Iulij Cæſaris. Sed non video, quare Alexander nõ potuerit in dies proficere in Ariſtotelis doctrina, & poſterius hos locos primæ philoſophiæ animaduertere, atque amore veritatis opinionem mutare, iuxta Ariſtotelis monita in primo Nicom. cap. 4. vel 6. Quare itẽ negantes commẽtarios hoſce Aphrodiſeo, poſſint concedere tres Alexandri nomine nũcupatos: aſſerentes autem nõn poſſint duos Soſigenis nomine; probabunt enim, hunc ſecundum, vel ipſius Alexandri atteſtatione. Sed & Philoponus in 2. prior aſſerit Alexandrum expoſitorem (is titulus Alexandri Aphrodiſei eſt gloriæ ergò) fuiſ-

ſe

se discipulum Sosigenis, qui cũ non possit esse idem cum Sosigenes mathematico, alius Sosigene fuisse necessariò euincitur. Obstant Alexandrei, quoniam Alexander (apud Auerroem in 12. met. com. 17.) intellexit Aristotelem de intellectu Dei. Renitor, & vicissim postulo; cur Arabs interpres non potuit falli; & commentarios, qui non essent Alexandri, tanquam Alexandri essent, vertere. Si Genesius Sepulueda Latinus interpres potuit hac in re falli? Sed Posseuinus loco indicato nactus est commentarios illos à Genesio translatos, & eos (quod Genesio non contigit) integros: ex quibus manifestè constat, illos ab Alexandro Aphrodiseo conscriptos. Accedit, quod Philoponus suas in metaphysicam expositiones collegit ex hisce Alexandro ascriptis commentariis: quod qui contulerit facillimè deprehendet. Nec mirũ, omnes enim Peripatetici post Alexandrum magna ex parte ab Alexandro didicerunt. Si ergo Philoponus potiùs credendus est habuisse (vt potè Græcus, & antiquior) veros Alexãdri commentarios, quàm Auerroes Arabs, & recentior: longè probabilius est, hos commentarios esse Alexandri genuinos. Vtcumque sese res habeat de commentariis, Aristoteles ait. Nihil prohibet aliquid remanere posterius. Ergo aliqua forma cum Aristotele post cõpositum dissolutum permanet.

Ex physicis, 2. phys. 26. & primo de partibus cap. 1.

Cap. X.

TRanseamus ad physicen, ex authoritatibus illic scriptis ostensuri, quasdam esse formas à materia separabiles simpliciter. In primo phys. tex. postremo, quot, & qua sint principia secundum formam, primæ philosophiæ determinare, esse dicitur. *De physicis tamen, & corruptibilium* (sic lege ex Græco) *formis, posterius dicendum*. Cum autem physici de vtraque natura, hoc est de materia, & de forma disserere interfit, quæritur limes, in 2. phys. 26. *Quousq; igitur physicum oportet cognoscere formam, & ipsum quid est? An quemadmodum medicus neruum, & fabrum æs, vsq; ad aliquid? Alicuius enim gratia vnumquodque*. Satisfacit. *Et circa ea, quæ sunt separabilia quidẽ forma, in materia autem: homo enim hominem generat, & sol. Quomodo autem se habet hæc separabilis, et quid sit, philosophiæ primæ officium est determinare.* Limes physicus itaque est considerare formam vsque ad ea, quę sunt separabilia quidem forma: sed hæc ipsa in materia considerare debet, neque enim supra materiam attollitur. Sic homo consideratur, qui est separabilis forma, sed forma eius in materia vel existit, vel operatur; & considerat sic à physico probatur, quia sol, & homo sunt agẽtia physica, cæleste, & subcæleste; quæ generant hominem, er-

Nn. 44

ergo homo eſt terminus & generãtium phyſicorum, & generationis phyſicæ, quare à phyſico contemplandus venit, quatenus forma eius eſt in materia, tãquam terminus naturalis mutationis; quatenus verò hæc forma hominis eſt ſeparabilis, quomodo ſe habeat, & quid ſit, primæ philoſophiæ opus eſt dicere. Hinc etiam repellitur Portius, qui negabat primo philoſopho eſſe agendum de intellectu humano. Hæc enim forma, vt ſeparabilis, eſt metaphyſici: vt in materia, phyſici. Quæro, de ſeparabili ne ratione, an re loquatur? Si de ſeparabili re, ſatis habeo. Si de ſeparabili ratione, non magis de forma hominis, quàm de alia quauis ageret primus philoſophus. Sed & mathematicus de ſeparabili ratione ageret: & non ſine ſophiſmate conſequentis argueret Ariſtoteles, datur hæc forma ſeparabilis ratione, ergo à primo philoſopho conſideranda, quia poſſet quiſpiam inferre, igitur à mathematico.

Nu. 45 Conſonat locus ex primo de partibus animal. cap. 1. Scribit autem. *Hominis ſanè naturæ ſtudioſi intereſt de anima diſſerere, ac ſcire: & ſi non de omni anima, tamen de ea ipſa, qua tale animal eſt, et quidnam aut pars iſta animæ ſit &c.* Quia verò hic primò videtur aſſerere, vltimò negare, animæ cognitionem phyſico; mouet ex inſtituto dubitationem.

Vtrum de anima omni docere naturalis ſcientiæ interſit: an de aliqua vna? At ſi de omni, nulla certè præter (παρὰ) naturalẽ philoſophiam relinquetur ſcientia. Intellectus enim, ſiue mẽs (Latinè duo vocabula, intellectus, & mens, Græcè vnum νοῦς. Vnde intellectus, & mens ſunt omnino ſynonima) *rerum intelligibilium eſt: itaque rerum omnium notiones naturalis vna tenebit. Eſt enim eiuſdem ſcientiæ, vt tã de intellectu, quam de intelligibili doceat: ſi quidem eadem contẽplatio eſt omnium inter ſe coniunctorum; ſicut ſenſus etiam, & rei ſenſibilis.* In quo argumento talis eſt forma enthimematis, ſi de omni anima eſt phyſica, ergo de intellectu eſt phyſica. Per regulam primi priorum ſect. 3. cap. 1. excerpo tres terminos: phyſica, anima, intellectus: & quia medius terminus eſt ſubiectum in antecedente, erit prima figura, fietque ſyllogiſmus.

De omni anima eſt phyſica,
Intellectus eſt anima, ergo
De intellectu eſt phyſica.

Ex qua minore liquet eos errare, qui de intellectu Dei exponunt, quia Deus non eſt anima, neque pars animæ, neque differentia animæ. Sequitur argumẽtum, ſi de intellectu eſt phyſica, ergo & de omni intelligibili, quia eadem eſt ſcientia omnium correlatiuorum: ergo nulla prẽter naturalem erit ſciẽtia, vel philoſophia, Græcè παρὰ ſignificat *ſupra*, lege theſaurum linguæ Græcę. Beſſarion in primum cap. metaph. *ſupra communis ſenſus inuentorẽ*, Græcè παρὰ, vertit. Sic in 6.

met. 3. substantiæ præter naturales dicuntur, quæ ad primam philosophiam pertinent. Sensúque est, quòd si intellectus à physico est cognoscendus, nulla scientia supra naturalem relinquetur, idest, non relinquetur metaphysica. Quocirca Aristoteles animam, quæ est intellectus, remouet à speculatione naturalis philosophi: & per consequens illa anima non est inseparabilis à materia; sicut idipsum in 6. met. 2. & 2. phys. 26. est indicatum, & in primo de anima 15.

Nu.46 Sed postquam Aristoteles dubitationem proposuit, resoluit dicens. *An non omnis anima principium motus est, neque partibus animæ omnibus id tribui debet?*

Sed augendi principium idem putandum, quod in plantis est.

Alterandi vim eandem, quam sentiendi.

Deferendi autem aliud quiddã, non vim intelligendi. Delationem enim vel in cæteris esse animalibus nouimus: intellectum, siue mentem in nullis

Constat igitur nõ de anima differere omni oportere: quandoquidem non anima omnis natura est: sed aliqua eius pars vna, aut plures. Aliam quoque rationem affert infra considerandam.

In ista ratione Aristotelis liquidò constat sermonem esse de anima, qua animal constat, & de anima, qua tale animal, iuxta præcitata verba; non de animabus cælorum, vel de cælorũ motoribus, vel de Deo. Intellectus, de quo Aristoteles agit, est in ijs animalibus, quorum historiam scripsit, & partes tractat: de cæli autem partibus, ne per somnium quidem in libris de partibus animalũ. Agit de intellectu, qui est anima. Resoluamus in formam syllogismi argumentum.

Intellectus non est principium motus
Intellectus est anima, ergo
Non omnis anima est principiũ motus.

Conclusionem hanc accipe pro minore, sic.

Omnis natura est principium motus
Non omnis anima est principium motus, ergo
Nõ omnis anima est natura.

Maior prima inductione probatur, quia principium motus adæquatum augmenti est vegetatiua anima: alterationis vitalis est sẽsus: lationis animalium est vis motrix communis bruris, & homini. Intellectus enim duplex est (ad præsens) actiuus, & speculatiuus, prior est principium motus, & cum imaginatione iungitur in vna ratione communi; sed speculatiuus intellectus non mouet, sed manet ex 3. de anima 57. Hic intellectus non est principium motus, non est natura, quare est separabilis: nõ ratione solùm, quod omni formæ separabili competit, sed etiam re. Quamobrem in 2. de anima 21. concluditur. *De intellectu autem, & speculatiua potentia nihil adhuc manifestum est* (an scilicet habeat partem

ſem corporis ſeparatã ab aliis) *Sed videtur aliud genus anime eſſe, & hoc ſolum poſſe ſeparari, ſicut perpetuum à corruptibili.* Sic in 2. de anima 32. intellectus ſpeculatiuus ab animabus eximitur.

Nu.47 Secunda ratio pro reſolutione quęſiti, an de omni anima phyſicus agat, eſt. *Adhuc, rem à materia abſtractam nullã poteſt phyſica contemplari, cum natura rei alicuius gratia faciat.* Omnis enim factio naturalis eſt circa materiam, vt paſſum. Annecte minorem, aliqua anima eſt à materia abſtracta, vel aliqua animæ pars, puta, quæ expreſſa eſt, vis intelligendi; ergo de aliqua anima non eſt phyſica. Vides aliam minorem nõ poſſe ſub maiore textus locari. Summam facio; forma illa, quæ eſt intellectus, ſeu vis intelligẽdi, non eſt principium motus, non eſt natura, non eſt phyſicæ contemplationis, non eſt concreta cum materia, ſed à materia eſt ſeparata.

Porrò gradus iſtius ſeparationis, neque tantus eſt, vt illa vis intelligendi, quæ eſt in animali aliquo, ſit Deus. Etenim Deus non eſt pars animæ, vel anima, quæ eſt pars hominis: neque eſt pars totius exercitus vniuerſi, ſed ſupra vniuerſum. Propterea quòd omnis pars eſt gratia totius, Deus eſt primus finis, qui ex 2. met. 8. & 9. non eſt alterius gratia, ſed illius cauſa cętera. Intellectus autem, de quo in ſupradictis rationibus, eſt vel anima, vel animæ pars; non ergo eſt Deus. Neque ille gradus abſtractionis tã exiguus eſt, vt ſit ſola ratione factus: quia ſic etiam forma vegetalis, et ſenſualis ſunt ſeparabiles, imò formæ omnes ſubſtantiales, 8. met. 3. quin & mathematici talis abſtractio eſt. Realis itaq; ſeparabilitas formę ſubſtantialis, quæ eſt anima intellectu prędita, eſt concedenda.

Sed Gianinius obſtat. Quoniã *N. 48.* Ariſtoteles nondum conſtituit, quid de anima, & intellectu ſit ſentiendum; quia libri de partibus prędunt libris de anima, ergo ex incognitis non eſt ratio dubitandi. Sed hoc friuolum eſt. Aliud enim eſt de modo ſciendi, aliud de ſcientia diſſerere, 2. met. 15. quãdo quæritur, an ad iſtũ, vel illũ artificem tractatio ſpectet, & quomodo; quæritur de modo ſciendi, non de ſcientia rei. Prius verò ſciendi modus exquirendus, qui toto capite primo de partibus inquiritur. Ita primo phyſ. 1. docetur, de principiis eſſe agendum, cum nihil adhuc de principiis naturalibus, neque de natura conſtaret.

Secundò, hæc Gianinii ratio facit, vt Ariſtoteles non dum de mente (quã Gianinius, vti Alexandreus palliatus, Deum eſſe dicit) ſed neque de anima loquatur: de qua diſertiſſimè in textu tractatur, atque de vegetali, ſentiente, mouente, intelligente gradu. Hoc eſt confutare Ariſtotelem, non ſenſa Ariſtotelis veſtigare. Sed hunc Alexandri, & mortalitatis defenſorem ſub pallio reprehenſoris perſonatum, miſſum faciamus.

Ex 2. de genrat. animal. cap. 3.

Cap. XI.

Nu. 49 CElebertimus locus est in lib 2. de gener. animal. cap. 3. Tractantem enim de generatione animalium oportet tractare de origine animarum, quibus animal constat. Animal autem perfectum semine medio generat; nulla quidem pars seminis est in prole, sed ex semine, vt instrumento animalis generantis, fœtus gignitur. Cum itaque semen suo functum est munere, fœtusque constiterit, quid de semine, & corpulentia seminis fiat, quæritur? Indicat Aristoteles dicens. *Corpus autẽ genitura, in quo semen animalis principii cõtentum vna prouenit, partim separabile à corpore, in quibus diuina pars comprehenditur, qualis est, qua mens appellatur: partim inseparabile; hoc, inquam, genituræ corpus dissoluitur, versumque in spiritum euanescit.* Sensus est. In corpore genituræ contentum vnà prouenit semen animalis principii: cuius principii animarii, hoc quidem est separabile à corpore (in quibus, scilicet animalibus, diuina pars comprehenditur, quæ est intellectus, seu mens) hoc verò inseparabile. Sic enim duo diuidentia, fideliùs ex Græco vertuntur. τὸ μὲν, τὸ δὲ. igitur animale principium, siue principiũ animarium, quod est anima, alterum est separabile à corpore, qualis est pars diuina, nempe intellectus: alterum inseparabile. Deus ne est principium animale, an potius anima, quæ est principium animalium, ex 1. de anim. secundo? Deus ne est pars diuina, an potius nullius pars, cum omnis pars toto sit imperfectior, vel minor? Non ergo loquitur de Deo, sed de intellectu, qui vel est anima, vel animę pars. Quo separato, & animam separari conspicuum est, atque posterius manere, quemadmodum in 12. met. 17. dicebatur.

Nu. 50 Aliud quoque in eodem capite est celebre argumentum; diuidatur caput in dubitationes, & resolutiones. Sententia Aristotelis non ex dubitationibus quærẽda, sed ex resolutionibus. Dubitat de anima sensuali, an sit in *semine*, & in *fœtu*: & vnde sit: quorum illud quærit, an insit anima sensitiua in cõcepto fœtu; istud vnde insit effectiuè. Ratio dubii est, quia hæc non debent poni omnino carere anima, cum crescant, quapropter animam habent vegetalem. *Sed quamobrem eam primum haberi necesse sit, ex iis, quæ alibi de anima disseruimus, apertum est: sensualem etiam, qua animal est, procedente tempore recipi: (& rationalem, qua homo) certum est; non enim simul & animal fit, & homo; nec animal, & equus.* Nota quę in proxima parenthesi sunt conclusa in duobus Græcis codicibus, altero Aureliæ Allobrogum impresso 1607. altero Lugduni 1590. non haberi. Sed neque vir polygraphos, Fortunius Licetus in tribus suis Venetiis, Francofurti, Genuę excusis habet illam clausulam; quã me-

meritò expũgo, tot teſtibus cõuictus. Fit igitur inductio, quia enim non ſimul fit animal, & homo, animal, & equus, ideò nec ſimul planta, & animal fit, ſed poſteriori tempore fit animal.

Poſtquam dubitatum eſt de ſenſuali, & inſertum de vegetali, tranſit ad mentem. *Quamobrem & de mente etiam 1. quonam tempore, 2. & quomodo, 3. & vnde eam recipiant, quæ principium id participant, plurimum dubitatur.* Quę dubitatio eſt de principio animali, non plantæ, vel animalis, ſed homini, ſcilicet de anima intellectrice; nam & de ipſa reſoluit hęc tria. quod ſi eam non propoſuit, & de ipſa anima reſoluit, neſcio, an ad propoſitum loqueretur. Hucuſque dubitatio, quam abſoluit his verbis. *Sed enitendum pro viribus, & quoad fieri poteſt accepiſſe operæ pretium eſt.* Quocirca dicta hucuſque nihil certi afferunt, imò corriget dictum de vegetali; abſolutè enim dictum fuit, vegetalem in conceptibus eſſe: at corriget, priùs potentia haberi, quàm actu. Dictum eſt priùs vegetalem, poſteriùs ſenſualem recipi, ſed non eſt indicatum, quando actu recipiatur hęc, vel illa: docebit hoc fieri, quando poſſunt fungi officio ſuo. Propterea quicquid hactenus dictum, pro non dicto habetur, niſi in reſolutione approbetur.

Nu 51 Reſoluit Ariſtoteles. *Animã igitur vegetalem in ſeminibus, cõceptibus ſcilicet nõ dum ſeparatis, haberi potentia ſtatuendum eſt, non actu: priuſquam eo modo, quo conceptus, qui iam ſeparantur, cibum trahant, & officio eius anima fungantur. Principiò enim hęc omnia vitam ſtirpis vivere viaẽtur. De anima quoque ſenſuali pari modo dicendum eſt, atq; etiã intellectuali omnes enim potentia priũ haberi, quã actu neceſſe eſt.*

Sed aut omnes contingere &c. Reſoluit duo quęſita, quomodo, & quando ſint animę in cõceptibus; quomodo, quia potentia, vel actu habentur: quãdo, & hoc dupliciter, vel comparando animam ad animam, ſic primum vegetalis ponitur, ſecundò ſenſualis, tertiò intellectualis, iuxta 2. de anima. Vel comparando ſtatum ad ſtatum eiuſdem animæ, ſic vegetalis priùs in eſt potentia, poſteriùs actu: tunc autem actu, quando poteſt officio talis animæ fungi. Vbi obſerua, ſi Ariſtoteles per animam intellectualem intelligat mentem, & è contra, tunc Ariſtotelẽ reſpondiſſe ad amuſſim, & quomodo, & quando mens inſit conceptui, ſicuti de mente propoſuit. Si autem n ẽs neque ſit anima intellectiua, neque illius pars, Ariſtoteles ſui oblitus eſt; nam ante ſex lineas de mente tradendum eſſe quomodo, & quando inſit, propoſuit: ſed hęc docere oblitus eſt. Nihil etenim de mente dicit, quo ad has dubitationes. Nam ſtatim de omnibus animabus quęrere pergit, *vnde* ſint: quod quidem de ſenſuali, & mẽte antea propoſuit diſquirendum. Duo igitur errata eſſent, non propoſuiſſe de anima intellectiua,

na, sed respondisse: non respõdisse de mente, sed proposuisse.

Circa tertium, hoc est, circa ipsum *vnde sint* animæ, tria proponit inquirenda; primum de duratione, & existentia animarum ante conceptum: An omnes contingant in fœtu, cũ ante non fuerint, aut omnes, cum ante fuerint: aut partim cum ante non fuerint, partim cum ante fuerint.

Secundum, quoniam in materiã prolis animæ veniunt à masculo, & à semine: à mare vt efficiente principali, à semine vt efficiente instrumentali: à fœmina verò non veniunt, per primũ de gener. animal. cap. 18. & 21. ac 22. quærit Vtrum animæ recipiantur in materiam, aut non subeuntes semen maris, aut inde, ideſt, ex semine maris veniẽtes in materiã; quia animæ adueniũt in materiã vel ex semine maris, vel non ex semine maris.

Tertiũ de animabus in masculo quęrit, an omnes extrinsecus, cõtingãt, an nullæ, an aliquę extrinsecus aliquæ intrinsecus. Differunt hæ quæstiones, prima est de præexistentia animæ ad corpus, secunda de effectione animarum à semine, vt à principio vnde, tertia de aduentu animarum in masculo, an scilicet ex eius virtute causatiua intrinseca prodeant, an extrinsecus accedant in fœtum, non autem à virtute causante masculi.

Nu. 52 Propositis tribus quæsitis, statim respondet. *Cæterum omnes* (ideſt animas, nam nullũ aliud substantiuum fingere licet, siue in proponendis quæsitis, siue in soluendis) *ante esse, impossibile rationibus his esse ostẽditur. Quorum enim principiorum actio est corporalis, hæc sine corpore inesse non posse, certum est. Verbi gratia, ambulare sine pedibus. Itaq; extrinsecus ea venire impossibile est. Nec enim ipsa per se accedere possunt, cum inseparabilia sint: neq; cum corpore, semen enim excrementum alimenti mutati est. Restat igitur, vt sola mẽs extrinsecus accedat, eaq; sola diuina sit: nihil enim cum actione eius communicat actio corporalis.* Quia omne principium actiuum est principale, vel instrumentale; principium actiuum principale, quod habet actionem, ad quam organum corporeum, & eliciendam, & recipiendam cõcurrit, non potest esse sine corpore organico; quemadmodum fit inductio in potentia ambulãdi, nam ambulare non est sine pedibus, pedes enim sunt organum, & eliciens actum ambulandi, & recipiens, simul cum facultate ambulatrice. Ideoq; actio illa, quæ est cum organo corporali est corporalis, & principium actiuum informans organum ita cõcurrens, non potest esse sine corpore organico. Quia verò tales sunt anima vegetalis, ac sensualis, conspicuum est has potentias neque accedere sine organo corporeo, quia non sunt à corpore separabiles: neque cũ corpore seminis inorganico, quia est excrementum (non corpus organicum) quod est potẽtia tantùm habens animam, nõ actu. Si per mentem, siue intellectũ intelligatur anima intel-

tellectiua, iam quędam forma, vel pars formę extrinſecus accedit, & eſt ſeparabilis.

Nu. 53 Quia verò hoc potiſſimum loco torquentur Alexandrei, Alexandreum illum animæ perẽptorem, dum ſe maximè iactat defenſorem immortalitatis, audiamus cap. 30. car. 155. *Mentis nomen Ariſtoteli non poteſt ſignificare animam rationalem, quæ ex præſtantiſſima intelligendi facultate, mens quandoque nuncupatur, quia paulò ſupra cum Ariſtoteles certum eſſe dixiſſet, animam ſenſualem, qua animal eſt, tempore procedente recipi, & rationalem, quâ homo, confeſtim adiungit, de mente plurimum dubitari, quo tempore, quomodo, & vnde eam recipiant, quæ principiũ id participant. Ergo nomine mẽtis aliud habet propoſitum, quam animam rationalem.*

Reſpondetur in textibus Grę cis, vt ſupra monui, non eſſe illa verba. *Rationalem, qua homo.* Fundamentum ergo Gianinii inane eſt.

Secundò, non eſt abſurdum, vt quæſtione prius propoſita in communi, eadem proponatur diſtinctè in eo, de quo plurimũ dubitatur. Antea quidem erãt diſperſę dubitationes, ſed de mente colliguntur.

Tertiò, falſum eſt, id quæri poſterius de mente, quod ante reſolutum erat. Fac eſſe dictũ de tempore, comparando animam; quia rationalis poſt ſenſualem accedat: hoc non repetit, ſed de eadem anima, quando fit actu, quando potentia, diſſerit. Quęritaque de ipſa mente quomodo, & quando, & vnde; inſpice reſolutionem, neque quomodo, neque quando de mente dictum eſt, ſed de anima intellectiua; ſi igitur anima, & mens ſe habent, vt eſſẽtia, & potentia, ſeu pars, recte ſe habet: ſin autem, mancus eſt Ariſtoteles.

Secundò, Gianinius arguit. Ariſtoteles ſtatim ac dixit, mẽtem extrinſecus accedere, quia cum actione eius non communicat corpus, continuò ſubiungit, omnem animam aliud corpus participare. Atqui hæc nõ cohærebunt, ſi mentis nomine intelligitur anima rationalis.

Reſpondetur, anima rationalis, ſicut & omnis anima habet corpus diuinius, quàm ſint elementa, quia eſt actus corporis. Sed pars eius, quę eſt mẽs, non habet actionem communicatam cum actione corporali. Nego autem, quòd hæc non cohæreant.

Nu 54 Tertiò, arguit. Actus intelligendi eſt actio animæ rationalis propria: atque hic actus eſt cum ſenſu, aut per ſenſum 3. de anima 39. qui poteſt fieri, vt cũ eo non communicet actio corporalis; ſi initio libri de ſenſu, & ſenſili, actiones, quæ cum ſenſu, aut per ſenſum aguntur, ad corpus, & animam communiter attinẽt.

Reſpondetur. Negando minorem. Neque enim in 3. de anima hoc dixit Ariſtoteles, quod Gianinius proponit. Intelligere eſt actio propria intellectus, & animę intellectiuę, quæ neque cum ſenſu eſt, neque per ſenſũ,

ſi

si per se loquaris: per accidens est cum sẽsu; at id, quod est per accidens non tollit id, quod per se. Verùm in hoc argumento Gianinii amphibologia est, quia multis modis dicitur quippiam cum alio, vel sine alio.

In 2. de gener. animal. cap. 3. cũ corpore, vel sine corpore dicitur, vt cum instrumento, vel sine, sicut ambulare non est sine pedibus. Siquidem neque anima, neque pars animę est actus corporis, cuiuscunque, sed pręcisè corporis organici. De tali ergo corpore loquitur, quale est corpus animę, & primum eiusdem subiectum. Hoc modo intellectio quę est opus mẽtis, sed quod idem est, opus intellectus, non communicat cum actione corporali, ex 3. animę 6.

In 3. de anima 30. & 39. cum phantasmate, vel sine phantasmate, tanquam cum obiecto, vel sine obiecto assumitur.

In 2. de anima 161. tanquam cum pręuio, vel sine prævio. Sic primo post. 134. Ita phantasia non est sine sensu prævio, operatur tamen in somnis sine sensu cooperante.

In primo de anima 12. & 14. tanquam cum subiecto, vel sine subiecto. Ita in primo cap. de sensu, & sensibili, omnis passio communis est cum subiecto corpore, vel sensu, vel etiam per sensum. Aliter quoque in 2. de anima 158. imaginatio negatur esse opinio cum sensu, vel per sensum. Aliter hę phrases vsurpantur in primo cap. de sensu, & sensus. exempli causa, vigilia est per sensum elicientem, vt subiectum organicum, somnus cũ sensu, vt subiecto. Vnde Aristoteles dic 1, quomodo sint cum sensu, vel per sensum. *Quia hæc quidem sunt passiones, vel habitus ipsius sensus: hæc autem custodia, & conseruationes: hæc verò corruptiones, & priuationes.* Quare ex phrasi ista intelligere, neq; est passio, aut habitus ipsius sẽsus: neque custodia, vel conseruario: neque corruptio, & priuatio: ergo neque per sensum, neque cum sensu. Quid igitur ex locutione tàm ambigua concludere est, nisi operam ludere? Sanè si diligenter attendas, quot modis dicitur *sine hoc*, vel *cum hoc*, vel *per hoc*, magnam congeres summam.

An mens extrinsecus accedens apud Aristotelem, sit Deus?

Cap. XII.

Nu. 55

GIanninus cum Alexandro per mentem (quæ extrinsecus accedit, intelligit intellectũ efficiẽtem, qui ipsi est deus) & non est pars animæ nostræ. Probat, quia nomine mẽtis pronũciato absolutè intelligit Philosophus supremam mentem. 12. met. 51.

Respondetur, in 12. met. est locus proprius tractãdi de Deo: si ergo iuxta subiectam materiã *mens* absolutè significet Deum, congruum est: statimq; ab Aristotele declaratur, se loqui de diuinissimo eorum, quæ videntur. In 2. de gener. animal. tractatur de origine animarum, & animalium, atque partium earum. Si ergo per mentem intelligas humanam, æquum est. Si diuinam, absonum est, quia

Deus

Deus nec eſt animal, nec anima, nec pars iſtorum. Propoſita eſt dubitatio de animabus, ſi reſpõdes de Deo; pro allio cæpas. Itẽ paulò inferius mentem vocat, & principium animale, & partem, ſed tamen, & diuinam, & ſeparabilem aſſerit. Profectò de eadem mente intelligit, niſi fingas.

Num. 56 Secundò noto, quòd Ariſtoteles Deum, vel Dei intellectũ, nunquam vocat (quod meminerim) hoc titulo, mens diuina, neque diuini nomine Deum ſignificat, vt mox patebit.

Tertiò, Gianinius contra locum ex primo de partibus, nolebat Ariſtotelem loqui de intellectu, quia nondum dixerat quid anima, quid intellectus. Reflecto telum; nondum quicquam dixit de mente effectrice, neque de Deo: ergo non aduocat nunc vel Deum, vel mentem effectricem.

Secundò arguit. Mentem noſtram ſolet appellare mentem, qua intelligit, & exiſtimat anima 3. de anim. 1. & 5. Hic nõ ita.

Reſpondeo, vbi erat locus deſcribendi, deſcripta eſt mens humana. Sed & in 2. de gen. animal. ſub anima docetur cõprehendi, quia propoſitis quæſitis de animabus, *mens* vt anima reſpondetur.

Tertiò arguit. Ariſtoteles hic tanquam indubitatum ponit, cũ actione mentis non communicare actionem corporalem. At hoc eſt maximè dubium de anima noſtra, certiſſimum de Deo. Reſpondetur, neque apud Alexãdreos certum eſt de Deo, quia nõ poteſt illuſtrare phantaſmata ſine phantaſmate. Neque poteſt ſeparari à phantaſmatis omnibus, ſed ab hoc ſingulari, vel illo: vnde tàm erit ſeparabilis Deus à corporibus humanis, quàm materia à formis, ſcilicet à ſingulis, non ab omnibus. Aliis verò certiſſimum eſt, noſtrum intelligere eſſe ſine organo corporeo, atque adeò non communicare cum actione corporali: neque corpus vllo modo concurrere ex parte potentiæ ad eliciendam, vel recipiendam intellectionem. Solùm vt obiectum extrinſecum cõcurrit. Sed obiectum non tollit ſeparabilitatem intellectus à phantaſia, ſicut neque ſenſibile tollit ſeparabilitatem animalis à pariete, vel coloratis.

Quartò arguit denique. Més hic dicitur ante corpus eſſe, & extrinſecus accedere. At in 12. met. 16. forma ſimul eſſe cum compoſito dicitur, non præcedere. Num. 57.

Reſpondetur, in 12. tex. 16. non loquitur vniuerſaliter, ſed indefinitè. Aepropter exceptioni locus eſt, ſi enim anima intellectiua poſterius permanet, etiam ante fuit. De aliis omnibus ſit verum, quòd formæ non ſunt ante compoſitum, non de intellectiua, quod in ſolutione, vltimo capite patebit.

Quæ ſubdit Gianinius, ſuadẽs Ariſtotelem nomine mentis intelligere intellectũ in actu, indigna conſideratu ſunt. Intellectus in actu non eſt, quo animal ſit, ſed quo accidentaliter ſit. Ad in 2. de gen. animal. cap.

si per se loquaris: per accidens est cum sẽsu; at id, quod est per accidens non tollit id, quod per se. Verùm in hoc argumento Gianinii amphibologia est, quia multis modis dicitur quippiam cum alio, vel sine alio.

In 2. de gener. animal. cap. 3. cũ corpore, vel sine corpore dicitur, vt cum instrumento, vel sine, sicut ambulare non est sine pedibus. Siquidem neque anima, neque pars animę est actus corporis, cuiuscunque, sed precisè corporis organici. De tali ergo corpore loquitur, quale est corpus animę, & primum eiusdem subiectum. Hoc modo intellectio quę est opus mẽtis, sed quod idem est, opus intellectus, non communicat cum actione corporali, ex 3. animę 6.

In 3. de anima 30. & 39. cum phantasmate, vel sine phantasmate, tanquam cum obiecto, vel sine obiecto assumitur.

In 2. de anima 161. tanquam cum prœuio, vel sine prœuio. Sic primo post. 134. Ita phantasia non est sine sensu prœuio, operatur tamen in somnis sine sensu cooperante.

In primo de anima 12. & 14. tanquam cum subiecto, vel sine subiecto. Ita in primo cap. de sensu, & sensibili, omnis passio communis est cum subiecto corpore, vel sensu, vel etiam per sensum. Aliter quoque in 2. de anima 158. imaginatio negatur esse opinio cum sensu, vel per sensum. Aliter hę phrases vsurpantur in primo cap. de sensu, & sensus. exempli causa, vigilia est per sensum elicientem, vt subiectum organicum, somnus cũ sensu, vt subiecto. Vnde Aristoteles dicit, quomodo sint cum sensu, vel per sensum. *Quia hæc quidem sunt passiones, vel habitus ipsius sensus: hæc autem custodia, & conseruationes: hæc verò corruptiones, & priuationes.* Quare ex phrasi ista intelligere, neq; est passio, aut habitus ipsius sẽsus: neque custodia, vel conseruatio: neque corruptio, & priuatio: ergo neque per sensum, neque cum sensu. Quid igitur ex locutione tàm ambigua concludere est, nisi operam ludere? Sanè si diligenter attendas, quot modis dicitur *sine hoc*, vel *cum hoc*, vel *per hoc*, magnam congeres summam.

An mens extrinsecus accedens apud Aristotelem, sit Deus?

Cap. XII.

Nu. 55

Gianinius cum Alexandro per mentem (quæ extrinsecus accedit, intelligit intellectũ efficiẽtem, qui ipsi est Deus) & non est pars animæ nostræ. Probat, quia nomine mẽtis pronũciato absolutè intelligit Philosophus supremam mentem. 12. met. 51.

Respondetur, in 12. met. est locus proprius tractãdi de Deo: si ergo iuxta subiectam materiã *mens* absolutè significet Deum, congruum est: statimq; ab Aristotele declaratur, se loqui de diuinissimo eorum, quæ videntur. In 2. de gener. animal. tractatur de origine animarum, & animalium, atque partium earum. Si ergo per mentem intelligas humanam, æquum est. Si diuinam, absonum est, quia

Deus

Deus nec eſt animal, nec anima, nec pars iſtorum. Propoſita eſt dubitatio de animabus, ſi reſpõdes de Deo; pro allio cæpas. Itẽ paulò inferius mentem vocat, & principium animale, & partem, ſed tamen, & diuinam, & ſeparabilem aſſerit. Profectò de eadem mente intelligit, niſi fingas.

Nu.56 Secundò noto, quòd Ariſtoteles Deum, vel Dei intellectũ, nunquam vocat (quod meminerim) hoc titulo, mens diuina, neque diuini nomine Deum ſignificat, vt mox patebit.

Tertiò, Gianinius contra locum ex primo de partibus, nolebat Ariſtotelem loqui de intellectu, quia nondum dixerat quid anima, quid intellectus. Reflecto telum; nondum quicquam dixit de mente effectrice, neque de Deo: ergo non aduocat nunc vel Deum, vel mentem effectricem.

Secundò arguit. Mentem noſtram ſolet appellare mentem, qua intelligit, & exiſtimat anima 3. de anim. 1. & 5. Hic nõ ita.

Reſpondeo, vbi erat locus deſcribendi, deſcripta eſt mens humana. Sed & in 2. de gen. animal. ſub anima docetur cõprehendi, quia propoſitis quæſitis de animabus, *mens* vt anima reſpondetur.

Tertiò arguit. Ariſtoteles hic tanquam indubitatum ponit, cũ actione mentis non communicare actionem corporalem. At hoc eſt maximè dubium de anima noſtra, certiſſimum de Deo. Reſpondetur, neque apud Alexãdreos certum eſt de Deo, quia nõ poteſt illuſtrare phantaſmata ſine phantaſmate. Neque poteſt ſeparari à phantaſmatis omnibus, ſed ab hoc ſingulari, vel illo: vnde tàm erit ſeparabilis Deus à corporibus humanis, quàm materia à formis, ſcilicet à ſingulis, non ab omnibus. Aliis verò certiſſimum eſt, noſtrum intelligere eſſe ſine organo corporeo, atque adeò non communicare cum actione corporali: neque corpus vllo modo concurrere ex parte potentiæ ad eliciendam, vel recipiendam intellectionem. Solùm vt obiectum extrinſecum cõcurrit. Sed obiectum non tollit ſeparabilitatem intellectus à phantaſia, ſicut neque ſenſibile tollit ſeparabilitatem animalis à pariete, vel coloratis.

Quartò arguit denique. Mẽs hic dicitur ante corpus eſſe, & extrinſecus accedere. At in 12. met. 16. forma ſimul eſſe cum compoſito dicitur, non præcedere. *Num. 57.*

Reſpondetur, in 12. tex. 16. non loquitur vniuerſaliter, ſed indefinitè. Aepropter exceptioni locus eſt, ſi enim anima intellectiua poſterius permanet, etiam ante fuit. De aliis omnibus ſit verum, quòd formæ non ſunt ante compoſitum, non de intellectiua, quod in ſolutione, vltimo capite patebit.

Quæ ſubdit Gianinius, ſuadẽs Ariſtotelem nomine mentis intelligere intellectũ in actu, indigna conſideratu ſunt. Intellectus in actu non eſt, quo animal ſit, ſed quo accidentaliter ſit. Ad in 2. de gen. animal. cap.

3. agit de anima, qua planta, animal, homo est.

Postremò, quia nullum non mouet lapidem, vt loca pro intellectricis animæ perennitate, infirmet: ex Zabarella, scilicet Alexandreo, taxat Theodorum Gazam, qui trāstulit *Restat igitur* per modum concludentis, cum esset vertendum *Restat autem*, quam dicit notam dubitantis. Rectè quidem Gaza ex probatis superius colligit, quia ex actione sine corpore, vel nō sine corpore, colligit Aristoteles principium actiuum esse sine corpore, vel non sine eo. Cæterum ineptum est affirmare particulam *autem*, quæ aduersatiua est, esse dubitatiuam. Oppositio quidem attenditur duorum circa idem subiectum: cum ergo proposita sit Aristoteli *anima*, nam de animabus præcisè ait, omnes potentia prius haberi: de animabus quęrit, an omnes ante corpus, an omnes extrinsecus accedant: de animabus ait, omnes ante esse, est impossibile: de ipsis reddit duas rationes aduersas, vnam, agere nō sine corpore organico, vti sunt pedes, & concludit cōclusionem negatiuam, non esse separabilem, nō extrinsecus accedere: alteram, agere sine corpore communicante, quare extrinsecus accedere: & esse separabilem.

Itaque si per mentem intelligit animam, scitè particulam aduersatiuam *autem* apponit. Si aliud, quod non sit anima, inscitè, & non ad propositum apponit *autem*, neque ad propositum respondet. Imò & falsò. Si enim ex animabus sola mēs animastica extrinsecus accedit, particula *sola* excludit in solo genere animarum, & verè. Si autē excludat siue in genere animarum, siue extra illud genus, nō sola mens, quæ Deus est, sed omnes cęlestes mentes habent actionem non communicatam cum corpore, & separatæ sunt, & ante sunt.

Denique adiicio ea, quæ concludit Gianinius. *Hic igitur locus*, inquit, *parum aduersariis opitulatur, in quo Aristoteles vel nostram mentem, vt Alexander interpretatur, non habet propositam: vel si propositam habet, non simpliciter affirmat, ipsam extrinsecus venire; sed aut, vt ego exposui, eam intuetur, qua ex parte est mens actu, & non eo pacto, vt est aliquid animæ nostræ, & secūdum suam substantiam: aut, vt Auerroes sentit, dubiam, & incertam profert sententiam.* Vertit se hic Vertumnus alter, in omnia potius, quàm in veritatem: nam eam, quantum in se est peremptam vult. *Car. 158.*

Veruntamen vt magis constet Aristotelē non intelligere Deum nomine mentis, quam diuinam appellat: ostendo primò nullā esse necessitatem recurrendi ad Deum. Substantia hominis est diuina, ergo per mentem, quæ dicitur diuina, optimè intelligimus ipsam formam, & substantiam hominis. Antecedēs est Aristotelis in 4. de partibus *Nu. 58*

an-

animaliũ cap. 10. car. 1190. *Solus enim animalium omnium (homo) erectus eſt, quoniam eius natura, & ſubſtantia diuina eſt. Officium autem diuini eſt ſapere, ac intelligere; quod non facilè eſſet, ſi vaſta corporis moles aſſideret: pondus enim tardiorem reddit & mentem, & ſenſum communem.* Vides mentem dici naturam, & ſubſtantiam hominis: naturam, atque ſubſtantiam hominis eſſe diuinam?

Secundò, intelligere, & ſapere eſt officium diuini, & hoc officium tribuitur naturæ, ac ſubſtantiæ hominis. Quis autẽ noſtrum in ſe experitur duplex intelligere? vnum mentis, quæ Deus eſt, alterum mentis, quæ natura, & forma eſt?

Tertiò, quale monſtrum ponunt Alexandrei, hominem cõſtare ex tribus ſubſtantiis, corpore, anima, Deo? Tricorporeũ nobis Gerionem, vel trifaucem Cerberum formantes. Scilicet Ariſtoteles omnem ſubſtãtiam, aut ſimplicem ponit, vt ſubſtantias immobiles, aut compoſitam ex duabus, materia, & forma. Tertiam adiicere componentem, monſtrum eſt.

Quartò, intelligere ſubſtantiæ diuinæ hominis, eſt ne cum pedibus, an ſine pedibus, ideſt, cum organo corporeo, an non? Si neges, ergo ad ſẽſum Ariſtotelis in 2. de gener. animal. cap. 3. Mens humana non cõmunicat in actione ſua cum actione corporali. Si affirmes, vide, ne te Ariſtoteles confutet in 3. de anima 6. neuè in homine duas fingas intellectiones.

An dices, in 4. de partibus mentem, quæ eſt ſubſtantia diuina, Deum intelligi? Sed Deus non eſt natura, vel ſubſtantia hominis. Sed Deus pondere corporis non grauatur, ſicuti mens hominis grauatur.

Ad hæc in 2. de partibus cap. 10. car. 1133. *Homo ex animalibus cognitis, vel ſolus, vel maximè diuinitatis eſt particeps.* Nimirum quia ſubſtantia eius diuina eſt, participationem diuinitatis habet, nõ diuinitatem totam. Si ergo habes in homine animam intellectualem, quæ mens diuina eſt: cur ad aliã mẽtem, Icari ad inſtar, ruiturus in mare errorum, volas?

Secundò, item oſtendo hoc vocabulum *diuini* longè ampliſſimum eſſe, quod vix vſquam ab Ariſtotele Deo datum reperio, niſi cum addito. Vox *Diuinum* apud Ariſtotelem ſignificat præcellens. In 3. de gener. animal. cap. 10. car. 1296. de Apũ genitura cum ſuis congenetis cõparata, ſcribit Philoſophus. *Quod ad generationem cognatorũ eis animalium pertinet, vt crabronum, veſparumque, ſimilis quodammodo ratio eſt: ſed aeſuit his natura locuples dotatio. Nihil enim, vt apum genus, habẽ diuinitatis.* Habent apes diuinitatem, non veſpæ, ideſt, naturam præſtantiorem habent. N. 59.

Sic in 2. de cælo 17. Cælum corpus diuinum appellat reſpectu elementorum; quia verò in 2. de gener. animal. cap. 3. omnem animam dicit habere corpus diuinius, quàm ſint elemẽ-

ta. Hinc factum est, vt quidam dixerint corpora animalium esse composita ex corpore cęlesti, & elementari. Certè Aristoteles eodem capite, bis tribut mẽti esse diuinam: secundò loco absque dubio de principio animario loquitur: tribuit etiã animalibus omnibus corpus diuinũ, ergo ne omnia animalia habẽt corpus cæleste, & diuinũ? Quòd si corpori diuino forma diuina cõueniat, omnes animæ animaliũ erũt diuinæ. Quid ni? Si ex 2. de ani. 34. omnia perfecta, & nõ orbata generãt, vt ipso diuino esse participent? Item ex primo phys. 81. *Existente bono diuino, & appetibili &c.* Forma omnis, etiam veneni, etiam luti et iam retrimenti diuina est. An si hoc epithetum *diuini* Deũ significet, non reuertemur ad colendos Deos, Stercutium, & Latrinã, quos à philosophis decepti coluerunt gentiles? Consule Horologium Principũ Antonii Gueuarræ. Ergo comparatis duobus, vt materia, & forma, nobilius appellatur diuinum. Comparatis vespa, & ape, apis est diuina: homine, & brutis, homo est diuinus: animabus irrationalibus, & intellectiua, intellectiua est diuina, deque hac loquitur Aristoteles, quando mentem diuinam esse dicit.

N. 60. Nam Deum hoc titulo *Diuini* præcisè non ostendunt indicatum, neq; ego reperio: cum addito reperio, vt in primo de cælo 100. *Omne diuinum est intransmutabile, primum ac maximè sũmum attestatur iis &c.* Deus vtique est diuinum cum addito, *Primum, ac maximè summum*: In 12. met. 51. De Deo scribens nomine mentis addit. *Videtur enim eorum, quæ apparent, quid diuinissimum esse.* In superlatiuo. Et infra. *Diuinissimum, honorabilissimumque est.* Item in eodem 12. contex. 39. comparatis intellectu potentia, & actu operante, de hoc ait. *Quare illud magis, quàm illud est id diuinum, quod intellectus videtur habere: & speculatio optimum, & maxime delectabile est. Si igitur ita bene se habet Deus semper, vt nos aliquando, admirabile est: quòd si magis, adhuc admirabilius. At ita se habet.* Cernis, opinor, titulum diuini esse tributum intellectui nostro actualiter speculanti, à quo ascenditur ad Deũ. Parum ergo mihi videntur obseruasse locutionem Aristotelis, qui vocabulo *diuini* cẽsent, Deũ significari: cum in alia omnia significanda illo vocabulo potius eat Aristoteles. Quid moramur? Audiamus nos Aristotelem sua verba resonantem in 1. magn. moral. cap. 2. car. 182. Vbi definiens, quæ sint honoranda, & laudanda, inquit. *Honorẽ dignum huiusmodi dico, quod diuinum, quod melius: vt anima, mensque est.* Ergo anima, & mens est diuinum, & melius, & honorandum.

Præterea. Dictio exclusiua, vt summulistæ docent, quando N. 61 est in subiecto propositionis affirmatiuæ, exponitur per duas, quarum altera est præiacens affirmatiua, altera est vniuersalis negatiua, negans prædicatum principale ab omni alio: vt, *solus*

las homo eſt riſibilis, ſic exponitur. *Homo eſt riſibilis, & nihil aliud ab homine eſt riſibile.* Accipiamus iſtam excluſiuam Ariſtotelicam. *Sola mens eſt diuina*, exponetur ſic. *Mens eſt diuina, & nihil aliud à mente eſt diuinũ.* Atqui hęc ſecunda pars exponens eſt falſa, quia & omnis forma, & corpus cæleſte, & omne corpus animalis, & ſubſtantia hominis, & genus apum, & ſubſtantiæ immobiles ſunt diuinæ.

Si etiam ſyllogiſmum Ariſtotelicum erigamus, multò magis id eniteſcet. Illud principiũ actiuum, in cuius actione nihil communicat actio corporalis, extrinſecus accedit. *Sola mens* eſt tale actiuum, in cuius actione nihil communicat actio corporalis, ergo ſola mens extrinſecus accedit. Contemplare minorem. Si loqueris inter animas, ſola anima, quæ eſt mens, eſt tale actiuum: expone, anima intellectiua eſt actiuum, in cuius actione non communicat actio corporalis, & nulla alia anima eſt tale principium; quę propoſitio vera eſt. Si non de anima loquaris, ſed abſolutè, ſolus Deus eſt actiuum, in cuius actione nihil communicat actio corporalis, & nihil aliud eſt tale: cernis te omnes intelligentias aſſerere prædictas actione communicãte cum actione corporali, quod eſt abſurdiſſimũ? Itaque Ariſtoteles de ſolis animabus propoſuit, de ſolis animabus reſoluit; de ſola anima intellectiua dicit, quòd non cõmunicat cũ actione corporali, & quòd nulla alia anima eſt actiuũ, quod non communicet.

Amplius quæritur, *vnde* ſint animæ, & vnde ſit mens. *Vnde*, eſt nota principii effectiui, quare & origo animarũ vegetalis, & ſenſualis ex ſemine, & maſculo, vt ex principio vnde motus affirmatur eſſe. Deus ſit mẽs. An Deus eſt ſubiectus alicui efficienti, quod ipſum introducat in hominem? Quod extrinſecus accedit, non à maſculo, & ſemine maſculi intrinſecus, ſed extrinſecus, eſt ab alio efficiente. Deus à nullo efficiente eſt, neq; quo ad eſſe, neque quo ad accedere, vel adeſſe. Non ergo mens accedens eſt Deus. Sed vnde, & quò Deus accedat localiter, ſi vbique eſt? Si autem in orbe primo eſt; vti 8. phyſ. 84. innuitur, atque in libro de mundo ad Alexandrum (modò is liber ſit Ariſtotelis) quomodo mouetur de loco ad locum? Siue igitur particula *vnde* ſit nota efficientis, ſiue termini à quo localis; neutro modo Deo congruit, qui nulli efficienti eſt ſubiectus; imò nec ſibi vt efficienti, aut mouenti, qui nullo modo eſt mobilis, aut mutabilis, primo cæli. 100. *Haberet enim aliquid diuinius.* *Num. 62.*

Quid? quòd Deus ponitur principium actiuum, in cuius actione non communicat actio corporalis? At Alexandro Deus non eſt principium actiuum. Mens iſta Ariſtoteli propoſita accedit in generatione animaliũ quorundã: ſed aduerſario, mens non accedit in generatione, nã longè poſt. Deus item, cum ſit impartibilis per eſſentiam, non vi-

videtur esse principium participatum, quale est mens in dicto textu, dicente. *Quæ principium id participant*. Nisi Platonicè, vel Pythagoricè sumatur participatio; Peripateticè enim est participati rationem sumere, 4. topic. loc. 5. quo modo compositũ naturale participat formale principium, quale est mens in iis, quæ mente participant. Atqui, etiam fatente aduersario, Deus non est forma hominis, neque participatur in quid, vel à corpore hominis, vel à toto homine. Ergo non intelligit Aristoteles illic per nomẽ mentis Deum.

LIBER SECVNDVS.

De forma separabili in speciali.

Animam intellectiuam esse separabilem, ex primo de anima. Cap. I.

Nu. 63 COmpellit nos ipsa tractatio, à forma separabili tractata in vniuersali descendere ad formam in speciali separabilem. Quãdo etenim duæ propositiones particulares, vel indefinitæ affirmans, & negans sunt veræ, illæ pro diuersis particularibus veræ sunt. Vt hæ duæ. *Principia naturalium sunt contraria, principia naturalium non sunt contraria*; quarum prior pro forma, & priuatione; posterior pro materia, & forma, vel pro materia, & priuatione verè enuntiatur. Ita cum Aristoteles in 8. met. 3. docuerit, quasdã formas esse separabiles, quasdã non separabiles, necessariò explicandæ videntur speciales illę formæ, quæ sunt separabiles. Igitur nisi animabus id priuilegium concedamus, aliis formis concedi non oportere est exploratum. Sed de animabus omnibus fortasse est impossibile id asserere, prout innuit Philosophus 2. diuin. 17. Animam vegetalem, atque sensualem non esse separabiles, neque extrinsecus accedere tenemus: nam quæ principia actionem, vel passionem sine corpore obtinere nequeunt: hæc neque esse sine corpore possunt, sicut neque ambulare, neque ambulatrix potẽtia sine pedibus esse potest. Animam intellectiuam (quæ à sua suprema parte, idest, intellectu, appellatur sæpius intellectus, seu mens) quia sine corpore actionem habet, sine corpore esse posse asseueramus. Id facere aggredimur ex libris de anima, & prius ex lib. 1. quanquã ex eo libro authoritates non cõcedantur esse vsque adeò robustæ, cum in 2. ac 3. libris resoluta doctrina dicatur tradita, nõ in primo. Verùm & hæ disponẽt animos ad veritatem recipiendam faciliùs.

Nu. 64 In primo de anima 12. scribi-

tur

tur. *Dubitationem autem habẽt, & paſſiones animæ, vtrum ſint omnes communes, & habentis, an ſit aliqua & ipſius animæ propria; Hoc enim accipere eſt neceſſarium, non autem facile.* Duo hic mihi notanda occurrunt. Alterum, quia operatio communis, & propria opponuntur, communẽ dici reſpectu corporis habentis. Quod in tota hac tractatione vſq; ad tex. 15. verum inuenies; quapropter & operatio propria erit, quæ non eſt communis corpori ſubiecto habenti animam: Alterum, quòd hoc, ideſt, opus proprium accipere, vel paſſionem propriam accipere eſt neceſſarium, ſed quòd hoc accipere non eſt facile. Probat vtrũque in textu. Non eſt facile, quia plurimarũ paſſionum animæ, nulla videtur eſſe ſine paſſione corporis. Neceſſarium eſt accipere, quia maximè aſſimilatur proprio (Græcè, maximè apparet proprium) ipſum intelligere. Sequuntur in tex. illa verba. *Si autem et hoc eſſet imaginatio quædam, aut non ſine imaginatione; non cõtinget* (Græcè, non contingeret) *vtiq; ipſum ſine corpore eſſe.* Hęc exponũt bifariam, primò ita ut ſint probatiua, ſecundò vt ſint dubitatiua. Probatiua ſunt quidem ſyllogiſmo facto ad impoſſibile ſic. Si intelligere non eſſet opus proprium, ſed eſſet imaginatio, aut non ſine imaginatione, ſequeretur, quòd ipſum non contingeret eſſe ſine corpore; at in ſyllogiſmo tali conſequens, vt abſurdum manifeſtè colligitur, atque deſtruitur, vti mox deſtruatur antecedens. Abſurdũ eſt conſequens, quòd intelligere nequeat eſſe ſine corpore, eſt enim vt ſic, ſine corpore, & patet in intelligentiis: ergo abſurdum eſt & antecedens. Idcirco Ariſtoteles per concludentis modum infert. *Siquidem igitur eſt aliquod opus animæ proprium.* In quibus per duas regulas declarat ampliùs cõſequens, & qualis nimirum futura ſit anima, ſi habeat opus proprium, quẽadmodũ probatum eſt; & qualis futura, ſi non haberet opus proprium. Cuius declarationis vtraq; pars eſt perutilis, prior ad animæ intellectricis notitiã, poſterior ad cognitionem cæterarum animarum. Dices, vnde agnoſcemus Ariſtotelem probare potiùs, quàm dubitare, vt alii volunt? Reſpondeo, ſicuti cognoſcimus ſyllogiſmum oſtẽſiuum ex forma ſua, puta quia ſit in Barbara, vel Cæſare. Ita diſcernimus ſyllogiſmum ad impoſſibile ex forma ſua; formatur autem communiter per cõditionalem ſic. Si hoc aduerſarii dictum eſſet verum, ſequeretur hoc, vel illud; ita frequẽter Ariſtoteles. Vide in 3. de anima 6. Ergo rationi conſonum eſt, vt accipiatur textus aſſertiuè.

Si autem velimus dicere, nihil hoc loco ab Ariſtotele reſolui, ſed ſolùm dubitationes, ac difficultates proponi, quod pleriſque placet. Nunc eiſdem placeat, neceſſe eſt etiam, vt quæ hic proponuntur, regulæ, ſint dubiæ veritatis. Cur enim ſi pro nobis eſt expoſitio, Ariſtotelem Nu. 65

du-

dubitare dicunt. Si contra nos eſt, Ariſtotelem aſſerere aiunt? An quia loquuntur ad placitum? Ergo etiam illa propoſitio, *Si intelligere eſt imaginario, vel non ſine imaginatione, non contingeret vtique hoc ſine corpore eſſe*, non eſt certæ veritatis: ſed cum nota dubitantis *ſi*, cum diſiunctiua *vel*. Scimus autem naturam propoſitionis diſiunctiuæ eſſe, vt illius vna pars ſit vera, altera falſa, dum modo rectè illa formetur; ergo & iſtius diſiunctiuæ prima pars eſt vera, ſecunda falſa, nimirum iſta. *Si intelligere non eſt ſine imaginatione, non contingeret ipſum eſſe ſine corpore*. Itaque vel nobis datur, quòd Ariſtoteles dubitet, vel quòd aſſerat: ſi primum, dicimus, hanc propoſitionem eſſe totam dubiam, & meritò, quia pro ſecunda parte eſt falſa: niſi aliunde probent eam eſſe veram. Si ſecundum, iam oſtendimus, & concluſionem, & ſyllogiſmum, quo probatum eſt ab Ariſtotele ipſum intelligere eſſe opus proprium, quoniam contingit ſine corpore eſſe. Hãc probationẽ breuiter attigit tanquam argumentum ad impoſſibile Ant. Tubeta in lib. de pluralitate intellectuũ artic. 1. concl. 6.

Nu. 66 Ampliùs, in primo lib. de anima 65. ſcribit Philoſophus. *Intellectus videtur innaſci* (ſiue aduenire) *ſubſtantia quædam exiſtens, & non corrumpi. Maximè enim corrumperetur vtiq; ab ea, quæ eſt in ſenio debilitate. Nunc autem quemadmodum in ſenſorius, accidit; ſi enim acciperet ſenex oculum talem, & videret vtique, ſicuti iuuenis; quapropter ſenium non eſt, quia ſuſtinuit aliquid anima, ſed id in quo, ſicut in ebrietatibus, ac morbis.* Concluſio Ariſtotelis eſt. Intellectus videtur non corrumpi. Et ſi obiicias, intellectum pati debilitatem in ſenio, & in morbis; reſpondet tacitæ obiectioni. Si intellectus corrumpatur, maximè corrumperetur à debilitate ſenii; ſed hęc ratio tam leuis eſt vt neque concludat corruptionem in ſenſu, ergo multò minus concludet corruptionẽ in intellectu. Anima igitur non patitur ſenium, ſed corpus, in quo eſt anima.

Kurſus poſſet quis obſtare, ſecundum hanc reſponſionem fore ſimiles, & ſenſum, & intellectum, vnde ſicuti ſẽſus corrumpitur ad corruptionem corporis, in quo: ita intellectus corrumpetur ad corruptionem corporis in quo, & totius communis ex anima, & corpore. Occurrit Ariſtoteles in tex. 66. *Ipſum igitur intelligere, & ipſũ ſpeculari marceſcit, alio quodam interius corrupto; ipſum autem impaſſibile eſt; cogitare autem, aut amare, aut odiſſe non ſunt illius paſſiones, ſed huius habentis illud, ſecundum quod illud habet: quare & hoc corrupto, neque meminit, neque amat; non enim illius erant ſed communis, quod quidem deſtructum eſt. Intellectus autem fortaſſis Diuinius quid, & impaſſibile eſt.* Obſerua primò differẽtiam inter actus, nam intelligere, & ſpeculari non ſunt paſſiones communis, neque habentis corporis: ſed cogitare, & ama-

re

rè ſunt paſſiones habentis, & ipſius communis. Secundò, quòd corrupto corpore habente intellectum, & ipſo communi: intellectus non poteſt cogitare, neque amare, ſed poterit intelligere, & ſpeculari, quia hę non ſunt paſſiones corporis, neque communis compoſiti.

Tertiò, quòd intelligere, & ſpeculari diſtinguuntur ab intellectu; intelligere enim, & ſpeculari tabeſcunt, nõ ex corruptione proprii corporis, ſed ex corruptione alterius, puta imaginatricis facultatis; at ipſe intellectus eſt impaſſibilis; hoc dicit Ariſtoteles illis verbis. *Ipſum igitur intelligere, & ipſum ſpeculari marceſcit alio quodã interius corrupto: ipſum (intellectuum) autem impaſſibile eſt.* Ex quibus conſtat, quòd intellectus non corrumpitur, neque patitur ad corruptionem corporis proprii, vel alterius: ſed ad coruptionem alterius corporis ipſum intelligere marceſcit: vt leges in 7. phyſ. 20. Ad corruptionẽ proprii corporis ipſum cogitare, & amare pereunt, quæ omnino negantur intellectui. Ex quo acutè inſpicitur diſcrimen, nam cogitare, & amare, nullo modo cõpetunt intellectui, corpore deſtructo; ſed intelligere, & ſpeculari, dum eſt intellectus in corpore, marceſcunt ad corruptionem alterius; dum eſt extra corpus adſunt intellectui, quia non ſunt paſſiones habẽtis. Quòd niſi ita dicatur, iam non benè Philoſophus poſuiſſet diſcrimen inter ſpeculari, ac intelligere contra cogitare, & amare; quia hæc duo ſunt ipſius communis, & habentis, illa duo minimè.

Gianinius Alexandreos, hoc intelligit de Deo, nõ de hominis intellectu. Nimirum hic textus pro intellectus incorruptione pugnat, qui non corrumpitur, neq; corruptione ſui, ſicuti neq; corrumpitur ſẽſus: neq; corruptione corporis, ſicut corrumpitur ſenſus. Sed cur, quęſo, Ariſtoteles vel ſemel non dixit, ſe loqui de Deo? Nam tunc nulla ſuſpicio fuiſſet de ſenio, de morbis, de morte, & vnico verbo cuncta ſoluiſſet. Sed erat ne dignum Ariſtotele dicere dubitanter (vt Gianinius vult) de Deo, fortaſſis eſt quid Diuinius, & impaſſibile? Erat ne poſſibile, vt ipſum ſpeculari, ac intelligere Dei marceſcat? Maneat nobis, Ariſtotelem loqui de intellectu animaſtico, nam ibi, an anima moueatur aliquo pacto quærit, non, an Deus moueatur: neque tàm extra propoſitũ Ariſtoteles loquitur.

Tertiò ex lib. 1. de anima profero contextvm 92. diſſerẽtem de partibus animæ: quæ nã ſcilicet pars animæ contineat, quam partem corporis, *Si enim* inquit, *tota anima totum corpus continet, conuenit & partium vnamquanque continere aliquid corporis. Hoc autem aſſimilatur impoſſibili: quam enim partem, aut quomodo continebit intellectus difficile eſt etiam fingere.* De intellectu, qui eſt animæ pars, eſt ſermo. Is intellectus neque cõtinet corpus totum, neque partem aliquam; totum quidem

Num. 67.

non, quia totius animæ est totũ corpus continere: partem verò non continet, cum hoc sit impossibile. Igitur intellectus, & intelligere neque toti corpori, neque vlli parti corporis est alligatum: nullius corporis vel totius, vel partis est forma; quare est separabilis intellectus, & intellectio.

Exploratum est, proprium esse formæ continere, materiæ contineri; hoc aperuit Aristoteles in 1. lib. de anima 82. & 90. & apertissimè in 4. de cælo 35. Forma itaque tota continet totã materiam, & pars formæ (modo informatiua sit pars) continet partem materiæ: Ita visiua pupillam perficit 2. de anima 9. Ambulatiua pedes informat ex 2. de gen. animalium ca. 3. Atqui tàm certum fuit Aristoteli, ab intellectu nullam partem corporis contineri, vt hoc & à parte rei dixerit impossibile, & à parte nostri difficile fingere.

N. 68. Porrò duo tradit esse impossibilia dicere, & quam partem, & quo modo contineat intellectus; horũ vnum spectat ad rẽ, alterum ad modum; quamobrẽ intellectus nullãm partem, nullo modo continet. Excogita cor, cerebrum, pedes; nullam partẽ Aristoteles inclamabit. Excogita modos, per modum organi, per modum materiæ, per modum proprium, vel alienum: nullo modo vociferabitur; qui locus Aristotelicus tàm acriter Alexandrum pupugit, vt eum exponere noluerit, ne veritati assentiretur, obseruante Philopono. Neque nunc ego quæro de intelectupossibili, an de agente hoc dictũ fuerit, an dictũ fuerit ob aliquam, vel nullam causam. Dictum ab Aristotele, ne nega, cætera tolle; nisi velis Aristotelẽ confutare, vel dictis tuis, vel Aristotelicis; quòd si feceris, defendam.

Ex libro 2. de anima.
Cap. II.

DEfinierat Aristoteles animam in communi, si, & quatenus hoc est possibile, sic inquiens tex. 7. 2. lib. de anima. *Si autem aliquid commune in omni anima oportet dicere, erit vnũ, actus primus corporis naturalis instrumẽtalis.* Quia verò ex diffinitione solent innotescere ea, quæ diffinito insunt. 4. phys. 31. idcirco in 2. de an. 11. animaduertit, quid sit, quidnè non sit manifestum de anima ex data diffinitione. *Quod igitur* (inquit) *non sit anima separabilis à corpore, aut partes quædam ipsius, si partibilis nata est, non immanifestum est: quarundam enim actus partium est ipsarũ. At verò quasdam nihil prohibet propterea quod nullius corporis sunt actus.* Hucusq; exposuit quid sit manifestum. Deinceps ait. *Amplius autem immanifestum est, si sit corporis actus anima, sicut nauta nauis.* In priore particula præmoneo disiunctiuã *anima, aut partes*: quia hoc prædicatum *separabile à corpore* potest, & de anima, & de partibus eius affirmari, & negari; ex quo patet, rem esse dubiam de anima, Nu. 69

nam

nam de partibus ſtatim probat reſolutè. Inſuper quia de partibus animæ in 2. à tex. 19. & in 3. tex. 41. & 52. expreſſè docebit, nunc apponit conditionatè. *Si anima nata eſt partibilis*; nempe in partes, quæ ſunt potentiæ, deque partibus ponit duas cõcluſiones, & probat. Prima eſt, quædam partes animę non ſunt ſeparabiles à corpore, nam quęcũque pars animæ eſt actus alicuius partis corporis, illa pars non eſt ſeparabilis à corpore. Arqui quædam partes animæ ſunt actus quarundam ipſarum partium corporis, igitur quędam animæ partes non ſunt ſeparabiles à corpore.

Nu. 70 Secunda concluſio eſt. Quædã partes animæ ſunt ſeparabiles à corpore, ſiue nihil prohibet quaſdã à corpore ſeparari. Quęcunque enim partes animæ nullius corporis ſunt actus, illæ ſunt ſeparabiles à corpore; ſunt autẽ quędam partes animæ, quę nullius corporis ſunt actus, ergo quædam animæ partes ſunt à corpore ſeparabiles. Hæc aſſertio non ſolùm poſita eſt, ſed & demonſtrata propter quid; nota particulam *propterea quod*, eſt enim particula cauſalis; nullaq; eſt vel in cõcluſione ſecũda vel in ratione concluſionis particula conditionalis, vel dubitatiua, ſi rectè legis. Poſtolas, quęnam ſunt hæ partes? Reſpondeo, mea nihil referre, ſint hæ, ſint illæ. Textus ſonat. *At verò quaſdam partes nihil prohibet*, ſcilicet, *ſeparari à corpore*; neque phyſicus hoc determinare debet: quomodo enim, & quid ſit hæc forma ſeparabilis. 2. phyſ. 26. primæ philoſophiæ officiũ eſt determinare. Indicant tamen Ariſtoteles intellectum ſpeculatiuum talem eſſe, in 2. de anima 21. *De intellectu autem, & ſpeculatiua potentia nihil adhuc manifeſtum eſt: ſed videtur alterum genus animæ eſſe, & hoc ſolum poſſe ſeparari, ſicut perpetuũ à corruptibili*. Idem indicatur tex. 52. neque in totis tribus de anima quicquam traditur de intellectu ſpeculatiuo, niſi tantũ vt diſtinguatur ab actiuo, & negetur mouere; ſi autem nõ mouet non eſt natura per primum de part. cap. 1. neque igitur eſt naturalis ſcientiæ.

Secunda pars textus 11. docet eſſe immanifeſtum ex data diffinitione; an anima, ſit actus, ſicut nauta nauis. Ergo in vanum nituntur, qui ex priori diffinitione animæ colligunt, quòd anima ſeparari nequeat eo modo, quo nauta ſeparatur à naui. Quia verò ſubſtantia animę, & potentia diſtinguuntur; quãta, & qualis ſit ea diſtinctio, non ſit nobis cura. Cęperat Ariſtoteles diſiunctiuè dicere de anima, & de partibus, ſed quia de partibus res erat clarior, de partibus decreuit, quaſdam non ſeparari à corpore, & quaſdam ſeparari. Quid ergo de tota anima ſentiendum? Eſt ne & anima ipſa ſeparabilis, atque ideò actus vt nauta, an non eſt ſeparabilis? Reſpondet, hoc non eſſe manifeſtum, ſcilicet, quia non eſt oſtenſum, an à parte animæ ad animam ipſam, an à potentia ſeparabili ad ſubſtantiã

Num. 71.

animæ separandam valeat consequentia; quocirca in prima textus 11. propositione disiunctiuam ponit, vt altera disiunctiuæ particula, sit resolutè vera, nempè manifestum est, quasdam partes animæ esse inseparabiles à corpore, & quasdam esse separabiles. Sed altera pars disiunctiuæ de anima ipsa, vti à partibus discernitur, in obscuro est relicta, an sit actus, vt nauta, nec ne.

Nu.72 Sic exposui, ne nouum attributum significarem in prima, & in secunda parte, neque aliud prædicatũ intruderem, sed idẽ separabilitatis, vel inseparabilitatis: de partibus non immanifestũ esse, dixi, de aia immanifestum. Pluribus tamen modis potest hæc analogia de nauta ad nauem, & de anima ad corpus explicari. In fieri, nauta non fit à nauifactiua, sed extrinsecus ab alio efficiẽte est, sed forma nauis est à nauifactiua. Hic dubium, an anima à masculo, & masculi semine fit, an extrinsecus accedat, vt Mirandulanus exposuit.

Nauta in esse non dependet à naui, forma nauis pendet à materia nauis; immanifestum igitur, an anima sit dependens, nec ne, vti Piccolomineus declarauit.

Nauta in ratione actus est assistens, non informans: immanifestum ergo censet, num anima sit actus *informans*, vt ca or ignem; vel *mouens* vt naut- nauim; sic Caiet. Thiennẽsis explicat.

Nauta in actu secundo nauẽ regit. Immanifestum, propterea est, vtrum anima regat corpus, nec ne; nam sensualis, & rationalis, quia cognoscunt, regunt corpus: vegetalis non regit, cum sit exors cognitionis. sicut Zabarella post Simpliciũ intellexit.

Nauta habet opus commune cum naui, & opus proprium à nauis opere diuersum, ex 1. de anima 37. Posset igitur exponi, an anima sit actus primus habẽs opus proprium, an tantùm opus commune habenti corpori.

Denique nauta est actus à naui separabilis, figura est actus inseparabilis: quare dixi esse immanifestũ, si anima sit actus vt nauta, an minimè; cum enim in principio textus hoc prædicatum positum sit ab Aristotele, melius est, de eodem prædicato totum textum accipere, quàm propria authoritate aliud inferere.

Cæterùm Zabarella contra robur textus 11. Gianinius contra 21. ex 2. de anima exurgunt. Zabarella inquit, Aristotelẽ dubitanter dicere, quasdam animæ partes esse separabiles, Gianinius textum 21. non de parte animæ, sed de Deo cum Alexãdro accipit. Separabilitatem ille ab organo cum Pomponatio, iste disclusionem localem intelligit. *Nu.73* *Zab. de mente hum. c. y car. 661.*

Miror primùm cur, vt certã Zabarella declaret, illam tex. 11. particulam, *Quòd igitur nõ sit anima separabilis à corpore, aut partes quædam ipsius, si partibilis nata est, non immanifestum est:*

qua-

quarumdam enim actus partium eſt ipſarum. In hac particula eſt ſignũ dubitationis per diſiũctiuam, an de anima, an de partibus ſit manifeſtum; eſt ſignum dubitationis per conditionalem *ſi partibilis*. Hanc tamen particulam, in qua eſt duplex ſignũ dubitationes, exponit Zabarella tanquam indubiam, quòd animæ partes non ſint ſeparabiles, quia ſunt actus partiũ corporis; hoc eſt organorũ corporis. Illã verò particulam tãquã dubiam ponit, in qua nec leuiſſimum veſtigium dubitationis Ariſtoteles reliquit dicens, *At verò quaſdam nihil prohibet, preterea quòd nullius corporis ſint actus.*

Ariſtoteles ſeparabilitatem ſimpliciter à corpore, & realem negat à quadam parte animæ: & concedit eandem omnino ſeparabilitatem quibuſdam partibus. Zabarella ſemel intelligit ſeparabilitatem ſimpliciter negari in prima parte textus: in ſecũda autẽ concedi ſeparalitatẽ cũ limitatione, *ab organo non prohibentur ſeparari*, ſimpliciter propter aliam conditionem prohibentur.

Ariſtoteles in prædicato ſecũdæ concluſionis ponit vniuerſalem negantem, *Nihil prohibet*. Zabarella, particularem, *aliquid* non prohibet, nempe organum aliquod prohibet. An iſtẽ ſunt *nihil prohibet*, & *aliquid prohibet?*

Ariſtoteles in medio termino, ſemel ponit partes, & particulare ſignum, eſt actus *quarundã partium*. Semel vniuerſale ſignum, & corpus: *Nullius corporis ſunt actus* videlicet neque totius, neque partis: vt ex medio vniuerſali concludar vniuerſaliter nihil prohibere. Zabarella in ſecunda parte, violenter inducit nullius *partis* corporis. Certè vt pars animæ concludatur ſeparabilis ſimpliciter, debet non eſſe actus, neque totius, neque partis, neque materiæ primæ, neq; ſecundæ, alioqui nõ eſſet ſimpliciter, & reipſa ſeparabilis à materia, vel à corpore. Cernis, puto, diſſonantiam expoſitionis à textu. Pace talium expoſitorum dixerim, hoc genus expoſitionis eſt obſcuratio potiùs, quàm declaratio.

Miror ſecundò Alexandreos introducere ſeparabilitatem ab organo, vnde quæſo? Ex qua ſchola? Nullum Ariſtotelis textum oſtendunt, in quo Ariſtoteles poſuerit hoc genus ſeparabilitatis, neque ego inuenio. Legant, obſecro, textum noſtrũ, & videbunt, de qua ſeparatione Ariſtoteles dicat. En textum *Quod igitur non ſit anima ſeparabilis à corpore aut partes quadam ipſius*. Separabilitatem à corpore genuinam Ariſtotelis dico: ſeparabilitatem ab organo fictiuam, ac ſpuriam.

Ad obiiciunt libri 3. textum 6. in quo Ariſtoteles ait, intellectiuo, nullum eſſe organum, ſiue inſtrumentum? Quis hoc ignorat? Sed aliud eſt habere, vel non habere organum: aliud ſeparabilitas à corpore, differũt iſta ſicut medium, & quæſitum; nam per hoc, quòd intellectus nul- N. 74.

nullũ organũ habet, poteſt concludi, quòd intellectus ſit ſeparabilis à corpore.

Non placet commentitium vocabulum, vel genus ſeparabilitatis, aut ſeparationis: ſeparabilitas dicit poſſe eſſe ſine corpore, & ſeparatio ſignificat eſſe ſine corpore in re, de qua agimus; ſic ex 2. de anima 11. legis *ſeparabilis à corpore*, ſic in 3. de anima 7. opponuntur in ſenſu, *non eſſe ſine corpore & ſeparabile*, ſcilicet à corpore in intellectu: ſic in 1. de anima 12. & 13. *eſſe ſine corpore, & ſeparabilẽ eſſe*, quaſi ſynonima ſumuntur; quia verò corpus eſt materia animæ, ſeparabilitas à corpore eſt ſeparabilitas formæ, quæ eſt anima, à corpore, quòd eſt materia, vt 1. de anima 17. & 18. & 3. de anima 11. & 35. ac 36. ac 6. met. 2. & 3.

Denique in 1. de anima 13. docet ipſum rectum *inſeparabile* eſſe, *ſiquidem ſemper cum corpore quodam eſt*; legitimam ergo ſeparationem à corpore in textu Ariſt. noſtro expreſſè nominatã excludũt, vt nothã hanc ſeparationem ab organo includant.

Nu. 75 Sed circa tex. 21. ſecundi de anima, quando negant potentiã ſpeculatiuam eſſe partem animę, ſed eſſe Deum affirmant; impellunt nos ad legendum ſub ſequentem contextũ: is eſt. *Reliquæ autem animæ partes, manifeſtum ex his, quòd ſeparabiles nõ ſunt, ſicut quidam dicunt, ratione autem quòd alia, manifeſtum eſt.* Relatiuum illud, *reliquæ partes* refert intellectum ſpeculatiuũ eſſe partem animæ, ſi vim relatiuorum diuerſitatis intelligas. Item quia duplex eſt ſeparabilitas, vna Platonica, qua vna pars animæ loco, & ſede ſeparatur ab alia parte in corpore, vt quia irascibilis in corde, concupiſcibilis in hepate, rationalis in cerebro reſideat; Ariſtoteles de iſta ſeparabilitate Platonica cæpit in tex. 19. quærere. Aliam interpoſuit ſeparabilitatem intellectus perpetui à corruptibili corpore, & iſtam ex propria mente attigit in tex. 21. Idrò in tex. 22. monet ſe reuerti ad ſeparationem Platonicam, quando ait. *Separabiles non ſũt, ſicut quidam dicunt*, ſcilicet re, & ſede, ſed ratione. Quapropter non tenemus cũ Gianinio; quia Ariſtoteles loquitur de intellectu, qui eſt vna ex partibus, & potẽtiis animæ, & de illa ſeparabilitate perpetui à corruptibili, non de ſeparatione à parte corporis determinata, quam refutauit etiam in 1. de anima 92. & 93. Itaque intellectus ſpeculatiuus, qui eſt pars animæ, eſt ſeparabilis à corpore, ſicut perpetuum à corruptibili.

Deus autẽ non eſt pars. Omnis enim pars eſt gratia totius conſtituta: ergo & pars animæ eſt gratia totius animæ, pars hominis gratia hominis, pars vniuerſi gratia vniuerſi, & ordinis eius; ſi ergo Deus eſt pars animæ, eſt gratia animæ, gratia hominis, gratia vniuerſi ordinis. Attamen in 12. met. 52. bonum ſeparatum non eſſe propter ordinem aſſeueratur, verùm ordo propter ipſũ: ergo bonũ ſeparatũ, qui & Deus, nullius eſt pars.

Om-

Omnis pars eſt imperfectior toto; Deo nil perfectius 14.met.c. 6. nullius eſt pars igitur. Itaq; pars quędá aię. eſt ſeparabilis à corpore,& illa pars nõ eſt deus.

Ex 3. de anima. Cap. III.

Nu.76 SI tantum de anima intellectiua, deque humano intellectu Ariſtoteles in prima philoſophia, quantum pollicitus eſt, eſſet locutus, non eſſent nobis colligendæ authoritates ex 2. philoſophia. Sed quoniã multę partes ad primam philophiam ſpectantes a Stagirita deſcriptæ,ad nos nõ peruenerunt; veluti libri de bono,de pulchro, de vno, de philoſophia; hæc quoque,quam habemus, metaphyſicam inchoatio quædam eſt futuri operis potiùs,quàm opus abſolutũ: idcirco ſparſim indicata ſigna de ſeparabilitate animæ, quæ intellectus eſt, cogimur in vnum colligere. Agẽdum fuerat Philoſopho de intellectu, vt intellectu, de intelligere vt intelligere in ſapiẽtia: iuxta decreta in 1. de part. ca. 1. Item de intellectu ſpeculatiuo, illius actu, & obiecto, & partibus; aliiſque annexis, quæ in metaphyſicis non haberi, exploratum eſt. Igitur ex 3. de anima quædam decerpamus ad negotium ſuſceptum oportuna. Philoſophus illic ex ſimilitudine, ac diſſimilitudine inter ſenſum, & intellectum,à ſenſu iam antea manifeſtato, manifeſtat intellectum animaſticum.

Nu.77 Per ſimilitudinem in tex. 2. & 3. per diſſimilitudinem in ſequentibus. In tex. 6. diſſimilitudo ſtatuitur, quòd intellectus non eſt mixtus cum corpore; quam cõcluſionem probat Ariſtoteles duplici ſyllogiſmo ad impoſſibile.

Primus eſt. Si intellectus eſſet mixtus cum corpore, ergo intellectus fieret qualis, vel calidus,vel frigidus: at conſequens eſt abſurdum, ergo abſurdum eſt quoque antecedens. Vbi noto,omnes qualitates alteratiuas & corruptiuas eſse, vel primas vt calor, & frigus, quæ sũt actiuæ: humor,& ſiccitas, quæ ſunt paſſiuæ; vel ſecundas vt ſunt mollities,durities, vt grauitas, vel leuitas 2.de gener.8. Nec ſecundum alias qualitates alteratio eſt,quàm ſecundum paſſibiles haſce qualitates,iuxta tradita in 7. phyſ.15. Atque ſecundũ eaſdem tantùm eſt generatio,& corruptio in ſubcæleſtibus; lege de longitudine,& breuitate vitę cap. 2. Vlteriùs animaduerto accidentia ſenſibilia non recipi in formis ſubſtantialibus, quia forma non recipit accidẽtia, niſi quatenus ea recipit materia ſubiecta,authore Boetho. Hinc Ariſtoteles 7.met. 8 ſingula prędicamenta de materia dici aſſeuerauit,& in 2.de gen. 53. materiæ officium recipiendi, ac patiendi aſcripſit. Eatenus ergo forma fit qualis, aut calida, vel frigida, quatenus ad ſuum fieri, & eſse, & operari haſce qualitates in ſua materia exigit, ſine quibus qualitatibus eſse nõ poteſt, vel operari. Tunc arguo. Quæcunque forma eſt independens in ſuo fieri, & eſse à qualitatibus primis actiuis, illa nullatenus poteſt corrumpi,

non

non enim est corruptio, nisi quia forma pendet ex istis qualitatibus, fitque per eas calida, vel frigida. Intellectus autem animæ est independens ab his qualitatibus primis, & ex consequenti etiam à secundis, ergo intellectus nullatenus potest destrui, sed posterius permanet, etiam destructo corpore.

Conferamus textum cum textu, quo ex consonantia textuũ suauius accinat nobis Aristotelicus sensus. In 2. de ortu, & inter. textu 45. contra Empedoclem conficit animam neque elementum esse, neque ex elementis in hæc dicta. *Inconueniẽs autem est, & si anima ex elementis, aut vnum aliquod eorum: alterationes enim anima quomodo erunt: vt musicum esse, & rursus immusicum, aut memoria, aut obliuio? Manifestum enim quòd siquidem ignis anima sit, passiones inerunt ei, quacunque igni, secũdum quod ignis. Si autem mistũ, corporales: harum autem nulla est corporalis.* Empedocles, vt legere est in primo de anima 25. posuit in animam humanam omnia principia conclusa, idest, quatuor elementa, & insuper amicitiam, ac litem: vt anima per hæc principia posset cuncta cognoscere principia, vel principiata; putabat nanque simile simili cognosci. Bifariam quidem poterat elementa in animã includere, vel ita vt elementum singulum in sua puritate maneret in anima, vel ita, vt mistum ex elementis esset anima ipsa, vel in anima. Reprobat Philosophus primò vtrunq; modum, nam omne elementum, omneque mixtum ex elementis alterationem veram patitur: anima intellectiua minimè: quando enim ex immusico ad musicum transit, vel è contra; memini q, scientiæ musicæ, aut obliuiscitur, alterationem non patitur, sicut abunde referatum est in 7. phys. 20. non igitur anima erit elementum, aut ex elementis mixtum. Deinde refellit priorem modum, si etenim anima est ignis in sui puritate, quicquid est ignis, omnes passiones ignis, vt ignis, obtinet, puta calorem, leuitatem, raritatem, oscensum. At anima nullas habet ex his passionibus: non est itaq; ignis: eademque ratione neque est tera, aut aliud elementum. Meritò igitur Philosophus ait, intellectum neque calidum, neq; frigidum esse: similiter neque humidum, neque siccum, sed cuiuscunque qualitatis elementaris exortem; vt nos potiore dicamus iure de intellectu incorporeo illa, quæ Aristoteles de cælesti corpore dictauit in 1. de cælo 20. „Rectè videtur natura id, quod futurũ erat ingenerabile, & incorruptibile, exemisse à contrariis; in contrariis enim est generatio, atque corruptio„. Exẽptus profectò est intellectus possibilis à contrariis corporeis, è quibus est omnis alteratio corruptiua, omnis corruptio, vt agnoscatur separabilis, tanquam incorruptibilis à corpore corruptibili. Demum posteriorem modum, qui posset ab Empedocle proponi, confutat: quandoquidem si omnes

po-

paſſiones mixti ſunt corporales; nulla paſſio animæ, vt muſica, vel obliuio muſicæ, eſt paſſio corporalis: non erit profectò anima mixtum ex elementis.

Quis hinc non videt intellectũ animæ, & animam intellectu prædità omni labe corruptiuę, atque alteratiuæ qualitatis, ſiue in elemento, ſiue in elemẽtatis repertæ, eſſe prorſus exortem? Quare, & ſeparabilem eſſe, ſicut perpetuum à corruptibili?

Nu.78 Secundus ſyllogiſmus eſt. Si intellectus eſſet mixtus cum corpore, aliquod organum haberet vel in agendo cum organo, vel in patiendo cum organo. Nunc autem nullum eſt organum intellectui, nempe organum eſt paratum animę ad actionẽ, vel paſſionem; ſic nanque oculus & in eliciẽda, & in recipiẽda viſione deſideratur. *Sic* pedes ad ipſum ambulare & efficiẽdum, & recipiendum ſunt neceſſarii. Intelligere autem neque ab organo coefficiente fit, neque in organo conrecipiente recipitur. Quæcunque autẽ operatio nullo organo corporeo eget, arguit principium operatiuũ eſſe poſſe ſine corpore. Impoſſibile nãque eſt, vt principium actiuum magis dependeat, quàm actio: ſed actio intelligendi à corpore in ratione paſſi non dependet, ergo neque in ratione agentis: ergo nullo modo: igitur neque principium intellectionis actiuum, aut paſſiuum eſt dependẽs in eſſendo à corpore.

Circa hanc rationem obſerua Philoſophum negaſſe organum intellectui, nõ dixiſſe, eſſe ab organo ſeparabilem.

Non deerunt fortaſſis aduerſarii dicentes, intellectiuã non egere organo proprio, egere tamen alieno, videlicet organo imaginationis, obiecta intelligibilia repræſentantis intellectui, per aſſerta in 3. animaſtico textibus 30. & 39. Proinde non confici, vt intellectus ſit ſeparabilis, ſi proprio non egeat organo: ſed ſi neque proprio, neque alieno.

Hos equidem hortabor, ne loquantur ex proprio capite, ſed ex Ariſtotelico textu. Nũquam obſeruaui, quando potẽtia comparatur ad obiectum, quòd obiectum ipſum, vel (ſi obiectum ſit accidens) quòd ſubiectũ, in quo inhæret obiectũ, vocatum ſit organum illius potentiæ. Exempli cauſa. Planta, & facultas nutritiua habent alimentum, vt panem, & fructus, tanquam obiectum. Animal, & viſiua reſpiciunt veluti obiectum lucem, & colorem, quæ cũ ſint accidẽtia, relidẽt in Sole, vel igne, in niue, aut pariete, vt in ſubiectis. Vbi nam, amabò, Philoſophus tàm inſolente phraſi vſus eſt, vt panem, vel poma, vocauerit organum nutritiuæ? Vt Solem, vel lucẽ, alboré, vel parietem nuncupauerit organum viſiua? Quia verò ſenſus exterior offert obiectum interiori, ſenſus interior intellectui; vbinam Ariſtoteles dixit, oculum, vel aurem, colorem, vel ſonum eſſe inſtrumentum, ſiuè organum ſenſus interioris? Vbi nam phantaſiã,

vel phantasma appellauerit organum intellectiuę. Phãtasma est obiectũ, organum phantasiæ est subiectum phantasmati: nõ igitur phantasma, vel phantasia, vel phantasiæ organum est organum intellectui. A se hæc loquuntur, non ab Aristotele: quare sibi fidẽ ipsi habeant, nos non habemus.

Prętęrea distinctionem organi per proprium, & alienum, è quo textu eruunt? Cum Aristoteles dicat, *nullum est* organum: quo textu contradicunt, est organum alienum? Si Aristoteles negat genus, cur nõ negant omnes species? De nullo etenim est, quando nihil est accipere sub subiecto, à quo nõ remoueatur prædicatum, vti discimus in 1. prior. cap. 1. Nam si obiectum assignet intellectui phantasma, aliud est esse obiectum alicuius potentiæ, aliud organum eiusdem potentiæ. Potentia extrinseca est obiecto, sed intrinsecè organũ informat, vt visus pupillam, 2. animæ 9. Quid quod intellectus erit magis organicus, quã visus, vel auditus? Sensus exterior non habet profectò, nisi vnum organũ: intellectus haberet omnia organa sensuum exteriorũ, quę mediatè intellectui obiecta supperitant: atque omnia organa interiorum sensuum. At vnius potentiæ organicæ vnum est organum, & facultas organica est ex organo proprio, nam alienũ organum ponere, Aristotele inconsulto, non decet.

Amplius. Organum ad operationem à natura instituitur, vnde & per operationem definitur 4. meteor. cap. vltim. & 7. met. 35. Si autem opus præstare non valeat est ęquinocè organum. Si ergo sensus exterior est organum phantasiæ, phantasia est organum intellectus: debet sẽsus exterior definiri per operationem intellectus, sic etiã phantasia. Nam in definitione, quod est præstantissimum, est ponendum, iuxta præceptum Aristotelis in 6. top. loco. 86.

Nn. 79

Quin etiam sensus exterior si ordinatur ad phantasiæ operationẽ, attingit in omnibus animalibus finem, aut perfectè, aut imperfectè per 3. animæ 56. Sed phantasia, cum ordinetur ad operationem intellectus tanquam organum, in plurimis animalium frustra est. Nam ex 2. phys. 62. frustra est, quod natum est alterius gratia, cum tamen nõ perficit illud, cuius gratia erat. Sic etiam primo de cælo 32. frustra est calceamentum, cuius tamen nõ est calceatio. Est nanque phãtasia in omnibus animalibus, intellectus in solo homine.

Vlteriùs. Organum imaginationis ordinatur ne ad intelligere per se, an per accidens? Si per se, & prædicatum per se infert prædicatum de omni, vt ex primo posterior. elicitur tex. 36. Ergo in omnibus animalibus erit organum præparatum ad intelligere. Deus, & natura nihil facit frustra, primo cęli 32 in omnibus itaque animalibus est intellectus, & intelligere. Si per accidens, sed quæ per accidens insunt, possunt non inesse, secundum posita in 8. phys. 36.

36. Accidentia etiam non neceſſaria ſunt ſubiectis, primo poſt. tex. 44. & 54. Igitur non neceſſariò intellectus organo alieno vtitur. Sed quemadmodum priuatio eſt principium per accidens, eo quòd in ipſo fieri cõpoſiti per ſe concurrit, veluti terminus à quo: vnde compoſitũ in fieri exigit priuationem, in facto eſſe nequaquam. Ita intellectus per accidens poſcit phantaſiam ancillãtem, ſed ſimpliciter non poſcit, quia per accidens, quandiu corpori iungitur, poſcit.

Denique potentia ipſi animæ intrinſeca cum obiecto extrinſeco ad operationem vitalem coniungitur. At iſta coniunctio potentiæ cum obiecto non impedit ſeparabilitatem ſimpliciter. Etenim in 8. met. 3. cõpoſitum affirmatur eſſe ſimpliciter ſeparabile: ſed planta, & alimentũ ſunt compoſita; animal & ignis, aut paries ſunt cõpoſita: quorum alterum eſt potentia, vel eam habet, alterum eſt obiectum. Qua ratione ſequitur, vt intellectiua potentia ab obiecto phantaſmate, atque à phantaſia ſimpliciter ſeparabilis exiſtat, non obſtante coniunctione cum obiecto, vt infra, iterum neceſſitate compulſus dicam. Maneat nobis ex 3. de anima 6. intellectum neq; vt formam eſſe ſubditum corporeis qualitatibus primis, aut ſecundis (Negato quippe primo poſteriora negãtur, 12. met. 38) neq; vt formam vitalem habere vllum organum corporeum, Maneat intellectum non eſſe mixtum cum corpore ſubiecto animæ rationali, quare neque vt formam in communi, neq; vt formam viuentis dependere à corpore ſubiecto: ac propterea poſſe in rerum natura exiſtere ſine ſubiecto corpore, ab eoque ſeparabilem eſſe.

Alius quoque locus eſt in 3. de anima tex. 7. ſanè clarus. Diſcriminat Ariſtoteles ſẽſum, & intellectum, quos ambos impaſſibiles dicit: impaſſibiles ſcilicet corruptiuè ab obiecto, paſſibiles perfectiuè. Sed enim alia & alia eſt eorum impaſſibilitas. Senſus quippe à vehementi ſẽſibili impeditur, ne percipiat minora obiecta; intellectus autem à valde intelligibili percepto roboratur, vt minora melius intelligat. Cauſam huius diſcriminis reddit Philoſophus, *Senſus enim non eſt ſine corpore, intellectus autẽ eſt ſeparabilis.* Oppoſitorum oppoſitæ ſunt cauſæ: impediri, & expediri per præcellens obiectum ſunt oppoſiti effectus, oppoſitæ impaſſibilitates; cauſæ ſunt, quia ſenſus non eſt ſine corpore, intellectus eſt ſine corpore: ſenſus non eſt ſeparabilis, intellectus eſt ſeparabilis. Reminiſcere, lector ſolers, quæſiti à nobis veſtigati. Quærebamus, an aliqua forma eſſet ſeparabilis à corpore, an aliqua forma eſſet ſine corpore. Inuenimus, quod quærebamus. Intellectus eſt ſine corpore, intellectus eſt ſeparabilis. Poſſumus reſolutionem dubii propoſiti in primo de anima tex. 12. & 13. & indicati in *Nu. 80*

agente per locum à minori: quę fuerãt antea probata de intellectu possibili, scilicet *separabile*, *immixtum*, *impassibile*. Nã quæcunque perfectiones competunt intellectui imperfectiori, multò magis cõpetunt perfectiori; sed intellectus faciens est perfectior, quàm patiens, & patienti competunt perfectiones hæ, est enim separabilis tex. 7, immixtus tex. 6. impassibilis tex 7. & 12. ergo intellectus agens est separabilis, immixtus, impassibilis.

Interrogo, an Aristoteles eãdem separabilitatem attribuat his duabus animæ differentiis, an aliam, & aliam, puta realem agenti, rationalem possibili. Si eandem, & realem, quoniam nemo ex Peripateticis negat intellectum agentem esse re separabilem; fit, vt intellectus quoque possibilis sit separabilis re à materia, superstesque corpori. Si autem in præmissa sit sermo de separabilitate rationis, in conclusione de separabilitate rei: statim in argumento est fallacia æquiuocationis, & secundum quid ad simpliciter. Minoris primam partem probat Aristoteles illis verbis *substantia actio existens*, sic, semper enim præstantius est agens patiente: sed hic intellectus est ipsi substantię ad actionem, scilicet faciens, vti alter est animæ ad passionem, ideſt. patiens; ergo hic intellectus est præstantior possibili. Vbi dissimulare non debeo errorem translationis, sic nanque legimus, *substantia actio existens* in recto, quasi ipsa substantia intellectus agentis sit sua actio, ex quo Alexãdrei triumphũ clamarẽt: solus enim deus est, cuius substãtia est sua actio, igitur intellectus est deus, prout significat noster Alexan. asserui. Nu. 84

Græcè sic habet τῇ οὐσίᾳ ὢν ἐνέργεια. τῇ οὐσίᾳ est casus datiuus, transfer, *ipsi substantiæ*. ὢν est participium verbi substantiui, verte, *existens*: vel resolue participium hoc pacto *cum sit*, ἐνέργεια item est datiui casus, lege, *operationi*: totaque clausula erit, *ipsi substantiæ, cum sit operationi*. Vbi verbum substãtiuum, siue participium eius construitur cum duobus datiuis Græcè. Scio Græcos carere ablatiuo, & sæpenumero datiuum Græcum in ablatiuum latinum conuerti, quamuis & in alios casus pro ratione idiomatum vertatur. Quamobrem interpretes, alii ponunt substantiam in ablatiuo, ac si dicas, substantialitate existens operatio: alii operationem in ablatiuo locant dicentes, substantia existens actu. Vtrique tamen vnum nominatiuum in latino ponunt, cũ in Græco, nec substantia, nec operatio sit in recto casu.

Nullam varietatem inferamus textui in re tàm pretiosa; dicamusque, *cum sit ipsi substantiæ operationi*. Quando verbum substantiuum construitur cum duobus datiuis, alter est vt *cui*, alter vt *ad quod*. Veluti si dixeris, ego sum tibi auxilio, si quæras *cui*, respondebo *tibi* sum, si quæras *ad quid*, dicam ad auxilium. Sic Cicero lib. 2. epist. 7. ad Curionem, *Vt sempiterna*

lau-

laudi tibi ſit iſte tribunatus, ideſt, ad laudem ſempiternam; & eodem lib. 1. epi. 10. ad Cælium. *Quod mihi magna voluptati fuit*, hoc eſt ad voluptatem. Lib. 15. epiſt. 2. *Regi, regnoq; præſidio eſſem*, lib. 15. epiſt. 4. *Et ſaluti fui.* Ita & Ariſtoteles, poſito duplici intellectu, ait, vnum eſſe ipſi ſubſtantiæ paſſioni, ſcilicet paſſibilem, alterum *actioni*, ideſt, agentem; de poſſibili implicitè, de faciente *eſt actioni*, explicitè poſuit: ſemper autem præſtantius eſt agens patiente; itaque ſenſus Ariſtotelis eſt. Cum iſte intellectus ſit ipſi animæ (quæ eſt ſubſtantia) ad actionem: præſtantior eſt illo intellectu, qui animæ præſto eſt ad paſſionem; ſed intellectus, qui eſt ad paſſionẽ, eſt ſeparabilis, immixtus, impaſſibilis: ergo & qui eſt ad actionẽ, eſt talis. Qui ſenſus clariſſimus eſt, & clariſſimam facit Ariſtotelis rationem, & orationem.

Nu.85 Da legi. Intellectus eſt ſubſtantia, ideſt, ſubſtantialitate actio; ſenſus erit, quiditate, diffinitione eſt actio, ſicut intellectus materialis eſt paſſio. Nã ipſa definitio, ac eſſẽtia & ſubſtantia, & quiditas rei appellatur. Quia verò intellectus agẽs definitur per actionem ſic, *Cuius eſt omnia facere*, ſicuti omne factiuum per operationem definitur, & communiter potentia notificatur per actum; non ſit inde, vt ſemper intellectus agẽs ſit in actu (ſicuti apparet) quãdo dormimus; ſed quemadmodum, Auerroe monente in 4. de cælo com. 26. definitur palma arbor ferens dactylos; nõ quod ſemper ferat illos, ſed quod sẽper ſit natura potens illos ferre; *ita intellectus faciens, cuius eſt omnia facere*, nõ sẽper facit omnia, ſed quandoque nihil facit: quãquam ſemper ſit natura potens facere omnia in genere animæ. Vera ſunt hæc dicta, quòd intellectus faciens eſt per ſuam definitionem facere; ſed hæc expoſitio non eſt neceſſaria. Quoniam tex. non dicit intellectum facientem eſſe per ſubſtantiam ſuam operationem, vel ſubſtantiam intellectus eſſe operationem; ſed vt verbum verbo reddam, ſic ait, intellectus ipſi ſubſtantiæ ens operationi, hoc eſt, ad operationem eſt exiſtens.

Nu.86 Hinc eniteſcit, quàm debilis ſit iſte locus pro Alexandreis, qui tamen locus eſt præcipuum fundamentum ipſorũ. Si enim intellectus faciens eſt per ſuam ſubſtantiam actio, ergo eſt Deus. Sed Ariſtoteles non dixit, quòd intellectus faciens ſit operatio. Sed & aliter conſtat intellectum agentem non eſſe Deum; Alexandreis Deus eſt nihil potens, nihil faciens: intellectus agens Ariſtoteli facit omnia, ergo quod facit omnia, nihil facit, ſi eſt Deus Alexandreis.

Secundò. Deus eſt principiũ finale tantùm, non factiuum apud Alexandreos: at intellectus agens Ariſtoteli eſt principium effectiuũ, vt factiuum, vt natura, vt ars, vt habitus, vt lumen per 3. de anima contextibus 17. ac 18. Item definitur

per

per facere, cui opponitur fieri in genere efficientis. Nec Aristoteles dixit intellectum facientem esse principium finale: ergo intellectus faciens Aristotelis nō est Deus Alexandreorum.

Tertiò. Si Deus facit omnia, vt agens rationale, ergo intelligit omnia, quod opinio Alexandreorum negat. Si facit vt agens irrationale, ergo agit in quantum potest, & semper agit

Nu.87 Quartò. Deus non est differētia existens in aliquo eodem modo essendi *in*, quo pars existit in tota anima: & verò intellectus faciens, & patiens sunt duę differentiæ existentes in anima, explicatæ per eandem phrasim *existere in.*

Quintò. Si intellectus possibilis est inseparabilis à corpore, quia nō agit sine phantasmate: nec intellectus agens illustrabit phantasmata sine phantasmate; quare nec intellectus agens erit separabilis. Quid hæsito? Nostri Alexandrei alligant crudelissimis cathenis deū omnium hominum phantasmatibus in sempiternum. Itaque aliæ intelligentiæ vni orbi incorruptibili sunt coniunctæ: Deus, & vni orbi, & hominibus. Minus ergo est separabilis à corpore, quàm alię intelligentiæ.

Sane si conatus ipsius ignis in agendo aliquādo sit frustra, nō est absurdum. At conatum Dei faciendis actu intelligibilibus, esse frustra, est per quā falsum: Deus quippe nihil facit frustra.

Num. 88. Postremò. Si secundum veritatem loquamur, Deus vt causa prima, & vniuersalis in genere efficientis facit omnia alia, & in esse reali, & in esse intentionali: facit etiam ipsum intellectum possibilem in esse reali. Intellectus agens nihil facit in esse reali, sed in esse intentionali facit aut species, aut intellectiones; etenī Aristoteles docet, sicut patiens est materia vnicuique generi, sic faciens est faciens in vnoquoque genere omnia illa, quorum patiens est receptiuum. Ergo & in anima intellectus agens facit *illa*, quorum est receptiuus intellectus patiens. Non ergo facit intellectum passibilem, sed præsupponit: nec facit alia entia in esse reali, quoniam alia entia nō recipiuntur in possibilem intellectum. Deus denique in eodē genere causæ facit omnia cum anima vegetali, cum sensuali; cum intellectiua. Sed intellectus agēs nihil facit, quod sit receptibile in genere vegetatiuæ, aut sensitiuæ animę. Quocirca de intellectu agente, tanquam de animæ parte Aristoteles dixit, non de Deo, quòd est separabilis, immixtus impassibilis, quòd sit immortalis, ac perpetuus.

Ex 3. de anima 20. Cap. V.

POstea quam dixit Aristoteles de intellectu agente, & possibili in textibus 17. 18. 19. proximum est transire ad intellectum in actu: nam ex duobus principiis actiuo, & passiuo, actio progignitur. Igitur intellectus in potentia est prior tempo- *Nu.89*

pote intellectu in actu, ſi ſpectes in eodem ſingulari. Si autem conſideres intellectum ſimpliciter in omnibus ſingularibus totius humanæ ſpeciei; tunc actus eſt ſemper prior potentia: nec intellectus hoc modo Sumptus, aliquando intelligit, aliquando non intelligit, ſed ſemper intelligit. Quæ doctrina de intellectu actu, & potentia in vno, & in omnibus, non eſt peculiaris intellectui, ſed vniuerſalis in omnibus tranſeuntibus de potentia ad actum, quēadmodum in 9. met. 13. traditum eſt. Explicata conditione intellectus in actu, Philoſophus immediatè ſubiungit in tex. 20. 3. de. anima. *Separatus autem eſt ſolùm hoc, quod eſt: & hoc ſolum eſt immortale, & perpetuum.* Duos ſtatus contemplare in ipſo intellectu, alterum coniunctionis, alterum ſeparationis; deinde interroga, an iſte intellectus ſit *id, quod eſt*, antequam ſit ſeparatus, an poſt? Reſpondet Stagirites, ſeparatus ſolùm *eſt hoc, quod eſt*. Nempe in ſtatu ſeparationis ſolūmodo hanc dignitatem adipiſcitur, vt *ſit hoc, quod eſt*, ſcilicet vt ſit per ſe exiſtens, & per ſe ſubſiſtens. χωρισθεὶς eſt aoriſtus primus, præteriti temporis, & sēſum facit, quando intellectus fuerit ſeparatus, vel poſt quam fuerit ſeparatus, tunc ſolummodo erit *hoc, quod eſt*. Si poſtquam eſt ſeparatus tantummodo, ergo non ante, dum erat coniunctus.

Nn. 90 Percontor iam, de quo intellectu hæc dixerit? Sanè vel attendis conſtructionem ſecundum connexum ſermonis, vel ſecundum connexum rei. Si connexum ſermonis, quia in quatuor clauſulis immediatè præcedentibus locutus eſt de intellectu facto actu: ergo de intellectu eodem ait *ſeparatus autem &c.* Sicut Vicomercatus, & Cottunius, & alii multi intelligunt. Atqui poſſibilis intellectus eſt, qui ex potentia intellectu fit actu intellectus, ergo iſta clauſula *ſeparatus autem ſolùm* de intellectu poſſibili accipienda eſt, quia intellectus poſſibilis in ſtatu coniunctionis non erat per ſe ſubſiſtēs, ſed per ſe pars: in ſtatu ſeparationis dūtaxat eſt per ſe ſubſiſtens. Si cōnexum rei quæras, cui attribuitur potentia, eidem attribuitur actus per regulā aſcriptam in 2. phyſ. 77. & de sōno c. 1. ſed potē tia ad ſeparationē, ſiue ſeparabiliras tributa eſt intellectui poſſibili, 3. de anima 6. & intellectui poſſibili, atq; agenti, 3. de anima 19. quare vterq; intellectus erit ſeparatus: & vterque dicetur eſſe *hoc quod eſt* ſcilicet ens per ſe exiſtens: & hoc ſolùm per ſe exiſtēs eſt immortale, & perpetuum. Dicitur autē *hoc quod eſt* non pręciſè ratione potentię, vel differentiæ: ſed ratione ſubſtantiæ, cui hæ differentiæ sūt vel actioni, vel paſſioni, prout antea in tex. 19. dicebamus. Meritò igitur multi hoc intelligunt dictum de ſubſtantia animæ intellectiuæ, vt eſt fundamētum potentiarum. Ita Thienēſis, Piccolomineus, & alii.

Non poteſt autem ſolus intel- Nn. 92

lectus agens accipi repugnante, & ſermonis, & rei textura. Multò minus Deus intelligi poteſt, tametſi ſolum Deum retrudant Alexandrei. Nam Deus ſemper eſt per ſe ſubſiſtens, ſemper eſt *hoc, quod eſt*: niſi enim Deus ſit ſimpliciter *hoc, quod eſt*, et per ſe ſubſiſtens ſemper, quis erit talis? An Alexander? Sed intellectus, de quo Ariſtoteles, ſolùm poſtquam fuerit ſeparatus, eſt per ſe ſubſiſtens, nõ ſemper; ergo intellectus, de quo Ariſtoteles, non eſt Deus.

Secundò, intellectus ab Ariſtotele poſitus non eſt *hoc, quod eſt* ante, ſed poſt ſeparationem. Sed apud Alexandrum Deus nunquam eſt ſeparatus, ſemper quippe eſt coniunctus cum hominibus actu exiſtentibus: quare eſt ſimpliciter coniunctus cũ hominibus, ſecundum quid ſeparatus ab hoc homine moriente, ergo Deus nunquam erit ſimpliciter ſeparatus, nunquã ſimpliciter *hoc quod eſt*, nunquã per ſe ſubſiſtens, quod eſt longè abſurdiſſimum.

Nu. 92 Quæ ratio euertit opinionem ponẽtium vnum intellectum in omnibus hominibus. Nam Ariſtoteles in hoc intellectu ſeparabili ponit ſtatum coniunctionis, in quo intellectus non eſt *hoc, quod eſt*. Non mirum, quia in 2. de anima 2. compoſitum eſt hoc aliquid, & *quod eſt*, atque in 8. met. 3. compoſitum eſt ſeparabile ſimpliciter; quod autẽ eſt per ſe pars, non eſt *hoc quod eſt*, ſed ſoiũ erit, quando per ſeparationem ad actum reducetur: vnde forma quædam, quæ non eſt per ſe pars, vel actus ipſius corporis eſt ſeparabilis ſimpliciter. Ponit rurſus ſtatũ ſeparationis, in quo intellectus ſeparatus affirmatur eſſe *hoc, quod eſt*. Si ergo idem intellectus aliquando coniunctus, aliquando ſeparatus: aliquando non *hoc, quod eſt*, aliquando *hoc, quod eſt* reperitur; certè non eſt unus numero intellectus in omnibus hominibus, quia ille ſemper eſt coniunctus, & nunquam *hoc, quod eſt*.

Denique ſi Ariſtoteles de Deo loquatur, & comparet Deum ad omnia, dicatque ſolum Deũ eſſe immortalem & perpetuũ; falſò dicit, prout annotauit Philoponus: eo quòd intelligẽtiæ, & cælum, ſint immortales, & perpetuæ. Si verò loquatur de anima, & comparet animam intellectiuam ad alias, atque affirmet, ſolam animam, quæ eſt intellectus, eſſe perpetuam, verè affirmat.

Illud magno eſt argumento immortalitatis animæ intellectiuæ, quòd omnes Peripatetici ad vnum, Ariſtotelico textu coacti, ponunt in homine aliquid immortale, & perpetuum, (vltra materiam primã) quod immortale in nullo viuente alio ſub cælo ponunt. Cum autem hoc ſit certum, quàm quòd certiſſimum: cur, quæſo, nõ agnoſcimus in homine duas tantùm partes, materiam, & formam: corpus, & animam? Certè homo eſt compoſitũ phyſicum, quia ſol, & homo generant hominem 2. phyſ. 26. nẽpe duo phyſica agentia, vniuerſale N. 93.

ſale, & particulare. Nunquã Ariſtoteles diuiſit ſubſtantiam phyſicam, niſi in materiam, formam, & quod ex his. Nullam ſubſtantiam in compoſito phyſico agnoſcit, niſi materiã, & formam: nullam in compoſito metaphyſico, niſi potentiã, & actum; cur Deum, vel intelligentias fruſtra in homine includimus? In homine eſt aliqua ſubſtantia perpetua, & immortalis, quod nemo hactenus negare auſus eſt in ſchola Ariſtotelis, quod ſciam. Sed homo conſtat ex anima, & corpore tantùm, quorum corpus eſt corruptibile proculdubio, ergo aĩa hominis eſt perpetua, & immortalis; atque adeò quædam forma eſt ſeparabilis ſimpliciter, quædam non eſt: id quod cum Ariſtotele veſtigandum propoſuimus.

Opiniones Peripateticorum de Ariſtotelis ſententia proponuntur: & expenditur illa, quæ Ariſtotelem dubium aſtruit.
Cap. VI.

Nu. 94 GEneraliter de forma ſeparabili tractantes, neceſſitate compulſi ad eam formam deſcendimus, quæ eſt ſeparabilis: cæteras formas particulares, tanquam inſeparabiles deſeruimus. Argumenta contra formam ſeparabilem in communi cùm pauca, tùm friuola ſũt: quę tamen libro proximo capitibus 3. & 4. delecta manent. Itaque faciliùs fortaſſe videretur ſuſtinere, quòd omnis forma ſubſtantialis ſit perpetua, quàm quòd nulla. Argumenta ſpecialia contra rationalem animã plura ſunt; nam à duobus annorum millibus ferè tentarunt aliqui ex Peripateticis oſtendere, animam ratione præditam deſinere eſſe: atque hanc eorum præiudicatam opinionem Ariſtoteli affingere.

Quapropter de Ariſtotelis ſententia tres vigent ſequacium opiniones. Prima quòd anima ſit immortalis, quæ Theophraſti, Eudemi, Simplicii, Themiſtii, & plurimorum Peripateticorum eſt, tanquam ſententia communior. Secunda, quòd mortalis. Tertia, quòd Ariſtoteles fuerit dubius. Hæc tertia duas habet vias reſpondendi ad authoritates Ariſtotelis affirmantes intellectum immortalẽ in homine. Prima eſt, Ariſtotelem habuiſſe diuerſa principia, quorum aliqua prouocabant ad animæ immortalitatem, quædam ad mortalitatem: quare Ariſtoteles dubitãter loquitur, & pro ratione principiorum, quæ pertractat, modò affirmat, modò negat immortalitatem. Si poſtules ab iſtis authoribus, vt oſtendãt aliquem locum, in quo Ariſtoteles animam intellectricem negauerit eſſe immortalẽ, aut ſeparabilem non: habent vllum locum. Sed quædã principia, vel communia, vel alienа producunt, ex quibus principiis per contrarias conſequentias deducant concluſionem optatam. Si viciſſim producas loca, in quibus Ariſtoteles dixit, nihil prohibere, quin aliqua

pars animæ sit separabilis: nihil prohibere, quin post solutum compositum maneat aliqua forma, veluti anima, quæ est intellectus. Quibus in locis, ne leuissimum quidem est dubitationis vestigium. Tunc ad secundam respondendi viam confugiunt, atque aiunt Aristotelem quidem expressè affirmauisse, quòd anima esset immortalis: sed tamen non demonstrauisse. Quapropter dicunt Aristotelem fuisse ancipitem, quando certam demonstrationem non haberet. Hanc secundam viam, tanquam magis sinceram, atque vt loquitur Scotus huius opinionis author in 4. d. 43. q. 2. l. magis realem agnoscunt. In eadem sententia citatur Herueus, Caietanus, Fauentinus, & alii.

Nu. 95 Sed quia nulli auctori imponenda est sententia falsa, vel multum absurda, nisi habeatur expressè in dictis eius, vel sequatur euidenter ex dictis eius: per Scotum quol. 7. ad FF. Item ex dictis aliorum accipere debemus sensum, quoad possumus rationabiliorem, ex eodē Scoto in primo, d. 8. q. 5. C. D. Idcirco cum hæc opinio, quæ statuit animam rationalem in hominis obitu desinere esse, sit maximè absurda, non est Aristoteli imponenda; præsertim cum Aristetelis verba expressè oppositū sonent, vti Scotus, vel inuitus fatetur. Adde, quòd Aristoteles scripsit librum ad Eudemū, in quo multis rationibus asseuerauit animam rationalem esse immortalem. Periit is liber iniuria temporum, vt alii libri Aristotelici supra trecētos periere. Citatur tamen à Themistio in 3. de anima cap. 37.

Cæterùm Doctor subtilis, & si putauerit in 4. sen. d. 43. q. 2. Aristotelem esse dubitabūdū de animæ rationalis separabilitate, propterea quòd Aristoteles separabilitatem non demonstrauerit. Tamen in quolibet, videtur sententiam mutauisse. Cum enim possimus concludere separabilitatem à materia in essendo, vel per medium commune, & probabile: vel per medium proprium, & demonstratiuum. In quol. 21. Q. scribit *Quia certum fuit, Aristotelem secundum sua principia posuisse animam intellectiuam esse à Deo immediate: & ad hoc attingere potest ratio naturalis, cum sit immortalis.* Hæc Scotus. Quem locum explicat Gadius in quol. 21. & Fauentinus Theor. 68. de ratione naturali probabili, non demonstratiua. Fac ita esse, quamuis verba subtilis Doctoris maiorem quandam energiā habeant. Hoc certum sit nobis, quòd Aristoteles certò tenuit istam conclusionem, *Anima rationalis est à Deo immediatè*, propter istud principium, *anima rationalis est immortalis*. Si autem certitudo conclusionis pendet ex certitudine principii: sēper enim propter quod vnumquodque, & illud magis ex 1. poster. 15. Ergo Aristoteles fuit multò magis certus de ista propositione, *anima rationalis est immortalis*. Quare si certus fuit, aut Scotus dicens Aristotelem du-

dubiũ in 4.d.43. q. 2. ſibi cõtradicit: aut, quod verũ arbitror, in vltimo, & prẽſtantiſſimo ſuorum operum ſententiã mutauit.

Nu.96 Sed ſi hæc certitudo dicatur eſſe per per medium commune, & probabile. Legatur Scotus quol.9. H. *Intelligere eſt operatio immaterialis, quia proximum receptiuum habet non includens materiam, ſaltem corporalem: & ideò ſine tali materia poteſt ipſa operatio haberi. Nunc autem potens habere operationem ſine materia: poteſt habere eſſe ſine materia; ergo natura illa, cuius eſt iſta operatio propria, poteſt habere eſſe ſine materia. Ex hoc ergo medio ſcilicet operatione poteſt concludi ipſius naturæ talis immaterialitas, hoc eſt a materia in eſſẽdo ſeparabilitas, non autem illa immaterialitas vlterior, quæ eſt impoſſibilitas informandi materiam; & hoc eſt rationabile, quod ex intellectione, quæ eſt medium commune animæ, et angelo, poſſit concludi immaterialitas cõmunis vtriq;*. In quibus verbis *operatio immaterialis* eſt medium adęquatum *ſeparabilitati in eſſendo à materia.* Medium adęquatũ eſt proprium, ergo eſt medium demonſtratiuũ, non dialecticũ. Sed quid Scotus ſenſerit in præſentia negligamus.

De Ariſtotelis opinione quęrimus, quem certum de animæ rationalis immortalitate fuiſſe dicimus. Nam ſi pertractans principia pro immortalitate, ac ſeparabilitate, animam ſeparabilem eſſe aſſeruit expreſſè: quare itidem pertractans principia, quæ dicuntur eſſe pro mortalitate non ſimiliter aſſeruit mortalem? Hoc dicunt aduerſarii factum fuiſſe ab Ariſtotele, ſed factum non oſtendunt. Quod Ariſtoteles expreſſè aſſeruit, illud eſt ab ipſo Ariſtotele creditum: at ex aduerſariorum confeſſione non expreſſit mortalitatem, expreſſit immortalitatẽ: ergo immortalitatem certò tenuit. Non debemus autem aperta Ariſtotelis verba deſerere propter occultas quaſdam conſequentias. Nullus etenim eſt locus in Ariſtotele, quem ſagax Peripateticus ex alio aliquo loco non impugnet. Ergo ſecundum hanc regulam aduerſariorum dicemus, nihil fuiſſe ab Ariſtotele creditum certò. Nobis hæc lex ſit ſtabilis. Quod Ariſtoteles expreſſè ſcripſit, hoc eſt reſolutè in Lyceo ſuſtinendum, niſi grauis cauſa diſſimulationis adducatur. Quãdo autem aliunde dicta opponuntur, illa declaranda ſunt, & conſequentiæ ſunt reſoluendæ, ne Ariſtoteles ſibi contrarius videatur.

Sed præſtat poſtulare, quænam ſint principia tantum Philoſophum in dubitationem ſuſpẽdẽtia? Reſpõdet Scotus duo. Nu.97

Primum eſt in 7.met.cap. vlt. vbi vult, quòd omnes partes, quæ poſſunt manere ſeparatæ à toto, ſunt elementa, ideſt, partes materiales; & præter tales neceſſe eſt ponere in toto aliquã formam, qua totum eſt illud, quod eſt; quę non poteſt manere ſeparata à parte materiali, toto non manente.

Occurro, quoniam hoc principium eſt commune: ſi autem

ex

secundo de anima 21. complecti, intellectus est separabilis.

Nn.81

Non desunt aduersatii, dicentes Aristotelem loqui de separabilitate ab organo, non à corpore. Dixi iam hanc separabilitatem ab organo esse commentum aduersariorum, non Aristotelis documentum. Addo in tex. non solùm sensui dari organũ, sed & corpus: cũ enim Aristoteles causam reddit, *de corpore* dicit, *sensus non est sine corpore*: ergo ex aduerso intellectus *est sine corpore*, ideſt, separabilis à corpore; sanè quando vehemens obiectum afficit sensum, hoc nõ est, quia agat actione intentionali solùm, vt in potentiam cognitiuam, vel organum eius: sed ideò lædit, quia actione reali operatur in sensorium, & corrumpit illud tanquam corpus, ergo formaliter loquendo Aristoteles optimè procedit, quia sensorium læditur, vt corpus, non tantùm vt sensorium: ideò sensus, qui sine corpore nec est, nec agit, impeditur à cognoscẽdis minoribus. Si intellectus læderetur à valde intelligibili, non vtique offenderetur in ratione organi perfectibilis ab obiecto actione intẽtionali, & immaterialì, quia neque sensus ita læditur, sed perficitur, ergo præcisè læderetur ex dissolutione temperamẽti requisiti in corpore, quòd in sensoriis euenire locuples author est Aristoteles in 2. de anima 123. 143. Vide omnino ad ista 3. de anima tex. 67. Cum itaq; Aristoteles in 3. de aĩa tex. 7. ostendat differentiã in impassibilitate sensus, ac intellectus; Atque vterque in impassibilitate ab obiecto vehementi conueniat, nam perficitur actione intentionali, & per se: solùm actione reali, & per accidens corrumpitur sensus ad corruptionẽ subiecti corporis *in quo*. Intellectus neque per accidens patiatur ad corruptionem subiecti corporis *in quo*. Fit, vt loquatur non de corruptione horum inquantum sẽsus est organicus, intellectus inorganicus, nam sensus non læditur vt perfectibilis ab obiecto: vt autem est perfectibilis ab obiecto est organicus; sed læditur in quantũ habet contrarium reale corpori, in quo est.

Præterea superuacanea erat Aristotelis doctrina. Si enim sensus est cum organo, & intellectus sine organo tex. 6. ex se patet, quòd sensus pati potest ad passionem organi habiti ex 2. de anima 123. intellectus nõ potest pati ratione organi non habiti; neque erat necesse recurrere ad impedimentum cognoscendi minora obiecta.

Tertius locus in 3. de anima 12. nobis exhibetur. Prisci philosophi dixerant, simile simili cognosci, ideoque intellectum ex rerum principiis constituebant, vt per principia interna discerneret externa obiecta. Anaxagoras solus posuit intellectũ immixtum, simplicem, impassibilem, qui cum aliis corporeis obiectis nihil commune haberet. Etenim intellectus erat immixtus cũ chao, ideſt, cum materia prima, teste Aristotele 1. met.

N. 82.

Digitized by Google

met. ſunt. 3. cap. 2. tex. 18. ergo erat etiam immixtus cū omnibus formis. Quia verò Anaxagoras non docuit modum, neq; cauſam, propter quam intellectus immixtus cognoſcat omnia, reprehenditur ab Ariſtotele in 1. dē anima 34. Verū enim verò Ariſtoteles etiam conſtituit intellectum poſſibilem immixtum, impaſſibilem, & aut cū nullis ſēſibilibus, aut (ſi placet) cum nullis aliis intelligibilibus quicquā commune habentem: ſed præuenit reprehenſionem, ne & in ſe recidat; atque in 3. de anima 12 habet. *Dubitabit virq; aliquis, ſi intellectus ſimplex eſt, & impaſſibilis, & nulli quicquam habet commune, ſicut dicit Anaxagoras: quomodo intelligit, ſi intelligere pati quoddam eſt: in quantum enim commune viri q; ineſt, hoc quidem agit, illud autem patitur;* nempe ex 1. de generat. agens, & patiens habent materiam communem, alioqui non eſſent actio, & paſſio.

Reſpondet Ariſtoteles in tex. 14. *An pati quidem ſecundum aliquid commune diuiſum eſt prius, quoniam potentia quodammodo eſt intelligibilia intellectus, ſed actu nullum antequā intelligat, oportet autem ſicut in tabula.* Refert ſe ad diſtinctionem datam in 2. de anima 55. Paſſio enim eſt duplex corruptiua, & perfectiua: in paſſione corruptiua requiritur materia communis, in paſſione perfectiua non requiritur; ſed ſatis eſt, vt patiens ſit potentiâ, non actu ad res recipiendas, ſicuti tabula non corrumpitur, ſed perficitur, quando à pictore ornatur. Talis eſt intellectus, qui nihil aliud à ſe eſt actu, ſed potentiâ omnia.

Ex qua doctrina cernis intellectum poſſibilē nihil commune habere, nullam materiam communem cum obiecto actiuo. Si autem phantaſmata ſūt obiecta intellectus iuxta 3. de anima 30. & 39. igitur phantaſmati agenti, & intellectui patiēti, nullum eſt commune ſubiectum; at materia prima, & ſecunda, ſunt ſubiectæ phantaſmati, ergo intellectus poſſibilis neque materiam primam, neq; ſecundam habet, vt ſibi ſubiectam. Quamobrem eſt ſeparabilis ab omni materia; quā in re diſcriminatur intellectus patiens à ſenſu patiente, quia ſenſus, quâ patitur perfectiuē, non habet materiam communem; At quâ materiam communem habet cum obiectis ſēſibilibus, patitur etiam corruptiuè paſſione reali, non intentionali tantū ideò ſenſus non eſt ſine corpore, neque ſeparabilis.

Ex 3. de anima 19. Cap. IV.

EX 3. de anima 19. Intellectū facientem, cuius eſt omnia facere, & poſſibilem, cuius eſt omnia fieri, vti duas āiç intellectualis differētias cōparari cernimus: deq; faciente exarata hæc legimus. *Et hic intellectus ſeparabilis eſt, & immixtus, & impaſſibilis, ſubſtantia actio exiſtens. Semper enim honorabilius eſt agens patiente, & principium materiā.* Quo loci tria prædicata probantur de intellectu *Nu. 81*

agen-

agente per locum à minori: quę fuerãt antea probata de intellectu possibili, scilicet *separabile*, *immixtum*, *impassibile*. Nã quæcunque perfectiones competunt intellectui imperfectiori, multò magis cõpetunt perfectiori; sed intellectus faciens est perfectior, quàm patiens, & patienti competunt perfectiones hæ, est enim separabilis tex. 7, immixtus tex. 6. impassibilis tex 7. & 12. ergo intellectus agens est separabilis, immixtus, impassibilis.

Interrogo, an Aristoteles eãdem separabilitatem attribuat his duabus animæ differentiis, an aliam, & aliam, puta realem agenti, rationalem possibili. Si eandem, & realem, quoniam nemo ex Peripateticis negat intellectum agentem esse re separabilem; fit, vt intellectus quoque possibilis sit separabilis re à materia, superstesque corpori. Si autem in præmissa sit sermo de separabilitate rationis, in conclusione de separabilitate rei: statim in argumento est fallacia æquiuocationis, & secundum quid ad simpliciter. Minoris primam partem probat Aristoteles illis verbis *substantia actio existens*, sic, semper enim præstantius est agens patiente: sed hic intellectus est ipsi substantię ad actionem, scilicet faciens, vti alter est animæ ad passionem, ideſt. patiens; ergo hic intellectus est præstantior possibili. Vbi dissimulare non debeo errorem translationis, sic nanque legimus, *substantia actio existens* in recto, quasi ipsa substantia intellectus agentis sit sua actio, ex quo Alexãdrei triumphũ clamarẽt: solus enim DEUS est, cuius substãtia est sua actio, igitur intellectus est DEUS, prout significat noster Alexan. asseruit. Nu. 84

Græce sic habet τῇ ὐσίᾳ ὢν ἐνεργεία. τῇ ὐσίᾳ est casus dativus, transfer, *ipsi substantiæ*. ὢν est participium verbi substantivi, verte, *existens*: vel resolue participium hoc pacto *cum sit*, ἐνεργείᾳ item est dativi casus, lege, *operationi*: totaque clausula erit, *ipsi substantiæ, cum sit operationi*. Vbi verbum substãtivum, siue participium eius construitur cum duobus dativis Græcè. Scio Græcos carere ablatiuo, & sæpenumero dativum Græcum in ablativum latinum conuerti, quamuis & in alios casus pro ratione idiomatum vertatur. Quamobrem interpretes, alii ponunt substantiam in ablativo, ac si dicas, substantialitate existens operatio: alii operationem in ablativo locant dicentes, substantia existens actu. Vtrique tamen vnum nominativum in latino ponunt, cũ in Græco, nec substantia, nec operatio sit in recto casu.

Nullam varietatem inferamus textui in re tàm pretiosa; dicamusque, *cum sit ipsi substantiæ operationi*. Quando verbum substantivum construitur cum duobus datiuis, alter est vt *cui*, alter vt *ad quod*. Veluti si dixeris, ego sum tibi auxilio, si quæras *cui*, respondebo *tibi* sum, si quæras *ad quid*, dicam ad auxilium. Sic Cicero lib. 2. epist. 7. ad Curionem, *Vt sempiterna*

lau-

laudi tibi ſit iſte tribunatus, ideſt, ad laudem ſempiternam; & eodem lib 1. epi. 10. ad Cælium. *Quod mihi magnæ voluptati fuit*, hoc eſt ad voluptatem. Lib. 15. epiſt. 2. *Regi, regnoq; præſidio eſſem*, lib. 15. epiſt. 4. *Ei ſaluti fui.* Ita & Ariſtoteles, poſito duplici intellectu, ait, vnum eſſe ipſi ſubſtantiæ paſſioni, ſcilicet paſſibilem, alterum *actioni*, ideſt, agentem; de poſſibili implicitè, de faciente *eſt actioni*, explicitè poſuit: ſemper autem præſtantius eſt agens patiente; itaque ſenſus Ariſtotelis eſt. Cum iſte intellectus ſit ipſi animæ (quæ eſt ſubſtantia) ad actionem: præſtantior eſt illo intellectu, qui animæ præſto eſt ad paſſionem; ſed intellectus, qui eſt ad paſſionẽ, eſt ſeparabilis, immixtus, impaſſibilis: ergo & qui eſt ad actionẽ, eſt talis. Qui ſenſus clariſſimus eſt, & clariſſimam facit Ariſtotelis rationem, & orationem.

Nu. 85 Da legi. Intellectus eſt ſubſtantia, ideſt, ſubſtantialitate actio; ſenſus erit, quiditate, diffinitione eſt actio, ſicut intellectus materialis eſt paſſio. Nã ipſa definitio, ac eſſẽtia & ſubſtantia, & quiditas rei appellatur. Quia verò intellectus agẽs definitur per actionem ſic, *Cuius eſt omnia facere*, ſicuti omne factiuum per operationem definitur, & communiter potentia notificatur per actum; non fit inde, vt ſemper intellectus agẽs ſit in actu (ſicuti apparet) quãdo dormimus; ſed quemadmodum, Auerroe monente in 4. de cælo com. 26. definitur palma arbor ferens dactylos; nõ quod ſemper ferat illos, ſed quod sẽper ſit natura potens illos ferre; *ita intellectus faciens, cuius eſt omnia facere*, nõ ſẽper facit omnia, ſed quandoque nihil facit: quãquam ſemper ſit natura potens facere omnia in genere animæ. Vera ſunt hæc dicta, quòd intellectus faciens eſt per ſuam definitionem facere; ſed hæc expoſitio non eſt neceſſaria. Quoniam tex. non dicit intellectum facientem eſſe per ſubſtantiam ſuam operationem, vel ſubſtantiam intellectus eſſe operationem; ſed vt verbum verbo reddam, ſic ait, intellectus ipſi ſubſtantiæ ens operationi, hoc eſt, ad operationem eſt exiſtens.

Nu. 86 Hinc eniteſcit, quàm debilis ſit iſte locus pro Alexandreis, qui tamen locus eſt præcipuum fundamentum ipſorũ. Si enim intellectus faciens eſt per ſuam ſubſtantiam actio, ergo eſt Deus. Sed Ariſtoteles non dixit, quòd intellectus faciens ſit operatio. Sed & aliter conſtat intellectum agentem non eſſe Deum; Alexandreis Deus eſt nihil potens, nihil faciens: intellectus agens Ariſtoteli facit omnia, ergo quod facit omnia, nihil facit, ſi eſt Deus Alexandreis.

Secundò. Deus eſt principiũ finale tantùm, non factiuum apud Alexandreos: at intellectus agens Ariſtoteli eſt principium effectiuũ, vt factiuum, vt natura, vt ars, vt habitus, vt lumen per 3. de anima contextibus 17. ac 18. Item definitur

per

per facere, cui opponitur fieri in genere efficientis. Nec Aristoteles dixit intellectum facientem esse principium finale: ergo intellectus faciens Aristotelis nō est Deus Alexandreorum.

Tertiò. Si Deus facit omnia, vt agens rationale, ergo intelligit omnia, quod opinio Alexandreorum negat. Si facit vt agens irrationale, ergo agit in quantum potest, & semper agit

Nu.87 Quartò. Deus non est differētia existens in aliquo eodem modo essendi *in*, quo pars existit in tota anima: & verò intellectus faciens, & patiens sunt duę differentiæ existentes in anima, explicatæ per eandem phrasim *existere in.*

Quintò. Si intellectus possibilis est inseparabilis à corpore, quia nō agit sine phantasmate: nec intellectus agens illustrabit phantasmata sine phantasmate; quare nec intellectus agens erit separabilis. Quid hæsito? Nostri Alexandrei alligant crudelissimis cathenis deū omnium hominum phantasmatibus in sempiternum. Itaque aliæ intelligentiæ vni orbi incorruptibili sunt coniunctæ: Deus, & vni orbi, & hominibus. Minus ergo est separabilis à corpore, quàm alię intelligentiæ.

Sane si conatus ipsius ignis in agendo aliquādo sit frustra, nō est absurdum. At conatum Dei faciendis actu intelligibilibus, esse frustra, est per quā falsum: Deus quippe nihil facit frustra.

Num. 88. Postremò. Si secundum veritatem loquamur, Deus vt causa prima, & vniuersalis in genere efficientis facit omnia alia, & in esse reali, & in esse intentionali: facit etiam ipsum intellectum possibilem in esse reali. Intellectus agens nihil facit in esse reali, sed in esse intentionali facit aut species, aut intellectiones; etenī Aristoteles docet, sicut patiens est materia vnicuique generi, sic faciens est faciens in vnoquoque genere omnia illa, quorum patiens est receptiuum. Ergo & in anima intellectus agens facit illa, quorum est receptiuus intellectus patiens. Non ergo facit intellectum passibilem, sed præsupponit: nec facit alia entia in esse reali, quoniam alia entia nō recipiuntur in possibilem intellectum. Deus denique in eodē genere causæ facit omnia cum anima vegetali, cum sensuali; cum intellectiua. Sed intellectus agēs nihil facit, quod sit receptibile in genere vegetatiuæ, aut sensitiuæ animę. Quocirca de intellectu agente, tanquam de animæ parte Aristoteles dixit, non de Deo, quòd est separabilis, immixtus impassibilis, quòd sit immortalis, ac perpetuus.

Ex 3. de anima 20. Cap. V.

Nu.89 POstea quam dixit Aristoteles de intellectu agente, & possibili in textibus 17. 18. 19. proximum est transire ad intellectum in actu: nam ex duobus principiis actiuo, & passiuo, actio progignitur. Igitur intellectus in potentia est prior tempo-

pore intellectu in actu, ſi ſpectes in eodem ſingulari. Si autem conſideres intellectum ſimpliciter in omnibus ſingularibus totius humanæ ſpeciei; tunc actus eſt ſemper prior potentia: nec intellectus hoc modo Sumptus, aliquando intelligit, aliquando non intelligit, ſed ſemper intelligit. Quæ doctrina de intellectu actu, & potentia in vno, & in omnibus, non eſt peculiaris intellectui, ſed vniuerſalis in omnibus tranſeuntibus de potentia ad actum, quêadmodum in 9. met. 13. traditum eſt. Explicata conditione intellectus in actu, Philoſophus immediatè ſubiungit in tex. 20. 3. de. anima. *Separatus autem eſt ſolùm hoc, quod eſt: & hoc ſolum eſt immortale, & perpetuum.* Duos ſtatus contemplare in ipſo intellectu, alterum coniunctionis, alterum ſeparationis; deinde interroga, an iſte intellectus ſit *id, quod eſt*, antequam ſit ſeparatus, an poſt? Reſpondet Stagirites, ſeparatus ſolùm *eſt hoc, quod eſt*. Nempe in ſtatu ſeparationis ſolũmodo hanc dignitatem adipiſcitur, vt *ſit hoc, quod eſt*, ſcilicet vt ſit per ſe exiſtens, & per ſe ſubſiſtens. χωρισθὶς eſt aoriſtus primus, præteriti temporis, & sẽſum facit, quando intellectus fuerit ſeparatus, vel poſt quam fuerit ſeparatus, tunc ſolummodo erit *hoc, quod eſt*. Si poſtquam eſt ſeparatus tantummodo, ergo non ante, dum erat coniunctus.

Nu.90 Percontor iam, de quo intelectu hæc dixerit? Sanè vel attendis conſtructionem ſecundum connexum ſermonis, vel ſecundum connexum rei. Si connexum ſermonis, quia in quatuor clauſulis immediatè precedentibus locutus eſt de intellectu facto actu: ergo de intellectu eodem ait *ſeparatus autem &c.* Sicut Vicomercatus, & Cottunius, & alii multi intelligunt. Atqui poſſibilis intellectus eſt, qui ex potentia intellectu fit actu intellectus, ergo iſta clauſula *ſeparatus autem ſolum* de intellectu poſſibili accipienda eſt, quia intellectus poſſibilis in ſtatu coniunctionis non erat per ſe ſubſiſtẽs, ſed per ſe pars: in ſtatu ſeparationis dũtaxat eſt per ſe ſubſiſtens. Si cõnexum rei quæras, cui attribuitur potentia, eidem attribuitur actus per regulã aſcriptam in 2. phyſ. 77. & de sõno c. 1. ſed potẽtia ad ſeparationẽ, ſiue ſeparabilitas tributa eſt intellectui poſſibili, 3. de anima 6. & intellectui poſſibili, atq; agenti, 3. de anima 19. quare vterq; intellectus erit ſeparatus: & vterque dicetur eſſe *hoc quod eſt* ſcilicet ens per ſe exiſtens: & hoc ſolùm per ſe exiſtẽs eſt immortale, & perpetuum. Dicitur autẽ *hoc quod eſt* non precisè ratione potentiæ, vel differentiæ: ſed ratione ſubſtantiæ, cui hæ differentiæ sũt vel actioni, vel paſſioni, prout antea in tex. 19. dicebamus. Meritò igitur multi hoc intelligunt dictum de ſubſtantia animæ intellectiuæ, vt eſt fundamẽtum potentiarum. Ita Thienẽſis, Piccolomineus, & alii.

Non poteſt autem ſolus intel- *Nu.91*

lectus agens accipi repugnante, & ſermonis, & rei textura. Multò minus Deus intelligi poteſt, tametſi ſolum Deum retrudant Alexandrei. Nam Deus ſemper eſt per ſe ſubſiſtens, ſemper eſt *hoc, quod eſt*: niſi enim Deus ſit ſimpliciter *hoc, quod eſt*, et per ſe ſubſiſtens ſemper, quis erit talis? An Alexander? Sed intellectus, de quo Ariſtoteles, ſolùm poſtquam fuerit ſeparatus, eſt per ſe ſubſiſtens, nõ ſemper; ergo intellectus, de quo Ariſtoteles, non eſt Deus.

Secundò, intellectus ab Ariſtotele poſitus non eſt *hoc, quod eſt* ante, ſed poſt ſeparationem. Sed apud Alexandrum Deus nunquam eſt ſeparatus, ſemper quippe eſt coniunctus cum hominibus actu exiſtentibus: quare eſt ſimpliciter coniunctus cũ hominibus, ſecundum quid ſeparatus ab hoc homine moriente, ergo Deus nunquam erit ſimpliciter ſeparatus, nunquã ſimpliciter *hoc quod eſt*, nunquã per ſe ſubſiſtens, quod eſt longè abſurdiſſimum.

Nu. 92 Quæ ratio euertit opinionem ponẽtium vnum intellectum in omnibus hominibus. Nam Ariſtoteles in hoc intellectu ſeparabili ponit ſtatum coniunctionis, in quo intellectus non eſt *hoc, quod eſt*. Non mirum, quia in 2. de anima 2. compoſitum eſt hoc aliquid, & *quod eſt*, atque in 8. met. 3. compoſitum eſt ſeparabile ſimpliciter; quod autẽ eſt per ſe pars, non eſt *hoc quod eſt*, ſed ſolũ erit, quando per ſeparationem ad actum reducetur: vnde forma quædam, quæ non eſt per ſe pars, vel actus ipſius corporis eſt ſeparabilis ſimpliciter. Ponit rurſus ſtatũ ſeparationis, in quo intellectus ſeparatus affirmatur eſſe *hoc, quod eſt*. Si ergo idem intellectus aliquando coniunctus, aliquando ſeparatus: aliquando non *hoc, quod eſt*, aliquando *hoc, quod eſt* reperitur; certè non eſt unus numero intellectus in omnibus hominibus, quia ille ſemper eſt coniunctus, & nunquam *hoc, quod eſt*.

Denique ſi Ariſtoteles de Deo loquatur, & comparet Deum ad omnia, dicatque ſolum Deũ eſſe immortalem & perpetuũ; falſò dicit, prout annotauit Philoponus: eo quòd intelligẽtiæ, & cælum, ſint immortales, & perpetuæ. Si verò loquatur de anima, & comparet animam intellectiuam ad alias, atque affirmet, ſolam animam, quæ eſt intellectus, eſſe perpetuam, verè affirmat.

Illud magno eſt argumento immortalitatis animæ intellectricis, quòd omnes Peripatetici ad vnum, Ariſtotelico textu coacti, ponunt in homine aliquid immortale, & perpetuum, (vltra materiam primã) quod immortale in nullo viuente alio ſub cælo ponunt. Cum autem hoc ſit certum, quàm quòd certiſſimum: cur, quæſo, nõ agnoſcimus in homine duas tantùm partes, materiam, & formam: corpus, & animam? Certè homo eſt compoſitũ phyſicum, quia ſol, & homo generant hominem 2. phyſ. 26. nẽpe duo phyſica agentia, vniuerſale N. 93.

ſale, & particulare. Nunquã Ariſtoteles diuiſit ſubſtantiam phyſicam, niſi in materiam, formam, & quod ex his. Nullam ſubſtantiam in compoſito phyſico agnoſcit, niſi materiã, & formam: nullam in compoſito metaphyſico, niſi potentiã, & actum; cur Deum, vel intelligentias fruſtra in homine includimus? In homine eſt aliqua ſubſtantia perpetua, & immortalis, quod nemo hactenus negare auſus eſt in ſchola Ariſtotelis, quod ſciam. Sed homo conſtat ex anima, & corpore tantùm, quorum corpus eſt corruptibile proculdubio, ergo aĩa hominis eſt perpetua, & immortalis; atque adeò quædam forma eſt ſeparabilis ſimpliciter, quædam non eſt: id quod cum Ariſtotele veſtigandum propoſuimus.

Opiniones Peripateticorum de Ariſtotelis ſententia proponuntur: & expenditur illa, quæ Ariſtotelem dubium aſtruit.
Cap. VI.

Nu. 94 GEneraliter de forma ſeparabili tractantes, neceſſitate compulſi ad eam formam deſcendimus, quæ eſt ſeparabilis: cæteras formas particulares, tanquam inſeparabiles deſeruimus. Argumenta contra formam ſeparabilem in communi cùm pauca, tùm friuola ſũt: quę tamen libro proximo capitibus 3. & 4. delecta manent. Itaque faciliùs fortaſſe videretur ſuſtinere, quòd omnis forma ſubſtantialis ſit perpetua, quàm quòd nulla. Argumenta ſpecialia contra rationalem animã plura ſunt; nam à duobus annorum millibus ferè tentarunt aliqui ex Peripateticis oſtendere, animam ratione prædităm deſinere eſſe: atque hanc eorum præiudicatam opinionem Ariſtoteli affingere.

Quapropter de Ariſtotelis ſententia tres vigent ſequacium opiniones. Prima quòd anima ſit immortalis, quæ Theophraſti, Eudemi, Simplicii, Themiſtii, & plurimorum Peripateticorum eſt, tanquam ſententia communior. Secunda, quòd mortalis. Tertia, quòd Ariſtoteles fuerit dubius. Hæc tertia duas habet vias reſpondendi ad authoritates Ariſtotelis affirmantes intellectum immortalẽ in homine. Prima eſt, Ariſtotelem habuiſſe diuerſa principia, quorum aliqua prouocabant ad animæ immortalitatem, quædam ad mortalitatem: quare Ariſtoteles dubitãter loquitur, & pro ratione principiorum, quæ pertractat, modò affirmat, modò negat immortalitatem. Si poſtules ab iſtis authoribus, vt oſtendãt aliquem locum, in quo Ariſtoteles animam intellectricem negauerit eſſe immortalẽ, aut ſeparabilem non: habent vllum locum. Sed quadã principia, vel communia, vel alienа producunt, ex quibus principiis per contortas conſequentias deducant concluſionem optatam. Si viciſſim producas loca, in quibus Ariſtoteles dixit, nihil prohibere, quin aliqua

pars animæ sit separabilis: nihil prohibere, quin post solutum compositum maneat aliqua forma, veluti anima, quæ est intellectus. Quibus in locis, ne leuissimum quidem est dubitationis vestigium. Tunc ad secundam respondendi viam confugiunt, atque aiunt Aristotelem quidem expressè affirmauisse, quòd anima esset immortalis: sed tamen non demonstrauisse. Quapropter dicunt Aristotelem fuisse ancipitem, quando certam demonstrationem non haberet. Hanc secundam viam, tanquam magis sinceram, atque vt loquitur Scotus huius opinionis author in 4. d. 43. q. 2. l. magis realem agnoscunt. In eadem sententia citatur Herueus, Caietanus, Fauentinus, & alii.

Nu. 95 Sed quia nulli auctori imponenda est sententia falsa, vel multum absurda, nisi habeatur expressè in dictis eius, vel sequatur euidenter ex dictis eius: per Scotum quol. 7. ad FF. Item ex dictis aliorum accipere debemus sensum, quoad possumus rationabiliorem, ex eod. Scoto in primo, d. 8. q. 5. C. D. Idcirco cum hæc opinio, quæ statuit animam rationalem in hominis obitu desinere esse, sit maximè absurda, non est Aristoteli imponenda; præsertim cum Aristetelis verba expressè oppositū sonent, vti Scotus, vel inuitus fatetur. Adde, quòd Aristoteles scripsit librum ad Eudemū, in quo multis rationibus asseuerauit animam rationalem esse immortalem. Periit is liber iniuria temporum, vt alii libri Aristotelici supra trecētos periere. Citatur tamen à Themistio in 3. de anima cap. 37.

Cæterùm Doctor subtilis, & si putauerit in 4. sen. d. 43. q. 2. Aristotelem esse dubitabūdū de animæ rationalis separabilitate, propterea quòd Aristoteles separabilitatem non demonstrauerit. Tamen in quolibet, videtur sententiam mutauisse. Cum enim possimus concludere separabilitatem à materia in essendo, vel per medium commune, & probabile: vel per medium proprium, & demonstratiuum. In quol. 21. Q. scribit *Quia certum fuit, Aristotelem secundum sua principia posuisse animam intellectiuam esse à Deo immediate: & ad hoc attingere potest ratio naturalis, cum sit immortalis.* Hæc Scotus. Quem locum explicat Gadius in quol. 21. & Fauentinus Theor. 68. de ratione naturali probabili, non demonstratiua. Fac ita esse, quamuis verba subtilis Doctoris maiorem quandam energiā habeant. Hoc certum sit nobis, quòd Aristoteles certò tenuit istam conclusionem, *Anima rationalis est à Deo immediatè*, propter istud principium, *anima rationalis est immortalis*. Si autem certitudo conclusionis pendet ex certitudine principii: sēper enim propter quod vnumquodque, & illud magis ex 1. poster. 15. Ergo Aristoteles fuit multò magis certus de ista propositione, *anima rationalis est immortalis*. Quare si certus fuit, aut Scotus dicens Aristotelem du-

dubiũ in 4.d.43. q. 2. ſibi cõtradicit: aut, quod verũ arbitror, in vltimo, & prẽſtantiſſimo ſuorum operum ſententiã mutauit.

Sed ſi hæc certitudo dicatur
Nu.96 eſſe per per medium commune, & probabile. Legatur Scotus quol.9. H. *Intelligere eſt operatio immaterialis, quia proximum receptiuum habet non includens materiam ſaltem corporalem: & ideò ſine tali materia poteſt ipſa operatio haberi. Nunc autem potens habere operationem ſine materia: poteſt habere eſſe ſine materia; ergo natura illa, cuius eſt iſta operatio propria, poteſt habere eſſe ſine materia. Ex hoc ergo medio ſcilicet operatione poteſt concludi ipſius naturæ talis immaterialitas, hoc eſt a materia in eſſẽdo ſeparabilitas, non autem illa immaterialitas vlterior, quæ eſt impoſſibilitas informandi materiam; & hoc eſt rationabile, quod ex intellectione, quæ eſt medium commune animæ, et angelo, poſſit concludi immaterialitas cõmunis vtriq;.* In quibus verbis *operatio immaterialis* eſt medium adęquatum *ſeparabilitati in eſſendo à materia.* Medium adęquatũ eſt proprium, ergo eſt medium demonſtratiuũ, non dialecticũ. Sed quid Scotus ſenſerit in præſentia negligamus.

De Ariſtotelis opinione quęrimus, quem certum de animæ rationalis immortalitate fuiſſe dicimus. Nam ſi pertractans principia pro immortalitate, ac ſeparabilitate, animam ſeparabilem eſſe aſſeruit expreſſè: quare itidem pertractans principia, quæ dicuntur eſſe pro mortalitate non ſimiliter aſſeruit mortalem? Hoc dicunt aduerſarii factum fuiſſe ab Ariſtotele, ſed factum non oſtendunt. Quod Ariſtoteles expreſſè aſſeruit, illud eſt ab ipſo Ariſtotele creditum: at ex aduerſariorum confeſſione non expreſſit mortalitatem, expreſſit immortalitatẽ: ergo immortalitatem certò tenuit. Non debemus autem aperta Ariſtotelis verba deſerere propter occultas quaſdam conſequentias. Nullus etenim eſt locus in Ariſtotele, quem ſagax Peripateticus ex alio aliquo loco non impugnet. Ergo ſecundum hanc regulam aduerſariorum dicemus, nihil fuiſſe ab Ariſtotele creditum certò. Nobis hæc lex ſit ſtabilis. Quod Ariſtoteles expreſſè ſcripſit, hoc eſt reſolutè in Lyceo ſuſtinendum, niſi grauis cauſa diſſimulationis adducatur. Quãdo autem aliunde dicta opponuntur, illa declaranda ſunt, & conſequentiæ ſunt reſoluendæ, ne Ariſtoteles ſibi contrarius videatur.

Sed præſtat poſtulare, quænam ſint principia tantum Philoſophum in dubitationem ſuſpẽdẽtia? Reſpõdet Scotus duo.
Nu.97

Primum eſt in 7. met. cap. vlt. vbi vult, quòd omnes partes, quæ poſſunt manere ſeparatæ à toto, ſunt elementa, ideſt, partes materiales; & præter tales neceſſe eſt ponere in toto aliquã formam, qua totum eſt illud, quod eſt; quę non poteſt manere ſeparata à parte materiali, toto non manente.

Occurro, quoniam hoc principium eſt commune: ſi autem

ex

ex principiis communibus in errorem adducamur non eſt mirum. Sic namque Bryſo erravit, ex primo poſt. 67.

Amplius in tex. non adeſt ſignum vniuerſale *omnes* partes; ideò Fauentinus Theor. 68. cap. vlt. ac Gianninius lib. cit. cap. 31. in fine, & ſi concedant elementa manere poſt compoſiti diſſolutionem; negant tamen, quòd omnes partes manentes ſint elementa. Ad hæc in textu non adeſt illa particula de forma, *quæ non poſſet manere, ſeparata parte materiali, toto non manente*. In qua tamen particula vis argumenti reſidet.

Itaque Ariſtoteles in 7. met. cap. vlt. diſputat contra negantes formam ſubſtantialem dari, & eſſe quid à materia diuerſum. Ariſtoteles probat dari dicens, diſſoluto igne, manere elementa: diſſoluta ſyllaba, manere elementa: ignem, & ſyllabam non manere. Ergo oportet in compoſito concedere aliquid diuerſum ab elementis, quod eſt forma. An autem, conceſſo, quòd forma detur, forma ipſa poſt compoſitum ſit ſuperſtes, nec ne, Ariſtoteles nihil. Suppoſito enim cum aduerſariis, quòd forma non detur, probè ſequitur, diſſoluto toto, ſolùm elementa manere. At verò poſtquam illud ſuppoſitum falſum eſt reiectum, & formam dari eſt probatum: quid ſit de forma poſt compoſiti ruinam affirmãdum, alio loco agitur, nempè in 12. met. 16. & 17. Quare illud dictum, quod obiicitur, eſt ab Ariſtotele dictum ex ſuppoſitione aduerſariorum, non abſolutè ex proprio capite.

Secundum principium dubitandi eſt iſtud; quòd incipit eſſe, deſinit eſſe, vnde in primo de cælo contra Platonem videtur habere pro impoſſibili, quòd aliquid incæperit, & ſit perpetuum, & incorruptibile. Et 3. phyſ. cap. de infinito. Cuius eſt principium, huius eſt finis. Sed anima rationalis incipit eſſe, & principium habet. *Nu. 98*

Occurro, quia hoc principiũ eſt alienum, & commune. Alienum, eſt enim de corporibus, & his vel contrariis, vel quę coaleſcãt ex contrariis. At anima rationalis non eſt corpus, & eſt exempta à contrariis alteratiuis in 2. de gener. 45. in 3. de anima 6. Principium alienum non eſt applicandum ad aliud ſubiectum: quia demonſtratio de numeris non poteſt aptari magnitudini ex primo poſter. 58. Principium cõmune debet contrahi, & cũ exceptione reſtringi iuxta exigentiam principii proprii. Sic natura eſt principium motus, & quietis naturalis: ſed in lapide excipitur, ne ſit principium augumenti, vel aſcenſus.

Inſuper illud ex 3. phyſ. 30. Sic habet de infinito. *Principium, ipſum ponunt omnes. Neq; enim fruſtra poſſibile ipſum eſſe, neque aliam ipſi ineſſe potentiam, niſi vt principium. Omnia enim aut principium ſunt, aut ex principio. Infiniti autem non eſt principium, eſſet enim ipſius vtique finis.* Textus eſt de principio cauſali, vel de principio rei: argumen- *Nu. 99*

mentum aſſumit de principio durationis, non ſine æquiuocatione. Anima rationalis quidē habet principium vnde eſt, ex 2. de gen. animalium cap. 3. Habet terminum, ſeu finem pulcherrimum ex lib. 7. Eud. cap. vlt. ſed non habet finem durationis. An habeat principium durationis, ad duo poſtrema argumenta dicam.

Fauentinus in Theor. 68. cap. 1. contra primam reſponſionem inſurgit aduerſus Iauellum dicentem, illud Ariſtotelis dictum ab Ariſtotele in 1. de cælo, eſſe dictum de genito per phyſicam generationem, vel ex contrario: nam tale ſi incipit eſſe, ſecundū Ariſtotelem eſt deſiturum. Refragatur Fauentinus, quia per tex. 125. primi de cælo Ariſtoteles declarat, ſe intelligere per ingenitū illud, quod nunc eſt, & prius non erat verum dicere, non eſt; per incorruptibile id, quod nunc eſt, de quo poſterius nō erit verū dicere *non eſt*. Præterea oſtendit, quòd hæc duo ingenerabile, & incorruptibile ſe mutuò conſequuntur: ſicut etiam in tex. ſequenti probat, quòd conuertuntur hęc duo generabile, & corruptibile. Igitur Ariſtoteles loquitur de illo, quod habet eſſe poſt non eſſe, qualis eſt anima. Quare loquitur de generabili, & corruptibili communiter, non ſub hac contractione, per generationem phyſicam, vel cum contrario.

Reſpondetur Ariſtotelem in tex. vlt. primi de cælo dicere. *Et naturaliter autem, & non vniuerſaliter conſiderantibus, impoſſibile eſt, aut quod ſempiternū erat prius, corrumpi poſterius: aut quod prius non erat, poſterius ſempiternum eſſe. Corruptibilia enim omnia, et generabilia, & alterabilia ſunt: alterantur autē contrariis.* Eadem concluſio, quæ ſuperius à tex. 122. eſt propoſita, in tex. vlt. eſt ab Ariſtotele declarata, & contracta ad genita naturaliter, & ad genita ex contrariis; ſi ergo nos illas propoſitiones contrahamus hoc pacto, cum Ariſtotele facimus. Ratio illa in textibus 122. & 123. tantis erroribus ſcatet, vt ab Ariſtotele non ſit ſcripta, niſi de induſtria, vt auram popularem captaret, dum immortalem vitam Deis, puta mundo, cælo, Soli, Lunę, aſtris tribueret Hoc aliâs tractatum, nihil attinet repetere. Gloſa ſuperius data comprobatur etiam ex diſputatione Ariſtotelis, quæ inita eſt aduerſus dicentes, ca lū, vel vnum elementum eſſe, vel ex elemētis. Aduerſus tales diſputat, in quorū ſēſu clariſſima eſt veritas naturalis, quod incipit eſſe, deſinit eſſe. Neque neceſſe eſt vlterius extendere propoſitiones Ariſtotelis extra propoſitum.

Num. 100.

Sed præter argumenta Scotica, Fauentinus nonnulla excerpſit ab Alexandreis pro Scoto. Primum, quod affirmat eſſe efficaciſſimum, tale eſt. Forma eſt quod quid eſt rei, atque eſſentia rei compoſitæ; ergo implicat contradictionem, quòd illamet forma ſit ſeparabilis ab illa eſſentia, ita quod deſtruatur eſ-

essentia illius compositi, & forma illa maneat.

Respondetur, hoc argumentum esse inefficacissimum, nam consequentia, & nulla est, & nulla ratione probatur. Praeterea quiditas vel est totalis, vt tertia entitas, vel est partialis principalis vt forma, vel partialis secundaria, vt materia: nã & ipsa est pars quiditatis, authore *Scoto* in 3. d. 22. Quiditas totalis non potest esse sine illo, cuius est quiditas: sed anima nõ est quiditas totalis, nec tertia entitas hominis, sed pars tertiæ entitatis. Partes quiditatis simul sumptę non possunt esse sine composito, & in hoc sensu etiam est verum antecedens. At partes quiditatis seiunctim sũptæ, possunt esse sine essentia cõpositi. Hoc est apertissimum de materia, quæ ingenerabilis, & incorruptibilis permanet genito, & corrupto composito; hoc etiam veriùs esse debet in forma, saltem aliqua, quia forma est magis separabilis, quã materia 7. met. 8. Vnde in argumẽto, & est æquiuocatio de ipso quid rei, & est petitio principii de forma, quòd non possit esse sine composito.

Secundò respondetur formã esse duplicem, vna est, cuius omnes partes sũt inseparabiles. De hac forma verum est ipsam esse inseparabilem, & à materia, & à composito. Altera, cuius vna pars, vel plures sunt separabiles, propterea quod nullius corporis sunt actus 2. de anima 11. De qua forma falsum est, ipsam non posse superesse, composito abolito, cum per 12. met. 17. nihil hanc prohibeat posterius permanere. Talis est intellectiua anima, cuius intellectus speculatiuus per 2. de aĩa 21. separabilis apparet, sicut perpetuum à corruptibili, quia scilicet nullam partem corporis continet in esendo ex primo de anima 92. nullum organum habet in agendo 3. de anima 6. De forma prioris cõditionis detur consequentia, quamuis non probetur ab aduersario: de formis posterioris conditionis omnino negatur. *Num.* 101.

Quartò, Fauentinus ex primo de anima 12. arguit, quia intellectus non intelligit sine phantasia, ergo anima esset otiosa si separaretur.

Respondeo, si sequaris expositionem communem textus 12. Aristoteles in illo textu nihil asserit, sed solùm dubitat ad ostentandam difficultatem. Ideò conditionatè per *si*: disiunctiuè, per *aut*: suspensè, per coniunctiuum, siuè optatiuum Græcum loquitur, *esset*, *contingeret*. Quia conditionatè, ideò nihil affirmat: quia disiunctiuè, ideò partim verum, partim falsum dicit; nam hypothetica disiunctiua vera est ex altera parte vera, & ex altera falsa, vt summulistæ docent. In hac propositione Aristotelis, si intelligere est imaginatio, aut non sine imaginatione, non contingeret ipsum separari à corpore: prima pars est vera, scilicet illa, si intelligere est imaginatio, non contingeret separari: secunda, pars est falsa, nempe hæc, si intel-

intelligere non eſt ſine imaginatione, non contingeret ſeparari; ideò Fauentinus ex falſo argumentatur, vel ex dubio. Si autẽ ſequaris expoſitionẽ datã ſuperius ex Ant. Tubeta; Ariſtoteles totũ oppoſitum dicit illius, quod Fauentinus prætendit. Arguit Philoſop. quippe ad impoſſibile hoc pacto. Si intelligere non eſt ſine imaginatione, ergo non contingeret ſeparari: conſequens eſt falſum, ergo, & antecedens. Quo circa ex vtraque expoſitione nihil cõcluditur pro Fauentino, ſed potius oppoſitum, dari ſcilicet nõ ſolùm modum intelligendi cũ phantaſmate, qui competit animæ in ſtatu coniunctionis cum materia: verùm etiam modum intelligendi ſine phantaſmate, qui conuenit animæ in ſtatu ſeparationis, quo modo intellectus intelligit ſe ipſum ex 3. de anima 15. vt infra dicam.

Quintò, Fauentinus inſurgit. Ariſt. in 3. de anima 20. loquitur de intellectu hominum particularium, non de intellectu vniuerſali dicens, quòd intellectus poſt mortem non reminiſcitur; ergo eſt otioſum ipſum ponere.

Reſpondetur, textum attentè non legi: Ariſtoteles quippe de nobis ait, *non reminiſcimur*, non de intellectu ſeparato. Loquitur de obiectis ſpectantibus ad reminiſcentiam, non de omnibus intelligibilibns. Loquitur de actu reminiſcendi, & memorandi, qui ex primo de anima 66. & ex lib. de mem. & reminiſcent. cap. 3. & 4. eſt totius coniuncti, vt coniuncti, non eſt ipſius intellectus, vt intellectus. Præterea, ſi poſt mortem intellectus hominis non reminiſcitur, præſupponitur vtique intellectus permanere poſt mortem, ſed non fungi opere reminiſcentiæ; quare Fauentinus ex hoc loco concludit oppoſitum propoſiti. Sed hanc opinionẽ mediam deſeramus, quæ nobis Ariſtotelem facit, vel tanquam cæcum ſine ratione palpantem, vel tanquam arundinem contrariarum rationũ turbinibus nutantem. Ad alias conuertamur.

Secunda ſententia, cuius argumenta ſoluuntur. Cap. VII.

Num. 102.

SEcunda Peripateticorum ſecta cum Ariſtotele arbitratur, & animam intellectiuam, & humanum intellectum deſinere eſſe in hominis obitu. Quia verò Ariſtoteles expreſſè nimiũ in homine aliquid ſeparabile, & immortale conſtituit; hi fingunt, vel primam intelligentiam, quæ Deus eſt, vel ſecundam aliquam vnam eſſe in omnibus hominibus iunctam, & eam immortalem. Argumenta, quibus Ariſtoteli opinionem hanc aſcribunt, plurima collegit Fortunius Licetus accuratè in lib. 1. de animi immortalitate. Ego aliqua referam ex Giannino, quæ ille Alexandro aſſentatus, molliter ſoluit.

Gianni. cap. 1.

Primũ, Ariſtoteles in 2. de anima 15. ſcribit, vim alendi ſeparari à cæteris animæ facultatibus: alias ab ea non ſeparari

in mortalibus. Ergo intellectus in mortalibus non est separabilis.

Respondetur, aliud est esse, aliud inesse. Intellectiuum nõ potest inesse in mortalibus sine vegetatiuo, & sensitiuo: absolutè potest esse sine illis: ob id Philosophus scripsit intellectũ non separari in mortalibus à vegetali, & sensuali; mortuo autem mortali, separatur simpliciter. In 2. de anima 32. Aristoteles intellectiuum, seu cogitatiuum dixit non esse in rebus corruptibilibus sine vegetante, & sentiente. At exemit speculatiuum intellectum subdens; *de speculatiuo autem intellectu alius sermo est*. Argumentum nihilominus, vt proponitur est sophisma à secundum quid ad simpliciter: non separatur à vegetanti *in mortali*, ergo non separatur à vegetanti.

Num. 103. Secundum Gianninii, ex 2. de anima 22. Sentiendi, & opinãdi facultates, non substantia, sed ratione differunt inter se. Vis autem sentiendi non manet, cõposito dissoluto, ergo nec vis opinandi.

Respondetur, citatio est falsa, nec enim in tex. Aristotelis est illa negatiua, *sentiendi, & opinandi facultates non differunt substantia*. Duas separationes reales Platonicas agnosco, vnã generalem in omnibus naturalibus, qua separatur forma naturalis vt idea à singularibus realiter. Huic opponit Aristoteles separari formas à singularibus ratione. Alteram specialem in animalibus, qua in separato loco corporis fiat, vt pars animæ realiter distincta ab altera parte, irascibilis in corde, concupiscibilis in epate, intelligibilis in cerebro. Huic Aristoteles in textu 22. citato separabilitatẽ rationis opponit, quæ est inter opinatiuum, & sensitiuum in animali: quare separatio rationis hic opponitur separationi locali. Audi Aristotelẽ in textu. 19. secundi proponentem. *Vtrum sic, vt sit separabilis ratione solum, an et loco?* De ista separabilitate rationis resolvit in tex. 22. *Reliquæ autem partes animæ manifestum ex his, quod separabiles non sunt, sicut quidam dicunt* (Platonici nimirum) *ratione autem, quod alia manifestum*. Quod probat, quoniam sensitiuum, & opinatiuũ ratione distinguuntur, non loco. Excludit ergo separationẽ localem vnius partis animæ ab alia parte in eodem animali, nõ excludit separabilitatem formę à materia. vt Gianninius volebat. Aequiuocatio igitur est in argumento. Præterquam quod Aristoteles excipit ab hac dubitatione in tex. 21. potentiã speculatiuam, quæ separabilis est, sicut perpetuum à corruptibili. Excepta igitur speculatiua potentia, reliquæ animæ partes nõ separantur loco, sed ratione, Vnde in argumento hæc exceptio vafrè tacetur. Ad hæc, vis opinandi, sicut & cogitandi ex primo de anima 66. sunt totius compositi humani: vis intelligendi, & speculandi non sunt ipsius compositi, sed ipsius intellectus. Aliæ igitur sunt, ac di-

diuerſæ, vis cogitandi, & opinandi à vi intelligendi, & ſpeculandi, quæ vis eſt primò ſeparabilis.

Num. 104. Tertium Gianninij ex 2. de anima ad finem. *Animalia multa operantur ſecundum imaginationes, alia quia non habent intellectum, vt beſtiæ: alia quia obruitur intellectus aliquando paſſione, aut agritudine, aut ſomno, vt homines.* Si ergo intellectus eſt particeps morbi, eſt etiam particeps mortis.

Reſp. Ariſtoteles in primo de anima 65. & 66. ex paſſione corporis nec in ſenſu quidem concludi corruptionem, tantũ abeſt, vt concludatur in intellectu. Senſus non patitur ratione ſui, ſed ratione ſubiecti in quo. Intellectus neutro modo patitur in ſe: operatio duntaxat impeditur ex corruptione alterius rei: à qua corruptione intellectus eſt impaſſibilis.

Quartum Gianninii ex 3. de anima 20. mens effectrix, quæ non eſt pars animæ noſtræ, ſola eſſe immortalis aſſeritur, & nos non reminiſci, quoniam mens patibilis caduca eſt. Ergo Ariſtoteles non approbat animæ ſtatum poſt mortem.

Reſpondetur primo, falsò citari; textus enim non dicit *mẽtem effectricem non eſſe partem animi noſtri.* Secundò nego dictum eſſe de mente effectrice, *Hoc ſolum immortale eſt*; nam vel iuxta conſtructionem vocalem, hoc dictum eſt de intellectu in actu, vel iuxta realem cõnexum, de intellectu poſſibili, & & facientc, vt ſupra diſſerui ſub num. 90. Intellectus verò paſſiuus, ſeu patheticus, qui corruptibilis dicitur, eſt facultas imaginatrix, quæ in 2. de anima 155. intellectus nuncupatur, quando intelligere dicitur eſſe exiſtimatio, & imaginatio. Sic in 3. de anima 48. in 3. phyſ. ca. vlt. & ſæpius imaginatio intellectus dicta eſt. Scitè quoque Themiſtius poſt Theophraſtũ, præter intellectum facientem, & poſſibilem ſtatuit tertium intellectum patheticum: lege Themiſtium 3. de anima cap. 35. & 39. Talis intellectus eſt ille, cui tribuitur in primo de anima 66. ipſum cogitare, meminiſſe, amare, odiſſe: ſicut & in 3. de anima 20. ipſum reminiſci. Et hic intellectus eſt totius coniuncti, ſeu compoſiti; quo corrupto, intellectus ſpeculatiuus in hominem non intelligit. Ad ſummam, textus ait, nos non reminiſci, non autem ait, intellectum non reminiſci; quare non loquitur Ariſtoteles de intellectu ſeparato in concluſione, nec enim nos ſumus intellectus ſeparatus. Themiſtius nititur oſtendere nos eſſe quodammodo intellectum ſeparatum, ſed hoc nec approbamus, nec reprobamus in hac diſputatione.

Quintum, in 2. de gener. animalium cap. 1. ſentit Philoſophus marẽ, & fœminam eſſe propter generationem: à fœmina corpus, à maſculo animam præberi. In eodem lib. 2. cap. 2. *Corpus*, inquit, *genituræ, in quo ſemen animalis principii contentum vna prouenit, partim ſepara-* *Num.* 105.

bile à corpore, in quibus diuina pars comprehenditur, qualis est, qua mens appellatur. Igitur in maris, & feminis virtute continetur anima intellectiua.

Rursus anima intellectiua in conceptu prius est potentia, quã actu, Verùm cum nono met. 17. quæ habent se ita, vt potentia in ipsis præcedat actum, hæc sũt caduca, ergo & anima intellectiua.

Respondetur ad primam partem argumenti, aliter in masculum, & semen eius esse vegetalem, ac sensualem, quæ intrinsecus ex virtute actiua maris, & feminis oriuntur: aliter intellectiuam, quæ extrinsecus accedit à virtute effectrice primi effectiui. Duæ priores animæ de mare, & semine sunt, quo ad dispositionem, & quo ad formam: posterior in semine est quo ad dispositionem præuiam, non quo ad formam; nam solus intellectus extrinsecus accedit. Sed authoritas contra nos allata, pro nobis est; quia in corpore genituræ coniunctum ponit semen ipsius principii animarii: cuius principii animarii alterum est separabile, & diuinum, quæ est pars animæ, mẽs appellata. Anima est principiũ animalium ex primo de anima tex. 2. Deus non est principium animalium, internum scilicet, ergo Deus non est anima illa, quæ est principium animale, & separabile. Illa mens, quæ est principium animale, est pars diuina; Deus nullius est pars; ergo anima, cuius pars est intellectus, dicitur separabilis, diuina, & extrinsecus aduenies, vt à principio vnde est; Deus verò, qui equid Alexandrei fingant, non habet principium effectiuum, vnde sit, vel accedat. Non ergo de Deo, sed de anima illic Philosophus disceptat, prout antea indicaui ad num. 49. & consequentes.

Ad aliam partem fortè illa propositio Gianninii non est in 9. met. 17. Detur tamen, quia in corpore anima prius inest potentiâ, quàm actu, ergo quantum ad inesse finem habet, non quantum ad esse. Profectò de ipso esse animæ intellectiuis nõ agitur in citato loco 2. de gen. animalium: nec enim ipsum esse animæ est de potentia actiua masculi, aut feminis, nec de potentia passiua menstrui, sed ab agente extrinseco est.

Soxũ in 2. de genet. animalium cap. 3. *Omnis*, inquit, *animæ, siue virtus, siue potentia corpus aliud participare videtur; idque magis diuinum, quam ea quæ elementa appellantur*, igitur & virtus intelligens corpus participat. *Num.* 106.

Respondetur, in latino signum distributiuum *omnis* esse casus nominatiui, & genitiui: potestque construi cum nominatiuo *virtus*, vti construit Giãninius dicens; omnis virtus animæ corpus participat: intellectus animasticus est virtus animæ, igitur intellectus animasticus corpus participat; proinde non erit separabilis. In Græco πάσης *omnis*, est genitiui casus: quare potest construi duntaxat cũ genitiuo *animæ*, non cum nomi- *Gian. cap. 32 car. 165.*

minatiuo virtus. Itaque fine amphibologia transferto. *Cuiuslibet quidem igitur anima potentia aliud corpus videtur participare, & diuinius vocatis elemẽtis.* Ergo ſenſus Ariſtotelis eſt, quòd omnis anima corpus participat, id quod aſſerimus: nã, & anima intellectiua eſt forma informans corpus humanum; ſed non omnis virtus animæ eſt actus corporis ex 2. de anima 11. & primo de partibus cap. 1. qualis eſt vis intelligendi, & ſpeculandi. Studioſi erit interea perquirere, num Ariſtoteles in authoritate obiecta loquatur de anima geniti, & corpore informato ab ea, quod minus verum arbitror: an de corpore ſpirituoſo, & calore ſpiritali exiſtente in genitura, quo ſpiritu anima maſculi vtitur ad generandam prolem. Omnis ergo anima genitoris habet corpus diuinius, ideſt, ſpiritum corporeum, quod eſt præſtantius elementis. Hic ſpiritus genialis proportione reſpondens elemento ſtellarum, facit, vt fæcunda ſint ſemina: hic ſpiritus eſt ſemen principii animalis, hic iunctus eſt cum corpulentia ſeminis, hic generat prolem, hic poſt generationem reſolutus in ſpiritum euaneſcit. Porrò principium animale, alterum eſt ſeparabile à corpore, nempe pars diuina, quæ eſt intellectus: alterum inſeparabile, nempe pars vegetalis, & ſenſualis. Hic ſenſus verior videtur: ex quo nihil habent Aduerſarii contra nos, nos habemus contra ipſos, partem intellectiuam eſſe ſeparabilem & nõ eſſe participem corporis.

Septimum Gianninii ſolutũ eſt inter Scoti argumenta cap. præcedenti.

Octauò, Gianninius in cap. 32. lib. de ſtatu mentis humanæ poſt obitum, alia continet argumenta contra immortalitatem humanæ animę, iſta ſcilicet. In 2. de anima 31. Intellectiuum in ſe coercet poteſtate reliquas omnes animæ partes; & in quibus mortalium ineſt ratio, in his ſunt vegetatiuum, & ſenſitiuum. Ergo intellectiuum inter mortalia numeratur. *Num* 107.

Reſpondetur. Ariſtoteles vtique dicit intellectiuum eſſe in animantibus mortalibus cum vegetatiuo, & ſenſitiuo, & nõ ſine his: ſed non dicit eſſe mortalem, vt infert Gianninius; dictum ergo Ariſtotelis verum eſt de intellectiuo, quantum ad eſſe in corpore, non quantum ad eſſe ſimpliciter. An autem vegetatiuum, & ſenſitiuum, quę continẽtur poteſtate in ipſo intellectiuo, dum eſt in corpore, ſeparentur, non per ſe, & ratione ſui, ſed per aliud, & ratione intellectus, in hominis defunctione, nõ eſt modò diſputãdũ. Sanè & affirmãs, & negans particula contradictionis à fortiſſimis Peripateticorũ defenditur.

Nonum, in 3. de anima 61. ſenſus corpori æterno nullũ cõmodum affert: ſed intellectus humanus nunquam à ſenſu diſſociatur, ergo nullum vſum intellectui præbet. Igitur ſenſus nullum corpus habet, & fruſtra erit in æternum, ergo, & intel-

le-

lectus interit cum sensu.

Respondetur, sensus corpori æterno est inutilis, sed intellectui humano in corpore temporario degenti, est utilis. An separatum vis sentiens, nobis non est curæ. Si tamen affirmare placeat, dicam; quod per se se abiũgitur à corpore, per se se debet operari, quando est abiunctum, ne frustra sit perpetuò seiunctum. Quod separatur per aliud, satis est si functum sit suo munere in corpore: sed extra corpus satis est, si dicatur operari ratione illius, ratione cuius separatur. Accessoria. n. plerũq; sequũtur naturã principalis.

Decimum, in lib. de longit. & breuit. vitæ cap. 2. apud me; Aristoteles de anima inquit. *Si enim non est natura, sed quemadmodum scientia in anima, sic & anima in corpore: erit vtique ipsius & alia corruptio, præter corruptionem, qua corrumpitur, corrupto corpore.* Hæc perspicuè significant animam corrumpi corrupto corpore. Gianninius concedit hæc dici, sed de anima sensitiua, qua animal est. *Num. 108.*

Respondetur textus affertur mutilatus, & in sensu contrario sensui Aristotelico. Aristoteles in accidente duas corruptiones agnoscit, alterã propriã, & per se, in qua corrumpitur accidens absque corruptione subiecti; quẽadmodum scientia deletur per obliuionem, homine incolumi; alteram alienam, & per accidens, qua corrupto subiecto, corrumpitur accidens: vt corrupto animali, corrumpitur sanitas, & scientia, quæ in eo sunt. Tunc Aristoteles à forma accidentali argumentatur ad formam naturalem, quæ est anima per syllogismum ad impossibile, dicens. *Quapropter, & de anima ratiocinabitur quis vtique ex his.* Ponit autem primò conditionalem cum suppositione aduersarii tanquam antecedente, deinde colligit consequens, ita. *Si enim est non natura, sed quemadmodum scientia in anima, sic anima in corpore, erit vtique ipsius, & alia corruptio, præter corruptionem, qua corrumpitur corrupto corpore.* Accipe antecedens, si anima est in corpore tanquam accidens, non tanquam substantia, & natura. Accipe consequens erit vtique duplex animæ corruptio, vna per accidens, qua corrumpitur corrupto corpore, altera per se, qua corrũpitur nõ corrupto corpore. Mox Arist. destruit consequẽs tanquã falsum. *Quare quoniam non videtur esse talis;* Denique destruit antecedens, *aliter vtique habebit ad corporis cõmunionem.* Aristoteles, vt constat, destruit totum consequens: Gianninius iniustè affert illud consequens, tanquam assertum ab Aristotele. Præterea Philosophus loquitur de illa anima, in qua est scientia: at hæc est anima intellectiua, quia per sensũ non est scire; malè ergo Gianninius de sensitiua exposuit, vt occultè victoriã Alexandro concedat. Itaque Philosophus sic arguit breuiter. Si anima esset forma accidentalis, & non esset natura corporis, ergo haberet duas illas corruptiones acciden-

dentis: at non habet, ergo eſt natura, & forma ſubſtantialis. Quo Ariſtotelis textu confutantur, qui aſſerunt animam rationalem non eſſe formam informantem, nec verè naturam corporis humani.

Num. 109. Verùm huic expoſitioni obſtat Græcus textus, licet enim in Latino vox *natura ſit* nominatiui, & ablatiui caſus: ac illam phraſim, *ſi anima eſt non natura* in nominatiuo acceperint Marcus Epheſius, Iulius Caſtellanius, Fortunius Licetus lib. 1. de immortalitate animorum cap. 27, & nos itidem in expoſitione data. In Græco tamen non eſt caſus nominatiuus, ſed datiuus. Habeo duas editiones Ariſtotelis Græco latinas, alteram. Lugduni excuſam anno 1590. apud Guilelmum Lamerium: alteram Aureliæ Allobrogum 1606. apud Petrum de la Roviere. In vtraque editione eſt datiuus. φύσει, qui datiuus in latinum ablatiuum duntaxat eo loci verti poteſt. At Vatablus ita vertit. *Nam ſi anima haud quaquam naturâ ſubſiſtat, ſed vt ſcientia in anima, ſic & anima in corpore ſit: erit nimirum ipſius quædam etiam alia corruptio, præter eam, qua cum corpus interit, corrumpi ſolet quare cum nulla talis eſſe videatur, alio ſanè pacto cum corpore init ſocietatem.* Ergo ad ſenſum, & verba Philoſophi alia expoſitio veſtiganda eſt. Agitur in illo capite de corruptibilibus, & corruptibile duplex affertur. Vnum eſt naturâ conſtans, quale eſt compoſitum, vt elementum, vel mixtum ex elementis, Reliquũ eſt forma, quæ definit eſſe. Primum corruptibile non habet duas corruptibilitates, vnam propriam, qua per ſe corrumpatur, incolumi ſuſceptiuo, alteram alienam, qua per accidẽs corrumpatur ad corruptionem ſuſciprimi: nulla enim ſubſtãtia eſt in ſubiecto Secũdum corruptibile, & per ſe, propria corruptione corrumpi poteſt, incolumi ſuſceptiuo, & per accidens aliena corruptione, ad corruptionem aliorum, nempe ſuſceptiuorum, vel alicuius alterius, quod modo quærere nõ eſt opus. Ita ſcientia corrumpitur, ita ſanitas: ſcientia per deceptionem, ſanitas per tumorem, ſaluatis ſuſceptiuis, quæ corruptio per ſe eſt. Corrumpuntur item corrupto animali, & ſanitas, & ſcientia, quæ eſt in animali, tãquam in ſuſceptiuo remoto, nã proprie ſcientia eſt in anima, ſanitas in corpore. Sed quia hinc ſequitur ſuſpicio, ne & anima ipſa vel tanquam forma corrũpatur, vel tanquam ſubiectum formæ, puta ſcientiæ: occurrit, quapropter, & de anima ratiocinabitur quis vtique ex his: nimirum ex dictis de duplici corruptibili. Si enim eſt non naturâ, ſed quemadmodum ſcientia in anima, ſic & anima in corpore. Hoc eſt ſi anima non eſt conſtans naturâ, ſicuti compoſitum, profectò non erit corruptibile primi generis: ſed ſi corrumpatur, erit ſecundi generis, tanquam forma. Quòd ſi eſt, ſicut ſcientia in anima, ſic anima in corpore, tanquam forma corrupti-

ruptibilis. (Dixi tanquã forma corruptibilis, quia similitudo, vt est ad propositum ex dictis, stat in ratione corruptibilitatis) si ergo anima, vt forma corruptibilis sit in corpore, esset illius duplex corruptio, nempe præter eam, qua corrumpitur per accidens, corrupto corpore; alia esset corruptio per se, & propria, qua corrumpitur, superstite corpore. Ita arguit ad impossibile, & in textu Græco, in optatiuo legitur *esset*, non prout transferunt, *erit*; quia verò anima non est talis, scilicet non est corruptibilis vtroque modo, & propria, & aliena corruptione, in qua parte destruitur consequens impossibile: fit vt anima non se habeat sic, sed aliter ad corporis communionem, nimirum non sicut forma corruptibilis, sed incorruptibilis.

Sit argumentum tale. Si anima illa capax scientiæ, de qua ista sermo est, est corruptibilis, aut corrumpetur vt compositũ, aut vt forma. Non primomodo, quia anima non cõstat naturis. Non secundomodo, quia non habet duas corruptibilitates, ergo nullomodo. Oportet autẽ in destructione cõsequentis destruere ambas corruptiones, & corruptionem per se, & corruptionem per accidens, quod est proprium animæ rationalis: nã si destruas solam corruptionem propriam, argumentum erit commune ad omnes animas, nulla enim habet corruptionem propriam, incolumi susceptiuo. Neque expositio de forma accidentali tantùm quadrat, ac si dicas. Si anima non est compositum naturis constans, sed forma accidentalis, sicut scientia: tunc anima præter corruptionẽ per accidens, haberet etiam corruptionem per se; tùm quia argumẽtum esset de omni anima, cum Aristoteles illam solam, in qua scientia est, contempletur: tùm quia non erit ad propositũ capitis tractantis *de corruptibili vtroque, & composito, & forma*.

Si quis tamen contendat de omni anima probari, sic, si anima nõ est naturâ consistens, sed sicut forma accidentalis, ergo animæ esset corruptio duplex, vna aliena, qua corrumpitur, corrupto corpore, altera propria præter illam alienam. At anima non est talis, ideò, non est corruptibilis corruptione propria, vltra alienam, ergo non est forma accidentalis, sed substantialis. Si quis, inquam, contendat sic accipi, fruatur opinione sua, modò illos duos modos corruptionis illatos in consequente syllogismi ad impossibile, non dicat assertos ab Aristotele. Etenim consequens impossibile destruitur, non asseritur. Quo dato, poterit quis distinguere omnes formas in tres partes, quarum prima corrumpitur tantùm corruptione propria, & per se, susceptiuo manente semper incorrupto, qualis forma est illa, quæ solum materiam primam informat, nam materia prima est incorruptibilis ex primo phys. 82. Secunda pars formarum corrumpetur tantùm ad corruptionẽ aliorum, non corruptione propria, qua-

Num. 110.

qualis eſt forma ſubſtantialis illa, quæ informat materiam ſecundam, vt anima vegetalis, ac ſenſualis, quæ perimuntur, peremptо ſuſceptiuo corpore, ſed ipſis peremptis, corpus non manet in ſuo eſſe, niſi æquiuocè ex 4. meteor. cap. vlt. ex primo de par. cap. 1. ex 7. met. 35. Tertia denique pars eſt earum formarum, quæ corrumpuntur corruptione, & propria, incolumi ſubiecto, & aliena, corruptis aliis, ſuſceptiuis ſcilicet, vel proximis, vel remotis; qualis forma eſt in pluribus forma accidentalis. Rectè hoc, vt relinquatur quarta pars illius formæ, quæ neque propria, neque ſubiecti corruptione interit, qualis eſt ſola anima rationalis. Sed in hac expoſitione nil videtur operari prima pars antecedentis Ariſtotelici. *Si anima eſt non naturâ*. Quare melior videtur expoſitio noſtra noua, quæ illo antecedente caret, quæ ad titulum capitis exponit, quæ animæ ſcientiam capienti congruit, quæ ſoli vni formæ incorruptibilitatem concedit. Fortè & accuratiùs exponetur textus, ſi quæratur, qualiter ſe habeat ſcientia ad communionem cum anima, & qualiter anima ad cõmunionem cum corpore. Sciẽtia enim dependet à ſubiecto, ideoque corrumpitur ad corruptionem ſubiecti, & præterea corrumpitur corruptione propria. Sed anima non corrumpitur corruptione propria, neque corruptione ſubiecti, quia independenter ſe habet à ſubiecto corpore. Itaque tres termini erunt *anima*, *communio independens*, & medium, *incorruptibilitas duplex*, conſtrueturque ſyllogiſmus talis. Quæcumq; forma eſt incorruptibilis duplici incorruptibilitate, propria, videlicet, & aliena: illa forma habet quidem communionem cum ſubiecto ſuo, ſed communionem ab eodem ſubiecto independentem, atque oppoſitã ei communioni, quam ſcientie, vel ſanitas habet cum ſubiecto ſuo. Anima ſcientiæ capax profectò eſt forma incorruptibilis duplici incorruptibilitate; igitur anima ſcientiæ capax communionem habet cum ſibi ſubiecto corpore organico, ſed tamen ab eodem ſubiecto corpore organico independentem.

Aliter poteſt exponi textus ponendo duas partes in antecedente hoc pacto. Si anima eſt accidens, præter corruptionem per accidens, qua inſtar accidentis corrumpitur, corrupto corpore: erit vtique ipſius animæ alia corruptio, ſcilicet propria, & per ſe. In quo ſenſu, tanquam pars antecedentis accipitur illa clauſula, *præter corruptionem, qua corrumpitur corrupto corpore*. Nega conſequens ſed non eſt alia corruptio propria ipſius animæ, ergo nega ſimul totum antecedens, quia ſcilicet anima nec eſt forma accidentalis, nec per accidens corrumpitur. Nec enim anima cõmunicat cum corpore in corruptione, ſicut communicat accidens cum ſubiecto. Textus itaque eſt pro nobis. *Num.* 111.

Alia quædam loca Gianni-

nius adducit ex lib. Exotericis, quibus ipse met. non incommodè respondet.

Responderat & Aristoteles in primo de anima 65. & 66. locis citatis ex physiognom. cap. 1. & 7. & ex Sect. 30. probl. 1. & 4. atque sect. 14. probl. 4.

Duo argumenta Alexandri reiiciuntur. Cap. VIII.

Num. 112. Glanninius cap. 4. Alexandri Aphrodisei argumenta contra intellectricis animæ perennitatem intorquet. Ea solvamus. Primum est. Nullus actus primus potest separari ab eo, cuius est actus. Anima rationalis est huiusmodi, ergo non potest separari; maiorem probat per 2. phys. 12. & 6. met. cap. 1. cum formæ naturales asserantur sola ratione separabiles. Nam ad locum 4. phys. 17. superius respondimus libro proximo num. 23. Respondimus item ad secundi phys. textum 12. sed aliter.

Respondetur duplex est forma, altera, cuius omnes partes sunt actus alicuius partis corporis; atque adeò re inseparabiles; de qua formâ concessa maiore, nego minorem cum Arist. in 2. de anima 11. Altera, cuius aliqua pars nullius corporis est actus: quâ ob causam illa pars, & forma, cuius est pars, est seseparabilis; de hac forma nego maiorem cum Aristotele in 12. metaphysicę 17. Quæ item afferuntur de forma separabili secundum rationem, non rem, de separabilitate Platonica sunt, qua formæ naturales, tanquam ideæ separantur, & à singularibus, & à materia, prout lib. superioti dixi cap. 5.

Secundò respondetur, actū bifariā cōsiderari secundū aptitudinem, & secundum actū. Actus primus secundum actum non potest separari ab eo, cuius est actus. Sed actus primus secundum potentiam, vel aptitudinem consideratus, potest separari ab eo, cuius est actus, dūmodo illud secundum aptitudinem respiciatur.

Num. 113. Hanc distinctionem probo primò in communi; nam ex 2. phys. 28. *Causa potentia sunt possibilium, actu existentes ad actu existentia*. Sed forma, vel actus formalis est causa, ergo actus formalis quoque consideratur, & in potentia, & in actu. Secundò probo in speciali ex 2. de anima 26. *Vnuscuiusque actus in eo, quod potentia existit, ea in propria materia Aptus est fieri*: Vnde anima rationalis apta est fieri in corpore humano, non in brutali, vel plantali. Cernis, opinor, actum ipsum secundū aptitudinem; cui sanè correspōdet actus secundum actum. Forma sēper est actus secundū aptitudinem, non semper secundum actum: sicuti homo semper secundum aptitudinem ridet, secundum actum non sēper. Natura semper est principium motus, & quietis naturalis, si secundum aptitudinem dicas; non semper secundum actum: igne quippe descendente, vel ascendente terra, natura ignis, ac terrę non est secundum

actum

actum principium. Ratio diſtinctionis eſt, quia materia, & forma ſunt entia abſoluta, & ſubſtantia; ſunt etiam concauſę, & propterea ſunt correlatiuæ. Quamobrem accipiuntur, vel pro eſſe abſoluto, vel pro earũ reſpectu aptitudinali, vel pro reſpectu actuali. Pro eſſe abſoluto, & materia ſine forma, & forma ſine materia poteſt eſſe, quãtum eſt ex ſe, etiam ſi materia non informetur actu, & forma non informet; dummodo ſemper maneat reſpectus aptitudinalis vnius ad alteram. Sic definitur forma per actum, non quia ipſe actus ſemper inſit; ſed ad hoc, vt notificetur aptitudo, quæ ſemper ineſt. Sic in 4. de cælo. 26. graue, & leue ſimpliciter definiuntur per actum, quia graue ſubſidet omnibus, leue ſupereminet, nimirum ſecundum actum non ſemper, ſecundum aptitudinem ſemper. Quando itaque dicitur, quòd actus primus non poteſt actu ſeparari ab eo, cuius eſt actus: nec probè dicitur, nec probatur ab aduerſario. Ariſtoteles tamen expreſſè oppoſitum docuit in 12. met. 17.

Raguſeus diſp. 21. cap. 11. maiorẽ negat de forma extrinſecus accedente, quæ non educitur de potentia materiæ; negat minorem de forma educta, nam anima, quæ eſt intellectus, ſola extrinſecus accedit, authore Ariſtotele 2. de gene. animalium cap. 5.

Num. 114. Secundum Alexandri. Si anima noſtra habet opus propriũ, in quo obeũdo nulla pars corporis eſt neceſſaria, contingit ipsã à corpore ſeparari; ſi autem nó, non contingit ſeparari. Sed anima noſtra nullum habet opus proprium, quod ſine corpore exerceatur: ergo non poteſt ſeparari. Maior patet ex primo de anima textibus 12. & 13. Minor probatur, quia ſolum intelligere apparet proprium: at non eſt proprium, quia homo non intelligit ex lib. 3. de anima 30. & 39. ſine phantaſmate.

Reſpondetur, nego minorẽ. Ad probationem, intelligere nõ eſt ſine phantaſmate, concedo animi gratia. Ergo non eſt opus proprium, nego conſequentiã. Ita magnus Alexandri apparatus ſine probatione ruit.

Cæterùm in hoc argumento tria reprehendo. Primum, textus Ariſtotelici obtruncationem in maiore. Ariſtoteles etenim in primo de anima tex. 12. ſcribit. *Si igitur eſt aliqua animæ operatio, aut paſſionum propria, contingit vtique ipſam ſeparari.* Ariſtoteles diſiunctiuam facit, ſi eſt operatio propria, contingit ſeparari. Similiter ſi eſt paſſio propria, contingit ſeparari. Fideles Alexandrei ommiſerunt paſſionem, inqua eſt argumentũ ineuitabile pro ſeparatione; quoniam ſolus intellectus poſſibilis patitur ipſum intelligere: non corpus totum, non pars corporis: non phantaſma, non phantaſia recipit intellectionẽ. Si ergo intelligere eſt paſſio propria, vt re vera eſt: profectò anima intellectiua eſt ſeparabilis.

Secundò, reprehendo, vt ſu-

periùs, quòd Alexandrei, dum Aristoteles exarauerit particulas *si*, vel *aut*, vel *videtur*, vel *fortasse*: statim clamant nihil Aristoteles asserit, dubitanter, cõditionatè, disiunctè, suspensè loquitur. Strenuè, si pro vobis Aristoteles vel apparenter loquatur, assertiuè loquitur. Si contra vos, dubitanter, & suspẽsiuè. Hinc omnia, quæ in primo libro de anima sunt pro separabilitate, dicitis esse incerta, & nullius fidei. Par pari refero. In primo de anima textibus 12. & 13. Philosophus differit conditionatè per *si*, disiunctim per *aut*: suspensè, per optatiuum *contingeret*, *esset*: & re vera in proœmio dubitationes proponit. ac difficultates, easq; ad ostẽtationem exaggerat. Ergo maior Alexandri est incertissima. Sic & probatio, quæ posset adduci ex 12. textu, si intelligere est imaginatio, aut non sine imaginatione, &c. Est conditionalis, disiunctiua, suspensa, & inter dubitandum proposita, & nullius certitudinis. Ergo iuxta Alexandreorum documenta, maior, & probatio minoris sunt negandæ.

Tertiò reprehendo consequẽtiam omnino vanam; quod vt pateat, sic argumentor. Animal non potest videre sine luce, & lumine, ergo videre non est opus proprium animalis, sed commune luci, & lumini: ergo animal non est simpliciter separabile ab his accidentibus. Cum tamen Aristoteles & omnem substantiam separabilem dixerit in 7. met. 4. & omne cõpositũ in primis asseruerit simpliciter separabile in 8. met. 3. falsa est consequentia nunc extructa; sed multò magis falsa est Alexandri consequentia illa. Intelligere non est sine phãtasmate, ergo non est opus proprium, sed commune phantasmati, ergo intelligere non est separabile.

Quocirca neganda est consequentia in minore Alexandri propter æquiuocationem illius phrasis *sine imaginatione*. In 3. de anima 30. & 39. dicit habitudinem obiecti. In ptimo de aĩa 12. infert habitudinem subiecti. Si intelligere non est sine phãtasia subiecta non est opus proprium, hoc verè dicitur in primo de anima; sed non est sine phantasmate obiecto, quod scriptum est in 3. de anima; itaque syllogismus Alexandri est in quatuor terminis.

Verũ quando attigimus passionem, vel operationem propriam, & separationem ab obiecto, & subiecto: operæ pretiũ erit hæc explicare. In operationibus vitalibus duplex principium attenditur, intrinsecum videlicet, ac extrinsecum. Extrinsecum est obiectum, in quo non requiritur vita, nec enim color, aut calor viuit. Intrinsecum est potentia vitalis. Nos non quærimus separationem ab obiecto extrinseco: nam certũ est, quòd animal est simpliciter separabile, quamuis sentire nõ possit absque obiecto extrinseco sensibili. Sed quærimus separationem formæ, & principii intrinseci, à materia sibi subiecta, *Num.* 115.

cta, animæ à corpore organico illi ſubiecto. Obſerua attentè diſcrimen à natura collocatum inter haſce habitudines, ad obiectum, ad ſubiectum. Senſus multo tempore manet in rerum natura, ſine obiecto præſente, vt auditus ſine ſono, viſus ſine lumine; at ne momento quidem manet ſenſus ſine ſubiecto corpore organico. Ergo ſenſus in eſſendo eſt ſeparabilis ab obiecto, non à ſubiecto. Intellectus diu ſuperſtes eſt in rerum natura ſine phantaſmate, quemadmodum patet in infantia; ſed an maneat, aut manere poſſit, vel momento ſine corpore ſubiecto ipſi animæ intellectiuę, diſceptatio eſt grauiſſima. Nam ſi momento intellectus abſque corpore duret, nil cauſæ eſt, quin & perpetuò duret. Idcirco ſi aliqua operatio ſit propria ipſius animæ, & non communis ſubiecto corpori organico in ratione coefficientis: anima eſt ſeparabilis à ſubiecto corpore. Si aliqua paſſio ſit propria ipſius animæ, & non communis corpori, vt compatienti, anima eſt ſeparabilis à corpore ſubiecto. Cum enim Ariſtoteles in 1. de anima 13. diſiungat, neceſſe eſt, vt nos diſiungamus, ita vt ſi ſola operatio propria ſit, anima ſit ſeparabilis. Aut ſi ſola paſſio propria ſit: anima rurſus ſit ſeparabilis.

Num. 116. Iam verò ſcrutemur principium intrinſecum actiuum, & paſſiuum ipſius intelligere ex parte potentiæ. Cuicunq; potentiæ vitali natura dedit operationem, vel paſſionem communem cum corpore, eidem largita eſt partem corporis determinatam, quæ organum eſt, vt potentia cum illa parte, vel actiuè eliciat opus, vel paſſiuè recipiat paſſionem, vel vtroq; modo cum parte animę concurrat pars corporis. Sic ipſum ambulare non eſt ſine pedibus & coefficientibus, & conrecipientibus ambulationem. Sic videre non eſt ſine pupilla. Quã obrem, & in diffinitione talium operationum neceſſarium eſt ponere partem corporis determinatam iuxta exemplum Philoſophi in 1. de anima 15. dicentis. *Iraſci exiſtit motus talis corporis, vel partis, vel potentiæ, ab hoc, gratia huius.* Intelligere autem eſt propria operatio animæ rationalis, vel paſſio propria ex 4. de partibus cap. 10. Contemplemur ipſum intelligere, vt eſt paſſio animæ. Profectò in definitione ipſius intelligere, neque corpus, neque vlla pars corporis poſita eſt, aut poni debet. Solus intellectus poſſibilis recipit intellectionẽ: nulla pars corporis recipit intellectionẽ: quia nulla pars corporis recipit, quia nulla pars corporis inuenitur in homine, quæ in bruto non inueniatur, iuxta ſectiones anatomicas: ſi ergo intelligere eſſet paſſio recepta in aliqua parte corporis; taliſque pars à natura tradicta fuerit, & beſtiæ, & homini; cõſequitur, vt ipſe intellectus, & ipſum intelligere beſtiæ quoq; conceſſum ſit; quod eſt abſurdum. Totum corpus humanũ non recipit intellectionem; nõ

solùm, quia tunc intellectio esset magis materialis, quàm visio, vel auditio: verùm etiam, quia omnis operatio recepta in corpore requirit determinatam dispositionem in eo, vt visio in pupilla perspicuitatem, auditio in tympano auris sonoritatem, aut quid simile. *Sed* corpus humanum habet dispositiones tàm varias, & quę reperiantur in vno membro, & non in alio, vt non possit reperiri determinata dispositio ad intellectionem. Rursus visus reciperet visionem, & intellectionem, gustus gustationem, & intellectionem, & sic de aliis: vnde nec sensus particularis haberet peculiarem sibi dispositionem. Deniq; receptiuum intellectionis debet esse denudatum ab intelligibili materiali: sed intellectus, & intelligere non ita essent; nam reciperentur in ipso corpore humano, quod est vnũ intelligibile materiale. Sed arbitror, nullum omninò ex Peripateticis dicturum, quòd intelligere recipiatur in toto corpore, aut in parte corporis.

Propterea quod Aristoteles in 2. animastico textu 150. & 151. veteres suggillat, qui posuerant ipsum intelligere, & sapere prudenter esse corporeum, perindè atque sentire. Vnde, & ad alterationẽ, vel auctionẽ, ac imminutionem corporis alterari, augeri, minui, mutari sapientiam, atque prudentiam arbitrabãtur. Simile, imò & deterius illis in 4. met. 21. exprobrat, quòd ad varietatem sẽsus, atq; sensationis, obiecti veritas esset variata, essentq; res tales, quales apparerent. Fundamentum verò vtriusque erroris est quia sentire, & intelligere idem crederent, & vtrunq; esse corporeum. Verùm qui ponerent ipsum intelligere in toto corpore recipi, aut à toto corpore elici actiuè, magis corporeum fingerent ipsum intelligere, quàm ipsum sentire. Nullum enim sentire, neque ipsum tangere quidem, per omnes corporis partes extenditur, docente Aristotele in primo de anima 79. *Quaecunque insunt in animalium corporibus simpliciter terra, vt ossa, nerui, pili, nihil sentire* videri. Intelligerent verò & ista, si in toto corpore intelligere esset receptum. Sed subnectamus textum præcitatum secundi de anima 150. *Et antiqui*, inquit, *sapere, & sentire idem esse aiunt, sicut & Empedocles dixit.*

Ad præsens enim sapientia augetur hominibus.
& in aliis.
Vnde eis semper & sapere diuersa præstat.
Idem autem his vult, & illud Homeri.
Talis enim mens est terrestriũ hominum,
Qualem in dies inducit pater hominumq;, Deorumq;.

Omnes enim hi intelligere corporeum, sicut et sentire existimant. Philosophus autem ipsum intellectum impassibilem secundum passiones, alterationes, mutationesq; corporeas astruit in 7. phys. 20. & 1. animæ 66. Impediri concedit ipsum intelligere ex corporis perturbatione,

ne, qua ceſſante, ipſum intelligere tùm ad acquirendã ſcientiam, tùm ad exercendam acquiſitam habetur. Ita in 2. de gener. animal cum actione intellectus nihil cõmunicat actio corporalis. Ita paſſiones animę intellectricis non eſſe corporales traduntur in 2. de gener. & cor. tex. 45. Quæ cum ita ſint, non erit vtique ipſum intelligere vel in toto corpore, vel in parte corporis exceptum, ſed pręciſè in poſſibili intellectu. Porrò intellectus poſſibilis non eſt actus corporis organici, per 3. de anima 6. neque corporis non organici, quoniam anima, & partes eius præciſè ſunt actus corporis organici 2. de anima 6. Quare intelligere eſt paſſio propria ipſius intellectus poſſibilis, nullo modo communis, vel parti corporis, vel toti corpori habenti animam.

Num. 117. Scrutemur ſecundo loco ipſũ intelligere ex parte principii actiui. Vis actiua producens ipſum intelligere, vel intellectui facienti, vel patienti tribuenda eſt præciſè: ſed neuter intellectus, quantum eſt ex parte ſui, vt principii intrinſecè actiui habet organum proprium, vel alienum, quo cooperante eliciat intellectionem. Non morabor in re clariſſima ex 3. de anima 6. Qua de cauſa ſiue accipias ipſum intelligere vt eſt paſſio, ſiue vt eſt actio, ſemper verum eſt, quòd ex parte principii vitalis intrinſeci eſt ſine corpore, vel coopetante, vel compatiente, ergo eſt operatio propria, & paſſio propria.

Confirmemus hoc ex primo de anima 66. & ex 10. ad Nicom. cap. 7. & 8. In primo de anima Philoſophus expreſſè diſtinguit inter cogitare, & ſpeculari: nam cogitare eſt totius cõpoſiti habentis animam, ideò corrupto communi, intellectus non cogitat. Speculari autem non eſt ipſius communis, ſed ipſius intellectus, vt intellectus. Clariſſimè hoc aſſeuerat in 10. Nicom. cap. 7. ponens vitam ſpeculatiuam eſſe meliorem vita compoſiti: eſſe vitam non humanam, ſed vitæ diuinæ cognatiſſimam, de qua ſubdit. *Ac talis quidem vita præſtantior eſſet, quàm homini conueniat: nõ enim quatenus homo eſt, ita viuet: ſed quatenus diuinum quid in ipſo eſt; quantò autem id præſtat compoſito, tanto quoque eius operatio ab operatione diſtat. Si igitur intellectus diuinum quid eſt, ſi ad hominem inſpiciamus, ſic vita, quæ ex intellectu traducitur, ſi humanæ vitæ comparetur, diuina etiam ipſa eſt.* Et in cap. 8. trac. ctans de vita actiua, quæ eſt vita compoſiti ſcribit. *Virtutes verò compoſiti humanæ ſunt: & vita igitur, quæ ſecundum ipſas traducitur, & felicitas huius modi erit. Mentis autem ſeparatæ eſt.* Igitur habemus vitam cõpoſiti, ſed actiuam; vitam mẽtis ſpeculatiuam, ſed à compoſito ſeparatam, quam in fine eiuſdem 8. cap. diſtinguit à Dei vita, & felicitate, inquiens. *Quare Dei operatio cum beatitudine excellat, contemplatiua erit: & ex humanis ea erit felicitſſima, quæ huic maximè eſt cognata. Si*

ergo hęc actio vitalis non est totius compositi, sed supra ipsum, certè nec totum corpus, nec vlla pars corporis concurrit ad eã producendam, vel recipiendã. Ergo intellectus speculatiuus in homine possidet actionem, & passionem propriam, & separatam à corpore, quare & intellectus speculatiuus est separabilis. Hæc de principio vitali, & actu intelligendi.

Num. 118. De obiecto dissidium regnat. Si phantasma corrumpitur, & intellectus passiuus, qui phantasia est: intellectus incorruptibilis post separationem, quid intelliget? An sine obiecto intelligibili futura est intellectio? Resoluet Aristoteles in 3. de aïa 15. dicens. *In his, quæ sunt sine materia, idem est, quod intelligit, & quod intelligitur.* Quare intellectus separatus intelligit se, non per sensilia: intellectus cõiunctus intelligit se post sensilia 3. de anima 8. Igitur intellectus, vt intellectus, atque intelligere, vt intelligere, si per se considerentur, non egent phantasmate; de quo intelligendi modo metaphysici differere interest. Si per accidẽs inspiciãtur, quatenus iunguntur corpori; tunc vt seruetur ordo potentiarum cognitiuarũ, quo ordine infectiores potentiæ famulantur superiori: intellectus phantasmate vtitur. Quemadmodum ergo duo sũt status intellectus humani, sic sunt duo modi intelligendi; vnus cum phantasmate, alter absque phantasmate. In priore statu, & modo intelligit materialia intelligibilia, & per hæc reliqua. In 2. intelligit se, an reliqua immaterialia, non affirmauerim facilè, aut negauerim.

Nec parum est concessum intellectui humano separato, si cũ sit intelligibilis, & intellectiuus 3. de anima 15. se intelligat? Cognitio est perfectior, non quia plurium, sed quia meliorũ, primo de anima 1. Intellectus, speculatiuus hominis melior est omnibus formis substãtialibus, atque accidentalibus. Igitur intellectio, qua intellectus speculatiuus intelligit se, omnibus scientiis sermocinalibus, moralibus, mathematicis, physicis dignitate præcellit. Si autem Alexandrei dicunt intelligentiã vltimam intelligere se per propriam essentiam, quæ essentia dependet à superioribus, vnde & propter dependentiam vltima intelligentia superiores omnes, etiam primam, intelligit: cur nõ dicemus idem de humano intellectu separato? Vel meliùs, quoniã intellectio per speciem concessa est intellectui humano in statu coniunctionis, intellectio per essentiam in statu separationis: nam per suam essentiam se intelligit; cur non dicemus eandem esse rationem de cæteris intelligibilibus immaterialibus, saltem de primo intelligibili, & amabili, qui est pulcherrimus aïæ nostrę terminus 7. ad Eudem cap. vlt. Tunc nãq; intellecta prima causa, per eam reliqua intelligẽtur, quod Auicenna sensit 9. met. cap. 7. Verùm Aristoteles neque modum ab Alexandreis excogitatum,

tum, neque inuentum ab Auicenna expreſſit. Solùm dixit intellectum ſine materia intellige re ſe ipſum; quod quidem dicimus ad mentem Ariſtotelis, cætera non aſſerimus.

Num. 119. Secundò circa obiectum obſeruari deſidero, Ariſtotelem in 3. de anima textibus 9. 10. & 11. tractauiſſe de intellectione quiditatis naturalis, & mathematicæ, hoc eſt quiditatis ſenſibilis: de quiditate inſenſibili nihil. In textibus 35. & 36. de cognitione rerum naturaliũ, & mathematicarum dixiſſe: de cognitione ſeparatorum nihil. In textibus 37. 38. 39. recapitulationem faciens, tradit, quomodo intelligantur res concretæ cum materia, & quæ ſunt ex abſtractione; de abſtractis nihil. Mirabili methodo, in ſcientia naturali de ſenſilium notione tantùm differit, & de intellectu actiuo, qui eſt principium motus. Ergo ab Ariſtotele habemus ſenſilia ſine phantaſmate non intelligi: de intellectilibus, an cum phantaſmate, vel ſine phantaſmate intelligantur, Ariſtoteles pollicitus eſt ſe dicturum poſterius. In libris qui extant, non fuiſſe dictum Alexandrei tenent. Cur ergo, quod Ariſtoteles non decidit, decidunt ipſi tàm audacter? Sanè Philoſophus in 3. de anima 7. indicauit obiectum quoddam valde intelligibile, quod mentem exacuit, non hebetat. Illud valde intelligibile non eſt maximum ſenſibile: etenim vehemens ſenſibile corrũpit phãtaſiam, qua corrupta intelligere marceſcit, ex primo de anima 66. neque eſt ſenſibile mediocre, vel minimum: nam cũ talia non lædant ſenſum, magnum non eſſet, ſi læſionem intellectui non afferrent. Neque eſt aliquid intellectum virtute ſenſibilis minimi, aut medii, iam intellecti: quoniam omne obiectũ producẽs intellectionẽ ſui & intellectionẽ alterius, efficaciùs mouet ad cognitionem ſui, quàm alterius, nam propter quod vnumquodque, & illud magis, primo poſt. 15. Ergo ridiculam dignitatem in 3. de anima 7. Philoſophus intellectui aſcripſiſſet, dum ait, intellectum non impediri ab illo intelligibili, quod minus mouet, & agit, quàm agat obiectum ſenſibile. Relinquitur, vt aliquod obiectum valde intelligibile valde intelligatur, non per ſenſibile.

Tertiò, limitatur illa propoſitio intellectus coniunctus nũquam intelligit ſine phãtaſmate, ad primas intellectiones, vel receptiones ſpecierum intelligibilium, vt attingitur 3. de anima 39. Nam intellectus non ita eget phantaſmate poſt receptas intelligibiles ſpecies, quas intelligentias appellat in 3. de anima 33. *Intellectus aliquando ipſe, qua ſunt in anima phantaſmatibus, aut intelligentiis ratiocinatur*. Eget phantaſmatibus à principio, intelligentiis tempore conſequenti. Et probabile eſt duplici de cauſa. Prima, quoniam in 2. de anima 161. docemur phantaſiam non eſſe ſine

Num. 120.

sensu: cum tamen sit compertissimum post receptam speciē in phantasia, phantasiam imaginari sine cooperatione sensus externi; ex lib. de somniis, & de memoria. Si ergo phantasia in principio non potest sine sensu externo, posterius potest, cur imbecilliorem fingimus intellectum respectu phantasiæ, quàm phantasiam respectu sensus? Secunda causa est Aristotelis assertio in 3. de anima 8. de intellectu possibili scribentis. *Cū autē sic singula factus est, etc. potest operari per se ipsum* scilicet absque ministerio imaginationis.

Postremò dico, intellectum semper, & nunquam intelligere cum phantasmate in statu coniunctionis. Semper cū phantasmate spiritaliter elevato per lumen intellectus agentis 3. de anima 18. Et phantasma sic elevatum est forma existens in anima intellectiua, quasi in loco, 3. de anima 6. vnde & est forma formarum 3. de anima 38. Nunquam intelligere cum phāntasmate non elevato, sed in phāntasia depresso. Cum ergo semper intelligat absque phantasmate depresso, semper habet opus, in quo phantasma propriè sumptum non concurrit, etiam vt obiectum, nisi valde remotum: quod non officit separabilitati intellectus agētis, immediatè operantis circa phantasma, atque ideò multò minus officiet intellectui actiuè, & passiuè intelligēti, qui in regia separabilitatis residens, nullum habet commercium cum phantasmate depresso, sed cum eo elevato, & separato à sensibilibus, & à corpore.

Argumenta Gianninii pro Alexandreis tolluntur. Cap. IX.

ALexandreorum argumenta decem comportat Giānin us ca. 5. Quorum solutiones apud ipsum expendantur. Mihi quædam percurrere in animo est. *Num.* 121

1. Cuius functio non est æterna, ipsum non potest esse æternum; intelligere, vel hominis, vel animæ non est perpetuum, ergo nec homo, nec anima eius.

Respondetur, propositiones circa proprium subiectum sunt veræ, circa diuersum falsæ. Aristoteles in primo cæli 20. agit de corporibus simplicibus constituentibus mundum, dicens. *Non est rationabile quippiam mobile esse sempiternum, cuius non contingit vnum esse secundum naturam motum sempiternum.* Negatur ergo maior, & probatio non est ad rem. Ratio est, quia ista est vera, Cuius actio est æterna, ipsum est æternum: si autem neges antecedens hoc pacto, cuius actio non est æterna, ipsum non est æternum, est fallacia consequentis à negatione antecedentis, toties aduersus Melissum exsibilata. Sic Gianninius argumentatus est. Sicōuertas propositionem dictam, rursus est sophisma consequentis, quia vniuersalis affirmatiua non conuertitur simpliciter. Dices. At Aristoteles à negatione ante-

antecedentis procedit. Reſpõdeo, non eſt abſonum dicere hoc ab Ariſtotele dictum pro populari opinione de cęlo, hoc eſt de Deo æterno: quæ falſa cum ſit, ſine fallaciis probari non poteſt. Demus tamen hoc dici ab Ariſtotele philoſophicè: ipſe loquitur de corporibus, vos de anima incorporea: ipſe de mobili, & motu, vos de anima, quæ non eſt mobilis, ac de intellectione, quæ non eſt motus. Ipſe de primis conſtitutiuis voluerſi, vos de anima, quæ non conſtituit. Nihil non probabunt de genere in genus tranſcendentes.

2. Anima rationalis eſt forma, qua homo eſt homo 2. de gen. animal. cap. 3. Atqui nullum æternum complet naturam corporis generabilis, & corruptibilis, ergo &c. minor patet primo met. 35.

Reſpondetur, prima propoſitio vera eſt, ſed citatio eſt falſa, quia in Græco textu non eſt illa particula, *forma, qua homo eſt*, in duobus exemplaribus meis; nec in tribus Fortunii Liceti ſcriptoris copioſiſſimi, & clariſſimi, vt antea dixi. Secundò, falſa eſt citatio ſecundæ propoſitionis, cum nec per ſomnium tale quid piam dicatur in primo met. 35. Refutatur ibi Plato, qui poſuit numeros ſeparatos æternos, ſẽſibiles non æternos: ſed ex hoc, ęternos eſſe cauſas, reprobat Ariſtoteles; quia æternum, & non æternum non inferunt cauſam, & cauſatum: iurè nam æternũ eſt in *Quando*, cauſa eſt in ad *Aliquid*. Nec propter Ariſtotelis dictum ſit, vt æternum cauſa rei tẽporarię eſſe nequeat, cum materia ſit cauſa ſubcæleſtium, cælum ſimiliter: Atque Deus faciat generationem caducorum 2. de gen. 59.

3. Si homine intereunte, anima diſiuncta maneret: ergo interitus hominis nihil aliud eſſet, quàm ſegregatio partium, quæ erant ante interitum coniunctę, quod refutatur in primo de gen. 10. *Num.* 122.

Reſpondetur, negata conſequẽtia, nec enim generatio ſolum eſt congregatio, ſed productio tertiæ entitatis: nec corruptio eſt ſegregatio tantùm, ſed tertiæ entitatis deſtructio: nec non ſubſtantialis materiæ tranſmutatio.

4. In ſcientia naturali aperitur natura noſtræ mentis. At naturalis ſcientia, vltra formas mortales non excedit, primo phyſicorum vlt. neque agit de forma, quæ ſeparata maneat 2. phyſ. 26.

Reſpondetur; negatur prima propoſitio, quo ad intellectum ſpeculatiuum, cuius nec definitionẽ, nec obiectũ, nec actus, nec affectiones aperit phyſicus. Secũdò, falsò citatur primi phyſ. tex. vltimus: dicitur ibi de corruptibilibus formis (potiùs corruptibilium) agendum; ſed illa negatiua *vltra formas mortales non excedit*, Alexandreorum eſt, falſiſſima eſt, cum forma cęli à phyſico tractetur, ſiue ſubſtantialis, ſiue accidentalis. Tertiò 2. phyſ. 26. textus falsò citatur. Etenim phyſicus iubetur tractare ſeparabilia forma, in materia autem. Quare formã

separatam non tractat, sed separabilem: non vt separabilem, sed vt coniunctam tractat.

5 Ex primo de cęlo, quod factũ, est interit. &c.

Respondetur, hoc solutum esse inter argumenta Scoti. 2. Esse dictum pro populari opinione 3. si detur transmigratio animarum in corpus eiusdem speciei, nihil concluditur, ut infra.

6 Si anima esset producta non per motum, & mutationem, iã Arist. creationem agnouisset.

Respondetur agnouit, vt suo loco vestigaui. Agnouit animam intellectiuam non oriri ex masculo, vel fęmina, sed extrinsecus in 2 de gen. animalium cap. 3. Si hoc est creare, creationẽ animæ agnouit.

Num 223. 7 Si animę separatę essent diuersę speciei, ergo et homines essẽt diuersę speciei. Si separatę sunt eiusdem speciei, primò arguitur ex 2. de anima 35. omnia quęrunt ęternitatem consequi, sed caduca, quia non possunt in eodem singulari, illam habent in specie. Ergo causa, cur eiusdem speciei sint multa singularia, est quia hęc sunt caduca. Si dixeris, animas multiplicari, quia totum, cuius gratia sunt, multiplicatur scilicet homo.

Contra, inquit Gianninius; ęternum non est gratia interituri. Nam cum finis sit prestabilior ijs omnibus, quę sunt ad finem; & ęternum immateriatum multum pręstet rei materiatę, non quit natura illius esse propter hanc.

2. Arguit, materia est radix multitudinis numeralis per Arist. 12. met. 49. quia quæ eiusdem speciei, multa numero, materiam habent, ergo animæ separatæ à materia haberent materiam.

Respondetur, Animæ rationales seù coniunctæ, seu separatæ sunt eiusdem speciei; etenim passio disiuncta non variat essentiam subiecti, vt rectum vel curuum, non variant lineam: iuuentus, vel senectus non variant hominem; sed coniunctio, vel separatio est passio disiuncta animæ intellectiuæ, ergo semper est eiusdem essentiæ, & speciei.

Ad primũ obiectũ nego, quòd corruptilitas sit causa multitudinis numeralis, sed est occasio quędam, non causa multiplicationis successiuæ; causa multitudinis numeralis est sẽpiternitas in genere finis. Verũ permanentia æterna trifariã esse potest, in specie tantum: in specie & singulari vno: in specie, & singularibus pluribus. Reddo singula singulis, Leo, Sol, duæ stellæ eiusdem orbis. Arist. in 2. de gen 59. de omnibus corruptibilibus, in 2 de anima 34. &c. de viuentibus constituit, quia corruptibilia optant æternitatem, vt finẽ & eam in singulari nõ obtinent; ideò generationem successiuam fuisse corruptibilibus concessam à Deo, & natura. Si ex eodem antecedente infers multitudinẽ numericam, rectè infers, sed imemento consequens, quandoque esse adęquatũ antecedenti, quãdoque esse excedens; est adęquatũ quandoq; veluti cũ ad subiectum cõsequitur propria passio, tunc enim subiectum est antecedẽs, propria passio est cõsequẽs, quan-

quandoq; eſt excedens, vt quãdo comparantur inferius, & ſuperius: vt homo eſt antecedens, animal conſequens. Et verè in primo priorum ſecto. 2. cap. 2. nomen, conſequentis, & antecedentis hoc ſecundo modo ponũtur. Sic multitudo numeralis eſt conſequẽs excedens, nam reperitur, & in ſingularibus corruptibilibus, & in ſingularibus incorruptibilibus. Textum produco ex 12. met 27. vbi materia tua, et materia mea numero eſſe dicuntur diuerſæ ſed ratione vniuerſali eędem; cum tamen materia prima mea, & materia prima tua ſint incorruptibiles; ita duæ ſtellæ in firmamento, duę ſuperficies conuexæ in duobus orbibus, duæ figurę ſphęricæ duarum ſphærarũ, vel orbiũ; duę raritates, duę denſitates, ſed perennes in cęlis; igitur multitudo numeralis eſt conſequens excedens, repertum, & in rebus corruptioni obnoxijs, & in rebus à corruptione liberatis.

Quamobrẽ duæ animę rationales poſſunt eſſe, ſed perpetuæ; nam vbi conſequens eſt adæquatum, conſequentia eſt conuertibilis: vbi eſt inadæquatum, non eſt conuertibilis, imo ſi à poſitione conſequentis arguas ad poſitionem antecedentis incidis in fallaciam conſequentis: vt ſi aliqua ſunt corruptibilia ſingularia, ergo ſunt multa numero, eſt bona conſequentia: at non eſt bona è contra, ſunt multa numero, ergo ſunt ſingularia corruptibilia.

Num 224. Obiectio illa Gianninij contra reſponſionem, quòd animæ multæ ſint in gratiam hominis, nullius eſt ponderis. Falſum enim eſt, æternum non eſſe gratia rei temporalis; cum materia prima ſit gratia formarũ, & compoſitorum: cæleſtia corpora gratia viuentiũ ſubcæleſtiũ, ſiue primaria, ſiue ſecundaria intentione, nam ego primaria puto. Ad Ariſtotelis mentem dicam, quòd anima ſecundariò eſt ad ſtatum cõiunctionis, primariò ad ſtatum ſeparationis ordinata. Inſuper ſi diceres, æternum immaterialum ſecundariò eſſe propter corruptibilia, cum Ariſtotele diceres; nam ex 2. de cælo 17. *vnumquodque, cuius eſt opus, eſt gratia operis*: ſed eſſe corruptibilium, & regimen eorum eſt opus cauſatum à ſubſtantiis immaterialibus, ergo hæ ſũt propter corruptibilia ſecundariò. *Solum* primum ens nullo modo eſt alterius gratia, in quo limitanda eſt illa propoſitio Philoſophi.

2. Obiectio de principio indiuiduorum ſub eadem ſpecie alieniſſima eſt. Materia dupliciter dicitur, proprię, & proportionaliter. Materia proprię eſt pars, quæ cum forma conſtituit compoſitum: ea deſcribitur 2. phyſ. 28. & 5. met. 2. Proportionaliter, quæ eſt in potentia ad aliquid diuidens, & reducens ad actum: ſicuti genus eſt materia ſpecierum, & differentia, eſt forma, 7. met. 43. Sic ſpecialiſſimum eſt materia, & differentia indiuidualis eſt forma, qua ſpecies diuiditur, & ſingulare conſtituitur. Singularia nominata ſunt, & ab eis

poſ-

possunt formari nomina differentiarum indiuiduantium : vt ex Appio, & Lentulo dixit Cicero 3. epist. 7. Appietatem, & Lentulitatē. In omni illo, quod est vnum specie, & multa numero, est materia proportionalis: sic materia tua, & mea habent eandem rationem communem potentialem : sic forma tua, & mea, sic compositum tuum, & meum, 12. met. 27. Et ex primo de hist. animalium cap. 1. determinatio, & indeterminatio secundum vniuersale, & particulare est proportionalis ; nam sicut homo differt ab equo, sic nasus hominis à naso equi. Ergo & materia prima in duas portiones diuisa, habet materiā proportionalem, quia illæ duæ materiæ numero differunt : sic duæ animæ rationales, nam aīa in communi est quasi materia ad duas differentias indiuiduātes. Primum quid erat esse ex 12. met. 49. est purus actus sine materia : neutro modo materiā habet, ideò vnum ratione, & numero est. Anima habet materiam secūdo modo, ideò multiplex numero esse potest. An habeat materiam primo modo, legatur Bonauentura in 2. d. 17. q. 2. & Scot. in q. 15. de anima; Qui & alia ratione differentiā indiuiduantem materiam nuncupat in 2. d. 3. q. 6.

Num 225. 8. Si anima separata intelligit, aut per essentiam, aut per speciem : non primum, quia nobiliùs intelligeret cum est imperfectior, melius enim illi est esse cum corpore. Item quia inter animam, & Deum nihil differret. Non secundum, quia speciēs intelligibilis nō est ex phātasmate in anima separata : neque ex re ipsa, quia mens separata non facit quicquam, nisi mediante cælo.

Respondetur, anima separata intelligit per essentiam propriā se ipsam, vt obiectum. ex. 3. de anima 15. Non est melius animam esse cum corpore, si simpliciter loquaris: consule primū de anima 49. sed secundū quid, scilicet vt alterum passionis disiunctæ membrum in actum reducatur, nimirum vt habeat statum coniunctionis, vel separationis. Intelligit per speciem haustam à phantasmatibus, si ex 3 de anima 8. intellectus factus singula potest per se ipsum intelligere. Intelligit per species à Deo illustrante infusas, nam Zabarella Alexandreus acerrimus in lib. de mente agente concedit, Deum, vt lumen in genere intelligibili illustrare, non mediante cælo. Postremò intellectio Dei est independens, & est Dei substantia : intellectio animæ dependet à causa prima effectrice, ac finali : atque ab intellectu animæ, vt potentia, & anima vt obiecto : itemque est accidens. Non ergo æquabitur anima Deo. Sed cur Alexādrei nunc importunè innuunt zelum diuini honoris ? Asserunt omnes intelligentias intelligere per essentiam propriā, & intellectiones earum esse earum substantiam. Cum ergo hunc honorem Deo rapiant, & intelligentiis, etiam lunari, ascribant : cur timent eundem

hono-

honorem intellectui humano concedere? Libentiùs vtique concedam, quòd intelligere humanum ſit ſubſtantia intellectus humani, quàm, quòd Deus ſit intellectus agens: quo dogmate nullum mihi videtur magis irrationale.

9 Nullum impartibile mouetur per 6. phys. 32. ſed & anima nõ mouetur ex primo de anima 36. ergo anima nec accedit, nec recedit à corpore, neque manet in loco corporis.

5. phyſ. 11. Reſpondetur, Aliquid accedit, vel recedit per modum termini, aliquid per modum ſubiecti. Subiectum quidem mouetur à termino in terminum: terminus nõ mouetur, ne in infinitum eatur. Anima accedit, tanquam terminus generationis, extrinſecùs, per 2. de gen. animal. cap. 3. Recedit tanquam terminus corruptionis non per motum ſui, ſed corporis ſubiecti. Etenim materia eſt ad aliquid; ſed in ijs, quę ſunt ad aliquid contingit altero mutationem patiente, verè dici, alterum nihil mutationis ſubire per 5. phys. 10. & 8. phys. 9. ergo mutabitur animę materia, non anima. Hoc tamen argumẽtum premit Alexãdreos: docere enim debent, quomodo Deus recedat à corpore corrupto, accedat ad genitum: Atque quomodo noua parte hominis genita, vel abiecta, Deus accedat, & recedat, nec mutetur. Preſertim ſi Deus in ſola ſphęra vltima ex 8. phys. 84. & lib. de mundo ad Alexandrum eſt preſens. Decimum Giãninij argumẽtum paulò poſt examinabitur.

Ex propenſione animæ ad corpus arguitur. Cap. X.

DVo ſunt argumenta, quæ ſpeciale faciunt negotiũ, hoc ab animę propenſione ducitur, illud à mundi ęternitate: primum exproprijs, ſecundum ex alienis. Primum nunc lucubremus. Si anima rationalis eſt apta eſſe in ſua materia ex 2. de anima 26. aut poſt ſeparationem eſt reditura in corpus iterum: & ſi reditura ſit in idem corpus, reſurrectio mortuorũ conceſſa erit, quam negat Ariſt. in primo de anima 41. Reditio quoq; eiuſdẽ corporis dabitur, quam reprobat in 2. de gen. c. vlt. Si reditura ſit in aliud corpus, tranſmigratio Pythagorica introducitur, inter fabulas repoſita primo de aĩa contex. 53. Si autem nũquam ſit in corpus reditura, fruſtra erit illa propenſio in ęternũ, quę nunquam ad actum reducetur. 2. Anima inſuper erit ſẽper imperfecta, ſi pars extra totũ eſt imperfectior, quã in toto. 3. Pluri tempore erit in ſtatu prętet naturam, quàm in ſtatu ſecũdum naturam, quod refragatur Ariſt. in 3. de cęlo 24. Num 226.

Reſpõſio duplex dari poteſt, prima ſi concedatur circulatio animarum, quę bifariam poni poteſt, vel vt aĩa migret de quocũq; corpore animabili in quodcunque, vt de corpore hominis in corpus leonis, aut cupreſſi: vel migret in corpus ſpeciei eiuſdem, vt de humano corpore occidente in corpus exoriens. Prior tranſmigratio de quolibet in quodlibet, tãquam fabula

la reiecta eſt ab Ariſtotele in primo de anima 53. *Hi*, inquit, *ſolum conantur dicere quale quid ſit anima, de ſuſceptiuo autẽ corpore nihil amplius determinãt: tanquam poſſibile ſit ſecũdum Pythagoricas fabulas quamlibet animam in quodlibet corpus ingredi; ſimiliter itaque dicunt, atque ſi quis dicat tectonicã in fiſtulas ingredi. Oportet autem artem quidẽ vti inſtrumentis, animam autem corpore. Videtur enim vnũquodque propriam habere ſpeciem, & formam.* Conſonat in 2. de anima 26. Itaque tranſmigratio animæ de corpore cuiuſcunque ſpeciei in corpus cuiuſcunque ſpeciei, omnino abſurda eſt, & Ariſtoteli reproba. Tranſmigratio ex corpore eiuſdem ſpeciei in corpus eiuſdem ſpeciei non videtur ab Ariſtotele refutata. Hanc opinionem Beſſarion, & Contarenus Cardinales, Lagalla, & Camutius eruditiſſimi Peripatetici amplexati ſunt in via Ariſtotelis. Ergo

Num 127. qua duratione à primo quo cõmunicatum eſt eſſe toti vniuerſo, communicatum eſt etiam eſſe, ac vinctæ plurimis animabus intellectiuis perpetuò duraturis. Harum aliæ in ſtatu coniũctionis, aliæ in ſtatu ſeparationis à corpore fuerunt; ſeparatæ, vt nouis corporibus vnirentur: coniunctæ, vt noua corpora generarent, ea naturæ lege, vt quę anima prior exierit ex humano corpore, prius in corpus reuertatur ordine circulari. Cui opinioni colorem aliquem probabilitatis ſequentibus capitibus afferemus ex Ariſtotele. Tunc ad argumentum. Dico animam ſeparatam redituram in aliud corpus humanum de nouo generandum ordine circulari. Neque hęc eſt fabula Pythagorica; ſed Ariſtotelica ſententia, quæ ponit determinatam animam in determinatum corpus, ſcilicet determinatum per ſe determinatio autem per ſe eſt ſecundũ ſpeciem, non ſecundum ſingularia ex 3. met. 11. in his, quæ sũt eiuſdẽ ſpeciei, non eſt hoc prius, illud poſterius. Seruatur ergo ſemper habitudo per ſe formæ ad per ſe materiã; licet habitudo peraccidens varietur.

Hanc opinionem tenendo plurimis liberamur anguſtijs ex æternitate motus emergentibus. Euitamus difficultates, ex primo de cęlo, & 9. met. vt orta occidant. 2. explicamus Ariſtotelem in 2. de gen. animalium ca. 3. ponentem, animam eſſe ante corpus, & extrinſecus aduenientem: atque ideò ex 12. met. 17. poſterius permanentem. 3. intelligimus, quare mens aduena dicatur in 2. de gen. animalium cap. 6. car. 1266. 4. euitamus infinitum animarum numerum: 5. Dogma de motus æternitate (ſi verè Ariſtotelicum ſit) hoc pacto cum animæ rationalis informatione, multiplicatione, & immortalitate defendere poterimus.

Si autem circulatio animarũ non arrideat, ſecunda reſponſio danda eſt, defendendo propenſionem animæ ad corpus perpetuam, ſemel tamẽ ad actũ reducendam tantùm. In cuius rei gratiam longa nobis diſcuſ- *Num* 128.

ſio

ſio futura eſt de propẽſionibus, ſiue propriis paſſionibus. Paſſionum propriarũ etenim alia ſimplex, alia diſiuncta; ſimplex eſt, quæ ſiue vna, ſiue pluribus vocibus exponatur, non conſtat ex oppoſitis: qualis eſt riſibilitas hominis paſſio, & æqualitas trium angulorum ad duos rectos, trianguli paſſio. Diſiũcta ex duobus oppoſitis conſtat per particulam diſiunctiuam connexis; cuius paſſionis exempla ſuggerit Ariſt. in primo poſt 35. *vt impar, vel par* eſt propenſio numeri diſiuncta: *rectum, vel curuum* lineæ.

Porrò paſſionum diſiunctarum varietas diligenter eſt, ne fallamur, indaganda. *Rectum, vel curuum* primò ineſt lineæ in communi, ſed ſub communi deſcendendo eadẽ linea ſingularis poteſt eſſe recta, vel curua, quẽadmodum, ſi rectam virgam incurues cum 4. meteor. ſum. 3. cap. 2. Mirabile hic elucet naturę arcanum; linea cęleſtis curua eſt perpetuò, nec poteſt eadem numero recta fieri vnquã, Ariſtotele duce: linea ſubcæleſtis poteſt eſſe modò recta, modò curua. *Impar, vel par* primò ineſt numero: ſi autem deſcendas ſub numero, ſiue in ſpeciem binarii, ſiue in ſingularem binarium, videbis vncam ſpeciem ſibi vendicare vnum membrum diſiuncti, & illud perpetim retinere; binarius quippe eſt par, nec poteſt eſſe impar, ternarius impar, nec poteſt eſſe par. Igitur *par, vel impar* ita inſunt numero, tanquam ſubiecto primo, vt nulli eidem ſub numero communi valeãt ſimul, aut ſucceſſiuè ineſſe; *rectum, vel curuum* inſunt quidem primò lineæ, ſed ſub communi deſcendendo eidem ſingulari poſſunt ambo ineſſe ſucceſſiuè.

Ariſtoteles in primo cap. de ſens. & ſens. quatuor coniugia oppoſitorum nobis exhibuit, vigiliam, & ſomnum: iuuentutẽ, & ſenectutem: expirationem, & reſpirationem: vitam, & mortẽ: In his autem paſſionibus diſiũctis ab Ariſtotele traditis, quædam oppoſita ſuſcipiunt alternationem, ſeu regreſſum, vti ſomnus, vel vigilia; animal nanque prius dormit, poſterius vigilat, rurſus dormit, & iterum vigilat. Similis alternatio eſt in expiratione, ac reſpiratione. Sed iuuentus, vel ſenectus alternationem non habent, iuuentus ſemel vni animali competit, ſemel ſenectus, nec eſt regreſſio: ſimiliter vita, & mors ſemel eidem ſingulari animali inſunt, nec alternatim redeunt. *Num* 129.

Ad hęc, in paſſionibus diſiunctis, quæ circa idem ſubiectum alternationem non recipiunt, quandoque vtrũque diſiũctum habet durationem finitam, vt iuuentus finito tempore durat à parte ante, & à parte poſt: ſenectus itidem. Quandoque autẽ vnum diſiunctum finitæ durationis eſt vtrinque, alterum infinitę durationis ex altera parte. Nam vita finito tempore conceditur animalibus, finito, inquã, ante, & poſt: mors verò finitæ durationis eſt à parte ante, infinitæ à parte poſt, ſi Ariſtoteli aſſentiamur in primo de anima

41. Ita materia prima iuxta 12. met. 7. poteſt formam, & priuationem diſiunctim ſuſcipere: propenſionem quidem habuit ad formam ſingularem Ariſtotelis, ſed eã annis tribus, & ſexaginta retinuit: at priuationẽ illius formæ æterno tempore eſt habitura. Venuſta proportio enitescit; quia enim materia, & forma ſunt propter totum, ſicuti natura dedit toti viuenti vitam determinato tempore, mortem perpetuo tempore duraturam: ſic etiam materiæ primæ concedit formam vitalem determinato tempore, priuationem illius formę tempore perpetuo. Eodemque modo diceremus de anima intellectiua, quæ informat materiam definito tempore, ſed abſque informatione infinito tempore durat.

Num 130. Præterea in enũtiatione pulcherrimũ eſt contemplari paſſionem illam diſiunctam, *verũ vel falſum*, vt miram varietatẽ participandę paſſionis diſiunctę enucleemus. *Verum, vel falſum* primò inſunt enuntiationi, atqui deſcendendo ſub communi quædam enuntiatio ſemper eſt vera, vt illa, *omnis binarius eſt par*: aliqua ſemper falſa, vt hæc *nullus binarius eſt par*; aliqua nunc vera, nunc falſa, vt iſtæ, *tu legis, tu ſcribis*. Sed in iſtis enuntiationibus, quæ varietatem vtriuſque diſiuncti recipiunt, quædam alternationem admittunt *veri, & falſi* prout illa, *tu legis*: quædam minime, vt iſta, *Ariſtoteles eſt genitus*. Si quis enim ante conceptum Ariſtotelem, illam enuntiationẽ protuliſſet, falſa proculdubio fuiſſet: at ubi ſemel conceptus fuit, illa propoſitio in ſempiternum vera erit. Falſitati detur tempus finitum, aut infinitum, negligo: veritati vtique tempus infinitum congruit; ita ſi de homine nunc viuente dicas, *Alexander eſt mortuus*, falsò dices: illo autem lucis vſuram ſoluente, perpetuò vera erit illa, *Alexander eſt mortuus*.

Num 131. Ad propoſitum applicemus. Intellectus humanus duos habet ſtatus, coniunctionis, & ſeparationis à corpore. Quare *coniunctio, vel ſeparatio* eſt paſſio diſiuncta intellectus noſtri (poſſet conſiderari hoc diſiunctum de forma in communi, vel de intellectu in communi, ſed non eſt opus) hæc paſſio poteſt eſſe in eodem ſingulari, ſicut ſomnus, & vigilia: ſicut rectum, & curuum: ſicut verum, & falſum. Quiſquis tenuerit circulationem animarum rationalũ, teneat oportet hanc paſſionem diſiunctam cum alternatione, nam idem intellectus coniungitur, aut ſeparatur infinities. Si autem circulationem neges (quę veritatis gratia eſt negãda) hæc paſſio erit ſine alternatione diſiunctorum, ſi naturalem vim ſpectes, quam Ariſtoteles eſt contemplatus. Deinde ſi coniunctio, vel ſeparatio ſine alternatione ſunt, ita ſunt, vt intellectus ſit in ſtatu coniunctionis cum materia, ſicut materia in ſtatu coniunctionis cum aliquo intellectu ſingulari per tempus finitum ante, & poſt: ſit autem in ſtatu ſeparationis, & intellectus

ctus à materia, & materia ab illo intellectu per tempus à parte ante finitum, à parte poſt infinitum. Ita quoque euenit in propoſitione de præterito, quæ verum habet infinitum à parte poſt. Ita in materia, ita in cõpoſito corruptibili, quæ habent corruptionem à parte poſt infinitam, ſeu priuationem. Qualis nanque eſt ratio totius, talis eſt ratio partium in ordine ad totum: at homo tempore finito vitam, infinito mortem ſubit: ergo & partes conſtitutiuæ hominis tempore finito coniunctionem habeant neceſſe eſt, tẽpore infinito ſeparationem, ſi ſunt perpetuæ.

Num 132. Neque dicendum eſt, quòd potentia, vel appetitus, vel propenſio ad actum ſit fruſtra: ſi enim nunquam exeat in actum, planè erit fruſtra: ſi autem tempore à natura conſtituto ipſi actui, potentia exeat in actum, fruſtra eſſe non poteſt. Natura talem indit aptitudinem ad actum, qualis eſt conditio ipſius actus, nam actus menſurat potẽtiam. Vt enim agitur vnumquodque, ſic aptum natura eſt: & vt aptum natura eſt, ſic agitur 2. phys. 78. quia igitur in omni cõpoſito ſubcæleſti coniũctio actualis formæ cum materia eſt temporalis, materia habet aptitudinem ad coniunctionem temporalem, qua habita expletus eſt appetitus materiæ: & quanquam appetitus ſemper maneat ſine regreſſu, fruſtra non eſt, quia exaturatus eſt. Aptitudo eſt inſeparabilis ab eo, cuius eſt: ſemper enim homo eſt riſibilis, non ſemper ridet. Semper materia eſt apta ad recipiendam formam ſingulatẽ Ariſtotelis, ſed ſemel recepit, non ſemper. Ita ex aduerſo, intellectus ſemper eſt propenſus ad cõiunctionem cum corpore: ſi ſemel ille appetitus expleatur iuxta naturæ leges, natura exaturata eſt: ſemper quidem propenſa ad coniunctionem, non ſemper coniuncta. Statui ſeparationis datur tempus perpetuũ naturali lege, quæ regreſſum non concedit à priuatione ad habitum.

Ad extremum. Fruſtra in tota ſpecie non conceditur, ſed in aliquot indiuiduis. Ita ſi aliqua anima intellectiua non informet, non propter hoc eſt fruſtra, quoniam ſemper plurimæ informant. Quanquam nec in indiuiduo fruſtra eſt, ſi quandoque propenſio ad actum reducta ſit.

Illud adiungo fortè non inutile. Cum duo ſint ſtatus intellectus humani: hoc nomen *anima* fortè ſignificat intellectum non abſolutè, ſed pro ſtatu cõiunctionis. Itaque anima, vt ſubſtantia per ſe exiſtẽs, ſemper eſt: vt ſignificatur per hoc nomen anima, non ſemper. Hoc ſi dicatur, facilè declaratur animę definitio ex lib. 2. tex. 6. & 7. conuenit enim animæ in ſtatu coniunctionis, nam tũc animat, non amplius. *Num* 133.

Neque, ſi intellectus ſeparatus habeat per ſe exiſtere, vt totum quoddam: coniunctus, nõ per ſe eſſe, ſed vt pars in toto, abſurdum eſt. Nam & Ariſt. in

3. de anima 20. docuit intellectum postquã fuerit separatus; fore *id quod est*, antea non fore. Si iste modus per se essendi, ac per se agendi cuipiam videatur dignior, non indignabimur: vterq; enim status ponetur ipsi animæ connaturalis, cum ad vtrunque membrũ disiunctim sit propensa, sicut linea ad rectũ, vel curuum. Imò Aristoteles probabilius ita diceret, quòd anima mediante statu imperfectiore partis, per tempus paruũ, ad statum perfectiorem totius perpetuò mansurum perueniat. Repeteret item dictũ in primo de anima 49. à se stare. *Melius est intellectui non esse cum corpore, quemadmodum, & consuetum est dici, & multis placet.*

Ex æternitate. Cap. XI.

Num 134. SEcundò, Ex æternitate motus, & mundi tale conficitur contra formam separabilem argumentum. Si anima rationalis est immortalis, quæro, in hoc momento quot animæ existant in rerum natura, finitæ numero, an infinitæ? Si infinitæ, dabitur infinitũ actu, quod Aristoteli refragatur in 3. phys. Si finitæ, tunc accipio saltem singulis centum annis præteritis vnam esse productam, cum dubium nõ sit, singulis quibusque diebus vltra mille homines generari, totidemq; in eis animas produci. Si ergo retrocedendo numerem ex vna parte animas, ex altera parte centurias annorum præteritas: cum numerus animarum sit finitus, tandem numerando consumam animas, centurias annorum non consumam, cum sit mundus ab æterno ex 8. phys. primo de cælo 2. de gen. 1. meteor. 12. met. Quamobrem sequitur, infinitum tempus præcessisse, in quo nullæ animæ rationales, nulli homines fuerint in vniuerso. Quod est absurdissimum Aristoteli, nempe vniuersum subcæleste sine præstantissima sui specie, infinito tempore extitisse. Si ergo absurdũ est consequens, absurdum est antecedens, quòd anima sit immortalis.

Gianninius lib. relato cap. 50. ita soluit. *Ego, vt quod sentio, liberè dicam, quid sit Aristotelicè respondendum, prorsus ignoro.* Soluit deinceps, argumentum secundum veritatem rectè, negando mundum esse ab æterno. Veruntamen Alexandrei triũphantes recipient hanc solutionem, clamabuntque, se, non quid fides vera doceat, sed quid Aristoteles sentiat asseruisse, atque victoriam reportasse, quã eis nunc apertè, semper tamen occultè concedit Gianninius.

Omnes Peripatetici hoc argumento torquentur, illud que *Num* 135. solnere nituntur, admoniti ab Aristotele in lib. de lineis insecabilibus grauissimè. *Verum absurdum est fortasse quempiam pro ignauia succumbere, propterea quod non audeat oblatas argumẽtationes dissoluere: atque sic imbecillitatem suam fouendo, grauioribus insuper fallacijs se decipere;* Veruntamen quoniam argumẽtum est subdifficile, in varia

præ-

ptęcipitantur abſurda.

1. Quidam concedunt infinitum actu in rebus incorporeis dari poſſe, vt Auicenna, Algazel, Scotus, & nouiſſimè Licetus lib. primo cap. 60. de animorũ immortalitate.

2. Alij ponunt vnum numero intellectum in omnibus hominibus, quod Themiſtio, & Auerroi viſum Vicomercatus, & Piccolom. amplexantur. Hi tenent animam rationalem, ſiue intellectum nõ eſſe informãtẽ, ſed præter eum eſſe aliam formam informantem in homine, & hanc eſſe mortalem.

3. Quidam animam eſſe mortalem aſſeruerunt, vt Alexander Aphrodiſeus; & quia Philoſophus aliquid immortale in homine poſuit; Alexander commentus eſt, Deum eſſe illud immortale vnitum homini. Sed Deus eſt vnitus omnibus rebus, nec ſolum illuſtrat hominem ad intelligendum, ſed etiam aſinũ ad ſentiendum; Quare hac ratione etiam in aſino aliquid immortale erit. Cum Alexandro ſunt Pomponatius, Zabarella, Gianninius.

4. Tranſmigrationem animarum ex corporibus intereuntibus in corpora noua, data æternitate, cõcedunt Beſſarion, & Contarenus, Lagalla, & Camutius.

5. Contradictionem in Ariſtotele inducunt in concluſione propoſita, & ex conſequẽti perpetuam dubitationem, Scotus, Caietanus, Gianninius cap. vlt. & Raguſeus diſp. 21. cap. 14. & 19.

Ego breuiter ad argumentum reſpondeo, Ariſtotelem non aſſeueraſſe mundi, aut motus æternitatem philoſophicè, & ex propria ſententia, ſed populariter, & ad pœnam Anaxagoræ præcauendam. Quo dato, fundamentum omnium difficultatum ſublatum eſt. Hanc autem eſſe Ariſtotelis mentem ſuo loco oſtendi. Sed ipſamet immortalitas in homine poſita, & ab omnibus Peripateticis incunctãter, & ſine controuerſia recepta, eſt vnum ex fundamentis contra æternitatem motus. Nemo enim hactenus potuit ſaluare mundi ęternitatem, & animæ rationalis immortalitatem ſine abſurdis grauiſſimis, & longè turpioribus, quàm ſit ipſa æternitas mundi. Quocirca ipſa æternitas motus neganda eſt ſecundum Ariſtotelem. *Num* 136.

Illud moneo, nos quædam diſputare ex hypotheſi, quædam reſolutè. Reſolutè ſuſtineo in Ariſtotele, motum, ac mundum non fuiſſe ab æterno, atque adeò animas intellectrices cum corporibus incipere, cum corporibus tamen definentibus non deſinere, ſed perpetuas fore. Ex ſuppoſitione poſſumus quęrere, ſi Ariſtoteles, poſuit ab æterno motum, & mundum, qua ratione ille commodiſſimè loqui potuerit iuxta ſua principia, in quibus principijs, vel placitis certiſſimum eſt contineri iſtud aſſertum, anima eſt immortalis. Hoc modo expendam vnam, vel alterã ex prædictis, aut alijs opinionibus. *Num* 137.

Alia quoque reſponſio ab æter-

terni mundi defęforibus datur. Si enim poscas, cum aliquis homo fuerit ab æterno, quot annos vixit? si asina prægnans ab æterno, quot annos vterum gessit? si finitos, ergo à tempore partus, vel mortis regrediendo ad æternitatem vsque est tempus finitum. Respondent, qui ab æterno fuere singulares homines, vel asini, *vixerunt infinito* tempore: sic asina prægnans fuit, infinito tempore. A tempore finito cæpit generatio, quia nihil transiens de non esse ad esse per generationem potest esse ab æterno. Hanc pro istis responsionem Scotus approbauit in 2. d. 1. q. 3. F. Satisque consonat Aristoteli in 12. met. 40. Vbi perfectum asseritur simpliciter prius imperfecto, vt homo semine. Hac responsione posita labascunt omnes de anima difficultates; nam primi homines, qui ab æterno fuerunt post infinitum tempus generarunt. A prima generatione vsq; ad præsentem, tempus est finitum, & homines multitudine finiti fuerunt: quare & animæ sũt actu finitæ, potentia infinitę.

An anima actu infinita dandæ. Cap. XII.

Num 138. EX datis responsis contemplor primum, distinguens de infinito corporeo, & incorporeo: per se, & per accidens. Vnde cõceditur infinitũ actu in rebus incorporeis per accidens ordinatis, quales sunt animæ; nam per 3. met. 11. in his, quæ sunt eiusdem speciei, non est hoc prius, illud posterius. In rebus corporeis infinitum actu depulsum fuit ab Arist. in 3. phys. in primo de cælo, & 11. met. Infinitum actu in rebus incorporeis, & per se ordinatis, quales sunt cælorum motores immobiles, reprobatum est ab Aristotele in 8. phys. 34. Sed ponentes animas infinitas diuisi sunt, quidam ponunt eas de nouo incipere, vt Arabes nonnulli, cum quibus videtur sentire Burleus in 8. phys. Quidam sustinent ab æterno fuisse infinitas animas intellectiuas, quæ in corpora recens genita descendunt, singula in singulum corpus, mox abscedant, corrupto corpore, nunquam reuersuræ.

Nolim ego responsiones, quæ defendunt, euertere: volo tamẽ difficultates, vt excutiantur proponere. Aristoteles vtique refutat infinitum actu in rebus corporeis: tamen in 3. phys. 40. in ratione logica, quæ est communis, refutatur infinitum, non ex ratione corporei, vel incorporei: sed ex ratione numeri, & infiniti, quia omnis numerus est numerabilis, infinitum est innumerabile, ergo nullus numerus est infinitus. Audiamus Philosophum. *At verò*, inquit, *neque numerus sic, vt separatus est infinitus: numerabile enim est numerus, aut habens numerum. Si ergo numerabile potest numerari, & pertransire vtique possibile esset infinitum.* Quæ ratio repetita est in 11. met. sum. vlt. cap. 2. Si ergo in animabus separatis est numerus infinitus, ille poterit, pertransiri,

ſiri, & erit finitus. Quare non ſine cauſa Dandinus multitudinem infinitam conceſſit, infinitum numerum non conceſſit, vt hanc Ariſtotelis authoritatem euitaret. Cæterùm Ariſt. & hoc præſidium ſuſtulit in loco dicto 11. met. ſcribens *Quo nam modo continget eſſe per ſe ipſum infinitũ ſi nec numerus, nec magnitudo ſit, quorum infinitum paſſio eſt?* Tunc argumentor. Nihil eſt infinitũ, quod non ſit magnitudo, vel numerus: ſed multitudo animarum infinita non eſt magnitudo neq; numerus per ſe, ergo multitudo infinita non eſt infinita, quod eſt abſurdum.

Num 139. 2. Vlteriùs, in 12. met. cõ. vlt. c. 3. ſcribitur. *Iã vt finitum, aut infinitum neceſſe eſt numerum eſſe, numerũ enim ſeparatum faciunt. Quare non eſt poſſibile non eſſe horũ alterum. Et quidem quod infinitum eſſe non contingit: patet, infinitus enim nec par, nec impar eſt; generatio vero numerorum, aut imparis numeri, aut paris ſẽper eſt. Cum enim vnum hoc non cadit in parem, impar efficitur; cum verò hoc modo dualitas incidit, qui ab vno duplicatur, ſic autem imparibus, aliud par.* Quæ authoritas Ariſtotelis cum ratione iuncta refellit numerũ infinitum in ſeparatis, quia nec par, nec impar eſt. Quare Piccolomineus cõcedens numerum nec parem, nec imparem, vt defenderet mundi æternitatem, cũ Ariſtotele non eſt locutus.

3. Præterquam quod ſciſcitabor; quot animæ informauerint materiam hactenus? Infinitas dices: quot in poſterum ſunt informaturæ? Infinitas dices. Ergo erit vnum infinitum extra aliud: quod reprobatur in ſimili ab Ariſtotele in 3. de cælo 52.

Item ex duobus infinitis fiet vnum infinitũ maius, & infinitũ poterit excedi, quod eſt abſurdũ.

4. Amplius, in rebus infinitis non eſſe ordinem, docet Philoſophus 8. phyſ. 15. Nullo igitur ordine, hæc anima potiùs, quàm illa deſcendet in corpus, Natura verò eſt principium ordinis, ergo deſcenſus animarum in corpus, nec naturalis, nec ordinatus eſt.

5. Si animæ ſunt aptæ informare corpus, conſpicuum eſt aliquas animas nunquam eſſe informaturas, quia infinitum nõ poteſt abſolui. Item in omnibus animabus pluri tempore erit, quod eſt præter naturã, ſcilicet non coniungi corpori, vel non informare. Inſuper, ſumpta multitudine infinita, quæ vſq; ad hoc inſtans informauit, nouæ animæ in poſterum informabunt, ergo animabus iam ſeparatis infinitis, fiet additio. Fortè non eſt abſurdum in ſucceſſiuis partibus acceptis infinitis, concedere additionem, quia illę partes, quę actu ſunt, finitę ſunt: ſed partes infinitæ permanentes, ſunt actu infinitæ; at infinito actu fieri additionem, eſt per difficilè creditu; Nec euitas, diſtinguendo de infinito à parte ante, & poſt; quoniam poſtulo de animabus actu exiſtentibus in hoc inſtanti, quæ iam à corpore receſſerunt, quot ſunt? ſed in vno inſtanti fingere non licet

Num 140.

an-

ante, & post. Ad hęc, in his, quæ simul manent, non inuenitur, ante, & post: nam quæ sunt simul, non habent prius, & posterius: sed animæ hucusque separatæ sunt simul in eodem instanti, & de illis verum est dicere, quòd sunt infinitæ; ergo non sunt infinitæ, vel finitæ secundum prius, & posterius.

Amplius in his, quorũ esse est in in ordine secundum prius, & posterius, congruum est considerare prius, & posterius; sed in numero, cuius partes simul existant, velle distinguere de ordine secundum prius, & posterius, est ipsum quantum in ad aliquid commutare cum figura dictionis: numerus etenim est in genere quantitatis, ordo in genere relationis.

Si cui tamen placet concedere actu infinitum, is exosculetur talem responsionem. Ego non possum intelligere, quòd infinitum infinito sit maius. Potest ad hoc legi etiã Raguseus disp. 21. cap. 16.

Vnitas intellectus in omnibus hominibus expenditur.
Cap. XIII.

Num 141. PRopter æternitatem motus & animæ incorruptionem statuendam, statuitur vnus intellectus in omnibus hominibus. Vnum esse intellectum in omnibus, siue ille sit Deus, siue aliud à Deo, prolixa tractato est; sed adeò absurda, vt melius sit eam inter exoletas opiniones relinquere. Contrarietas & opinionum, & morum in hominibus apertè refellit vnitatem intellectus. Qui etiam ponunt vnum intellectum dicũt animã informantem esse mortalem, nam fallaci voce, dum videntur animam intellectiuam immortalem dicere, dicunt mortalem esse illam, quæ est forma informans hominem. Deum autem vel intelligentiam dicũt esse immortalem. Qua ratione, si Deus est vbiq;, etiam anima asini, & vespæ erit immortalis. Certè phantasia asini nõ cognoscit sine concursu Dei agentis, sicut nec intellectus hominis.

Prętcrea, hic vnus intellectus nũquam erit in statu separationis, sed semper cõiunctus omnibus hominibus: non ergo erit aliquando separatus, neque *id quod est*, prout Aristoteles dixerat: quod supra tetigi.

Item hic vnus intellectus, destructo vno corpore, non est in eo: altero corpore nato, est in eo: ergo incipit esse, & desinit esse in hoc, quare intellectus vnus migrat de corpore in corpus, quod apud eos vix esse potest sine mutatione.

Concedunt item in homine, præter materiam, formam, & compositum, aliam substantiã.

Insuper duas formas hominis astruunt, vnam informantẽ, alteram astantem.

Insuper duplex intelligere erit in homine, vnum vt operatio animę proprię, alterum, vt operatio Dei, vel illius intellectus vnius.

Ad hęc, ille vnus intellectus, *Nota* 142. siue Deus, siue intelligentia ponitur alligatus phãtasmatibus, nec

nec enim poteſt non illuſtrare phantaſmata humana; & alia multa, quæ ſuperius tacta ſunt num. 52. & à viris doctiſſimis lucubrata. Quæ cum ita ſint, dico eos, qui cum Ariſtotele aſtruunt animam rationalem eſſe mortalem, eſſe omninò repuendos. Etenim textus Ariſtotelis inuictè conuincit Peripateticos ad ponendum in homine aliquid immortale præter materiam primam. Si autem diſcordent in declarando illo immortali, vt ſit vel Deus, vel intelligentia, vel anima, vel pars animæ, hoc non eſt ex Ariſtotele, ſed ex illorum opinionibus præiudicatis: quare dicam eis Ariſtotelis ſententiam ex 13. met. ſũ. vlt. c. 3. *Quòd ipſi primi de numeris diſcordant, ſignum eſt ipſas res, cum non ſint veræ ipſis præbere confuſionem.* Cur obſecro, ſi ſola anima rationali poſita cum humano corpore, poſſumus habere hominem, non acquieſcimus. Hominis natura, & ſubſtantia diuina eſt: huius naturæ officium eſt intelligere, & ſapere; ergo fruſtra ad habendum ipſum intelligere, & ſapere aliam ſubſtantiam: vnam in omnibus hominibus quærimus.

Reſponſio vltima ad præcedens argumentum. Cap. XIV.

Num 143. DVm Bononiæ naturalem ſcientiam docerem, creberrimè à diſcipulis inſtigatus, vt hoc argumentum ab æternitate motus petitum, ſoluerem, anno 1614. in eam veni opinionem, vt Ariſtoteli concedenda fuerit circulatio animarum rationalium in corpora humana tantùm, quemadmodum ſuperius declaraui, num. 120. Ad hoc roborandum pono has aſſertiones.

Prima. Circulus eſt ab Ariſtotele poſitus in rebus generabilibus vniuerſaliter, ad eorum perennem conſeruationem ex lib. 2. de gen. & corrup. cap. vlt. Specialiter in 4. de gen. animalium cap. vlt. aſſeuerauit Philoſophus animalium ortus circuitu cæleſti gubernari, nempe vt ſubcæleſtia, cæleſtem circulationem imitentur. Porrò quæ ſunt perpetua, eadem numero redeunt: quæ fũt caducas redeunt eadem ſpecie. Ergo quia corpora humana ſunt corruptibilia, redeunt eadem corpora ſpecie, non numero: quia rationales animæ ſunt indefinentes, eædem numero ſecundum circulum reuertuntur. Quare ſic ſtatuo. Primum efficiens ab exordio vniuerſi communicauit eſſe, & viuere animabus intellectiuis, multitudine finita quidem, ſed maxima. Sed animarum aliæ ſunt factæ in corpore, tanquam egreſſuræ ex corpore veteraſcente: aliæ extra corpus, tanquam ingreſſuræ in corpus naſcens: hac lege naturali, vt animæ prius egreſſæ, prius ordine circulari in corpus nouum regrediantur.

Secundas. Tranſitus animarũ in quodlibet corpus cuiuſcunque ſpeciei poni non debet, ex primo de anima 53. nec enim quælibet forma in quãlibet materiam, neque anima quælibet *Num* 144.

in quodlibet corpus recipi potest. Vniuscuiusq; enim actus in determinata materia aptus est fieri 2. de anima 26. Nec in alio sensu Arist. reprobat opinionem Pythagoricam, nisi quia animã quamlibet, ut puta rationalem, in quodlibet corpus, vt bruti, vel plantæ transmigrare assereret. Transitus animarum rationalium in corpus humanum determinatæ speciei, non videtur ab Aristotele reprobatus.

Tertia. Per se ordo est inter speciem, & speciem, non est inter singulare, & singulare, vt indicatum est in 3. met. 11. Obseruemus hoc in materia prima, cuius vna portio demonstrata, & signata prius est sub forma ignis, secundò transit ad formam aeris, & iterum remigrat ad formam ignis, nõ eandem numero, sed aliam. Illa portio materiæ signata dicatur A. quæ cum forma præcedente ignis, constituit vnum compositum per se vnum, scilicet ignem præcedentem: deinde cum forma sequẽte ignis constituit aliũ ignem singularem per se vnum. Vbi vides materiam primam signatam non habere per se habitudinem ad primam ignis formam, vel ad secundam, vt sic; quoniam tunc, cum vna illarum constitueret per se vnum, cum altera non. Sed habitudines per se conueniunt primò vniuersali, & quasi per accidens huic, vel illi singulari. Ita habitudo materiæ ad formã ignis in specie est per se: ad hanc, vel illam formam, vt huiusmodi, est per accidens. Sed quod est per accidens non vitiat illud, quod est per se. Eodem modo dico, vnam animam numero, quæ cũ vno corpore constitueret vnum per se hominem, recurrente vice sua, transire in corpus nouũ, & constituere alium hominem numero per se vnum. Quia scilicet semper conseruatur eadem per se ratio actus in anima rationali, & eadem per se ratio potentiæ in quouis corpore humano, quãuis accidentariæ cõditiones euarient. *Num* 145.

Nouissimè hanc opinionem per me excogitatã, cõperi fuisse à Bessarione, & Cõtareno, & Lagalla, & Camutio, inclytis viris indicatam: ob quorum authoritatẽ virorum vehementer sum exhilaratus. Qua opinione data, pauciores patiemur angustias. Non enim concedimus duas formas astantem, & informantem in homine: non vnum intellectum in omnibus hominibus: non animam rationalem esse mortalem: non infinitum actu numerum animarũ. Si cõparemus incommoda, quæ ponuntur, defensores vnitatis intellectus ponunt tres errores, primum, quòd intellectus sit vnus in omnibus: secundum, quòd anima rationalis informans sit mortalis: tertium, quòd intellectus ille vnus migrat de corpore intereunte in corpus nascens. Ex his solam transmigrationem recipio. Qui ponunt animas infinitas, ponunt infinitum actu, remouent ordinem in animabus: ponunt illas omnes ab æterno. Ab his solam æternitatem accipio. Etenim

nim conceſſa motus æternitate ineuitabile eſt, non errare circa animam rationalem: quare aut neganda eſt æternitas motus cũ Ariſtotele, aut ea data minor error eſt Ariſtoteli aſcribendus. Quatenus ergo Philoſophus in primo de anima 53. & 2. de anima 26. reprobat migrationem animarum, eam reprobo: quatenus non reprobat, ſequar.

Num 146. Profectò animam intellectiuam ante corpus eſſe, & extrinſecus accedere aſſertum eſt in 2. de gen. ani. c. 3. Idẽ autem eſt dicere in 12. met. 17. quòd anima poſterius manet, & quod ſit ante; ſi illud quod eſt incorruptibile eſt ingenerabile. Hac opinione cõceſſa facillimè euertuntur duo vltima argumenta, & multa præcedentia.

Fortè ſciſcitabere. Si anima rationalis, quæ eſt in me & te, fuerunt eædem in corporibus præcedentibus: quarè non reminiſcimur eorum, quę anima geſſit in alio homine? Ariſtoteles in 3. de anima 20. ſatisfacit dicẽs *Non reminiſcimur autem; quoniã intellectus paſſiuus corruptibilis eſt; et ſine hoc nihil intelligit.* Nota ſubiectum quæſiti *nos*: nota prædicatum, *reminiſcimur*: nota medium dicens propter quid *intellectus paſſiuus, ſine quo non*. Reminiſcentia, & memoria non ſunt ſine maginatione; & intellectus non intelligit quicquam eorum, quæ pertinent ad reminiſcentiam ſine imaginatione. Imaginatio, quæ eſt intellectus paſſiuus præcedẽtium hominũ, corrupta eſt; & ſine imaginatione illa præcedente, non poteſt ille intellectus, qui eſt immortale, & æternum, & impaſſibile in nobis exiſtẽs, intelligere aliquid reminiſcibile. Sic in primo de aĩa 66. aſſeritur, quòd corrupto habente corpore, intellectiuum non meminit, neque amat: quia iſtæ operationes, vel paſſiones non erant ipſius intellectus, ſed ipſius communis habentis.

Poſtulabis ingenioſè. Hæc ratio eſt de obliuione geſtorum in alio corpore: ſed quare non recordamur ſaltem geſtorũ extra corpus. Reſpondeo, quoniã intellectus poſſibilis innaſcitur in corpore, ſicut tabula, in qua nihil eſt pictum 3. de anima 14. iure ex proportione materiæ. Materia quippe non recipit formam nouã, niſi veteribus abiectis, vt nuda accedat ad nudam (ſaltem in formis diſparatis) ita intellectus acceſſurus ad corpus denudatur ab accidẽtibus oppoſiti ſtatus, nempe ſeparationis. Ratio quoq; iſtius ſtatus coniunctionis hoc exigit ſcilicet propter ordinem potentiarum cognitiuarũ in agendo, ſicut in eſſendo. In eſſendo materia eſt propter formam, corpus propter animam. In agendo actio corporis eſt propter actionem animæ, & actio formæ ſenſitiuæ propter actionem formæ intellectiuæ. Hęc cum ita ſint, neceſſarium eſt intellectiones, & habitus animæ ſeparatæ in iterata coniunctione deleri: ne anima occupata circa obiecta ſecum aduecta, naturalem famulatum reſpueret. Hactenus ad hoc argumentum, & reſolutè, & ex hypotheſi dictum *Num* 147.

ctum. Ex quibus responsionibus resolutè loquendo primã amplector, ex hypothesi vltimam istam. Atque in re præclarissima, ex vestigiis ab Aristotele detectis illa sufficiat attuliſſe, quibus forma separabilis in cõmuni, & in speciali est deprehensa pro viribus. Cum tamen ex formis re separabilibus duæ classes, possint instrui, vna illius formæ, in qua esse separabile, & separatum simul sunt, quales sunt intelligentiæ: altera illius, in qua separabile inest quandoque, quandoque separatum, qualis est anima intellectu ditata; prior classis controuersiã non magnam habet, ideoque à nobis ommittitur in præsentiarum: posterior exagitata est, quoad fieri per me potuit, exquisitè.

****
§§§§§
§

VE-

VESTIGATIO PERIPATETICA VII.

De numero Prædicamentorum. Cap. I.

Prædicamenta cur ſint inuenta, à quo, & quot.

Num 1. HVmanæ menti cognoſcenda primò ſe ſe offerunt confuſa, ex multis, ac varijs rerum generibus congeſta. Quæ verò ſimul confuſa ſunt, ſimul diſtinctè percipere non eſt poſſibile, ſed ſigillatim ſecernẽdo alterum ab altero, ea principia per reſolutionem innoteſcũt diſtinctè, ex quibus tota illa per compoſitionem conſtiterant. Vt autem hæc diſtincta cognitio faciliùs poſſet comparari, ſaluberrimo conſilio, omnibus veritatis amatoribus maximè profi-cuo, Architas Tarẽtinus Pythagoreus res omnes in decem coordinationes diuiſit, quas Ariſt. Cathegorias, nos Prædicamenta, nuncupamus. Itaque ſi nobis quantitas, qualitas, actio, paſſio ſint obuiam, cæteris non conſideratis, qualitatem ſolam, eius que differentias, ſpecies, affectiones, principia, & alia omnia qualitati cognata ex ea ſola coordinatione explorabimus, ac diſtinctè percipiemus: eademque ratione de cæteris cõtemplatione inita, illam, quam ſummopere optamus, diſtinctam veritatis cognitionem, nãciſcemur. Verùm & ſi omnibus probata fuerit Architæ excogitatio de rerum ordinibus: de numero tamẽ, multitudine ve ordinum, non omnibus probata fuit ſẽtentia quoniam demõſtratum non fuit, cur prædicamenta decem potiùs, quàm plura, vel pauciora eſſent afferẽda. Architas enim Pythagorico more, tanquã enutritus in mathematicis principia numerorum applicat generibus rerum, vt vniuerſitas rerum vniuerſitate numerorum comprehendatur; quod in Pythagoreis animaduertit Ariſt. primo met. ſum. 2. cap. 3. Simplicius quidem in expoſitione illa eruditiſſima, & copioſiſſima, quam in prædicamenta Ariſtotelis conſcripſit, Architę rationem ex illius libro tranſcripſit talem. *Nam*, inquit Architas, *omnem artem, & ſciẽtiam eſſe vnam rem ordinatam, & diffinitam: & talis in numero determinatur, & vniuerſus totuſq; numerus eſt ille denarius. Meritò ergo omnia in decem diuiduntur, & omnes ſpecies decem ſunt, & ſpecifici numeri decem exiſtunt. Item meritò extremitates corporis decem partes habẽt, & elementa omnis orationis decẽ ſunt.* Num 2.

sunt. Sed hoc etiam per inductionem confirmari potest. Nam licet his, qui quidnis ens in promptu habent, videre quomodo in vnum aliquid horum generum collocetur. Quæ Architæ ratio ijs exposita est reprehensionibus, quas Arist. in 2. de cælo tex. 72. & in primo metaphisicę loco superius notato protulit. Res enim ad opinionem accommodant, non opinionem ad res. Arguunt ab extraneis, scilicet abstractis rationes ad res sensiles concretas re, & ratione, & ad secretas re, & ratione. Neque inductio illa est prorsus efficax; nam si quatuor genera tantum ponantur, substantia, quantitas, qualitas, respectus, (vt quidã censent) omnia reuocabuntur ad quatuor. Qui etiam duas coordinationes tantùm ponerent, substantiæ videlicet, & accidentis: ad eas entia omnia reducerent.

Num 3. Plato, & Aristoteles, asserente Simplicio eadẽ prædicamenta, quæ Architas inuexit, atque totidem receperunt. Suarez tamen ex Philebo Platonis quatuor Platoni rerum ordines acceptos asserit. Sed cum Aristoteles librum de prædicamentis cõposuerit: Athenodorus, Cornutus, Lucius, Nicostratus, ac Xenocrates, Græci aduersus Aristotelem conscripserunt, reprehendentes hanc diuisionem in decem rerum ordines, quia vel superfluam, vel diminutam, vel falsam sint arbitrati: in qua genera alia pro alijs sint substitutura. Stoici quoque quatuor genera duntaxat recipiunt, scilicet substantiam, qualia, aliquo modo se habentia, & aliqua modo se habentia ad aliquid. Sed isti extra Peripatum sint, quibus respondent Porphyrius, Dexippus, Simplicius, & fortè ipse Aristoteles (vti Simplicius citat cat. 16. & Porphyrius in prædicamenta cap. 43.) in operibus, quæ iniuria temporum periere. Inter Peripateticos quoque iurgia non cessant. Nã clarissimi Peripatetici, Herminus videtur plura desiderare, Andronicus pauciora, nempe ens per se, & ad aliquid, scilicet vnam coordinationem absolutorum, aliam relatiuorũ adornãs. Opponit Simplicius, quòd Arist. vbique hac multitudine generum vtitur, & non addit, neque aufert.

Inter Arabas Auicennas, inter latinos Ioan. Duns Scotus magni viri, putant eam partitionem in decem genera non ratione demonstratiua probatam, sed maiorum authoritate recipiendam, quando non potest demonstratione certus numerus ostendi. Sanè neque facilè recipienda sunt aliorum dicta, neque facilè reijcienda, sed rationis lance adhibita; vbi autem ratio non compellit, probabile est, & æquum authoritate sapientissimorum virorum niti. *Auic. apud Scot. 5. me. q. 5. vt de Sco. quol. 11. I. & 4. d. 13. q. 1. c.*

Num 4. Cæterùm neque authoritate, neque ratione quidam exterriti sunt, vsque adeò auidi veritatis inueniendæ, vt iam prædicamenta ad quatuor redegerint. Ita Iacobus Pauesius in prima disp. met. cap. 27. car. 14. litera D. & idem clariùs docet 2. disp. cap.

cap. 17. cat. 26. litera H. Substantiæ, quantitati, qualitati, & relationi eam concessit dignitatem, vt sint suprema genera: *Cætera verò*, inquit, *genera, verè suprema genera non sunt, nisi secundum famositatem; sunt enim trium generum species, ad quæ reducuntur*. Ita Suessanus in 5. met. disp. 7. diuisionem in 10. genera probabilem dicit; sed in suis iudiciis referēte Toleto super prędicamēta q. 1. de prędicamētis in communi, quatuor approbat, substantiam, qualitatem, quantitatem, ad aliquid. Petrus Hurtadus de Mendoza disp. met. 8i sec. 2. totam hanc rem cōtemnēs, modo secat substantiam in duo prædicamenta, scilicet substantiam increatam, & creatam; nisi velimus in eodē prædicamento substantiæ etiam Deum collocare; quòd si fecerimus, tria prædicamenta statuit 1. substantiam 2. accidens absolutum, 3. accidens modale. Tertiò reducit ad duo prædicamenta, substantiam, & accidens, & subdit. *Hæc de prædicamentis dixerim, vt videatur, quam parui sint momenti hæc, quibus dialectici totis viribus, ac vita rota incumbunt; locuturus tamen sum cum multis*.

His excitatus sum, non quidē ad disceptandum contra aduersarios Aristo. sed ad vestigandum, quid nam re vera Aristoteles senserit circa numerum prædicamentorum; non enim sine causa Peripateticos hosce maximè exercitatos ambigere credam: alioqui si in Aristotele esset firma doctrina de prædicamentis quot, & quæ sint, saltem alienos à Peripateticis iudicaremus aduersarios, & intra Licēum pace, atq; concordia frueremur. Age, vestigemus ex Philosophi libris ipsius opinionem, postea etiam rationem aliquam si apprehēdere poterimus, quæsituri ad numerum Aristotelicū statuendum.

Opinio Aristotelis exponitur, & probatur. Cap. II.

IN coordinationum multitudine exquirenda, distinguo libros Aristotelis in scientificos, & probabiles; scientifici sunt accuratè, vt par est, conscripti, & ferè acroamatici nuncupantur; in quibus plerunque sententiam suam auditoribus, ac lectoribus philosophicè explicat. Probabiles sunt pinguiore Minerua compositi, clariore stilo, aliorum placitis sępius respersi, & vulgaribus opinionibus. Qui libri solent exoterici nuncupari. Illi ad veritatem, & scientiam, hi ad probabilitatem & opinionem tendunt. Quando igitur Arist. in libris probabilibus loquitur, decem enumerat cathegorias easdem, quas numerauit Architas. Quando autem in libris scientificis, octo tantùm cathegorias solet recensere: quæ cum textibus ipsius productis ostendero, Peripateticis cęteris iudicāda remittam. *Num* 5.

Primò in libris probabilibus, & clarioribus decem enumerat. Nam in primo topic. c. 7. scribit. *Post hæc oportet determinare genera prædicamentorum, in qui-* *Num* 6.

quibus sunt quatuor dictæ differentiæ. Sunt hæ autem numero decem. Quid est, quantum, quale, ad aliquid, vbi, quando, situm esse habere, facere, pati.

Secundus locus, in quo decē refert, est in lib. Cathegoriarum cap. 5. Ait quippe. *Eorum, quæ secundum nullam complexionem dicuntur, vnumquodque aut substantiam significat, aut quantum, aut quale, aut ad aliquid, aut vbi, aut quando, aut situm esse, aut habere, aut agere, aut pati.* Neque plura mihi occurrunt loca, quæ habeant decem numero prædicamenta. Liber verò prædicamentorum, & à Simplicio ipso, & ab alijs communiter tanquã introductorius, & minus exultus recipitur.

Num 7. Secundò ex libris scientificis aliquantò robustiùs, diligẽtiusque est Aristoteles mens vestiganda. Prodeat primus liber post. tex. 148. In quo Aristoteli propositum erat iacere fundamenta ad probandum, quòd in prædicatione simpliciter, idest naturali, non est processus in infinitum. Vt autem prædicationis naturalis status ostenderetur, supponit statum, definitumque esse numerum prædicamentorum in hæc verba. *Supponatur itaque prædicatum prædicari semper, de quo prædicatur simpliciter, sed non secundum accidens: sic enim demonstrationes demonstrant. Quare aut in eo quod quid est, aut quod quale, aut quantum, aut ad aliquid, aut faciens, aut patiens, aut vbi, aut quando, cum vnum de vno prædicatum fuerit.* Enumera, solers lector, & octo duntaxat repeties, non plura, neque pauciora; idque in loco vbi numerus finitus, determinatusque prædicatorum, & prædicationum simpliciter, & naturaliter vsurpatarum ponitur in gratiam demonstrationis.

2. Ad idem textus est in eodē lib. primo post. 151. particula. Probat Arist. in prædicatis naturalibus non procedi in infinitum. Prædicatum enim vel significat essentiam, & quid est subiecti, vel accidens; si essentiam erit genus, vel differentia, quare dabitur status, alioqui aliquod ens non posset definiri. Si accidens, aut ascenditur in eodem genere, & prædicata erunt in quid de tali accidente, dabiturque status, ob rationem dictam. Si in diuerso genere, genera sunt definita, scilicet octo, ergo dabitur status in omni prædicatione naturali, & simpliciter. Cum ergo de substantia dixisset, agit de accidentibus, *Hæc autẽ*, inquit, *determinata sunt, & genera prædicamentorũ determinata sunt, aut enim quale, aut quãtum, aut ad aliquid, aut faciẽs, aut patiens, aut vbi, aut quãdo. Suppositũ autẽ fuit vnũ de vno prædicari*: Lege, relege, præter substantiam, cui tanquam subiecto primo primus locus datus est, septem accidentium prædicamenta solũmodo colliges, & octo in vniuersum; idque in loco vbi de ipso prædicamentorum definito numero tractabatur. Scimus, quando fit argumentum ab insufficienti enumeratione, incidere sophisma con-

conſequentis. Exemplum eſto: omne animal aut eſt aquatile, aut volatile; aſinus eſt animal, & non aquatile, ergo volatile. Ita ſi Ariſt. duo prædicamenta ommiſit, cum omnia eſſent numeranda: ſophiſma pro demõſtratione, vel ratione probabili contexuiſſet. Semper nanq; aduerſarius exprobraret, ſicut hæc duo ommiſiſti, ſic & alia in infinitum. Ex hoc etiam loco apparet Ariſtotelem certa ratione alicubi comprobaſſe numerum prædicamentorũ, quanquam temporum iniuria illa ratio ad nos nõ peruenerit. Nec enim tanquam certum aſſumpſiſſet, quòd certa ratione non roboraſſet; etenim ex incertis propoſitionibus, certam concluſionem probare, eſt principium petere, ex 2. priorum cap. 21. Quibus locis primi poſter. deſiderauiſſem in Themiſtio, Philopono, Auerroe, Zabarella, Toleto, diligentiam in enumerando; aiunt enim prædicamenta poni 10. Accidentiũ ſcilicet, nouem, vnum ſubſtantiæ; ſed cum textu recenſent octo duntaxat.

Num 8. Tertiò, textus ex libro 5. de phyſica auſcultatione nobis offertur contextibus 9. & 10. Philoſophus illic oſtendere nititur motum eſſe ad tria prædicamẽta, nempe quantum, quale, vbi. Hoc autem probat ſyllogiſmo hypothetico diuiſiuo à ſufficienti enumeratione; ſi omnia prædicamenta ſunt octo, & ad quinque iſtorum non eſt motus, ergo motus eſt ad reliqua tria tantũ. Legamus textũ 9. *Si igitur prædicamenta diuiſa ſunt, ſubſtantia & qualitate, & vbi, & quando, & ad aliquid, & quantitate, ipſo agere, & pati: neceſſe eſt tres eſſe motus, eum, qui quantitatis, & eum, qui qualitatis, & eum, qui ſecundum locum eſt.* Pergit deinceps per ſingula aliorum quinque probans ad ſubſtantiam, ad aliquid, agere, pati non eſſe motum, nam ipſum quando eſt vel motus, vel paſſio motus. Colligitque in textu 18. ſummã probationis. *Quoniam autem neque ſubſtantiæ, neque ipſius ad aliquid, neque ipſius facere, & pati: relinquitur ſecundũ qualitatẽ & quantitatẽ, & vbi motũ eſſe ſolũ.* Rurſuſq; ex ſcientificis phyſicorũ libris duos textus habuimus, in quibus octonarius prędicamentorum numerus non exceditur. Certè præterire aliquid in diuidendo maximum vitium eſt, vt Cicero. inquit: inſufficienter enumerare in argumento turpe ſophiſma eſt; quamobrem ſi nolumus fateri Ariſtotelem tùm diuidendo, tùm arguẽdo peccaſſe: neceſſũ eſt nos fateri ſciẽtificè ab eo fuiſſe recepta octo prædicamenta, non plura. *primo offici.*

Maximè verò primi philoſophi intereſt prædicamẽta diſtinguere ſufficienter, quoniam primi philoſophi eſt agere de ente, & de ſpeciebus, ſiue partibus entis ex 4. met. 1. ac 2. quæ ſi ca in 5. met. textibus 13. & 14. Ariſt. diſtinguit ens, in ens per ſe, & in ens per accidens: ſecũs ens per ſe in octo prædicamẽta. *Per ſe verò*, inquit, *eſſe dicuntur, quæcunque ſignificant prædicationis figuras; quoties enim dicuntur,* *Num 9.*

toties ipsum esse significant. Cum ergo eorum, quæ prædicantur, quædam ipsum quid est significent, quædam quale, quædam quantum, quædam ad aliquid, quædam facere, aut pati, quædam vbi, quædam quando: horum cuique idem ipsum esse significat. Si vspiam debuit Arist. diuisionem generum entis primorum exactissimam facere, iste locus erat selectus, & appositissimus, neque enim vnquam alibi enumerat in metaphysica integram diuisionem entis per se, nisi hoc in loco; sed hoc in loco, vt constat, octo solùm reposuit, non plura.

Num 10. Respondit Cõmentatur, duo nempe situm & habitum breuitatis causa fuisse prætermissa. Refellit Antonius Andreas in cõmentario illius textus: *quanta, scilicet prolixitas erat futura, si dixisset duo vocabula, & ea maxime necessaria? Præsertim cum in tota metaphysica non inueniatur aliquãdo decem enumerasse.* Scotus quoque in 5. met. q. 5. respuit hanc responsionẽ, quoniã nulla est existimẽda esse verborũ prolixitas, vbi verba necessaria sũt exprimẽda. Profectò de prædicamẽtis agimus, vel prout sunt res inter se ordinatæ in quid, vel prout per intellectum ordinãtur secundum subiectionem, & prædicationem, vel prout sunt voces primæ rerum significatrices; sed & intentiones secundæ & voces significatiuæ à rebus pendent, non è cõtra. Vnde ad metaphysicum ex proprio munere spectat de rerũ coordinationibus quiditatiuis agere; si ergo cum sint decem coordinationes, octo tantùm referuntur, cur Aristoteles in metaphysicis mancus, mutilusue non sit, non video. In logicis, vel probabilibus sufficientem, in scientificis deficientem, non excusauerim. De prædicamentis, vt sunt res, & primæ intentiones agit metaphysicus: vt sũt secundæ intentiones, vel fundamenta secundarum, agit logicus secundum Latinos, secundum Græcos agit de his, vt sunt primæ voces orationem componentes iuxta Porphyrium in prædicamenta cap. 5. Dexip. lib. 1. cap. 34. Simplicium in prædicamenta car. 15. Sed cum logici, vel grãmatici munere egregiè fungatur Arist. si 10. sint prædicamenta: quis non ægerrimè ferat Philosophi primi munere abutentem?

Alia responsio Cõmentatoris est, & Fonsecæ in 5. met. 12. c. 7. quòd situs, & habitus sint parui momenti. Quæ responsio minus placet, cum ad veritatem, & sufficientiam diuisionis, nullum etiam imperfectum, sit ommittendũ. Ita Arist. primo de part. cap. 5. nec abhominabilia deseri vult, quòd in omnibus veritatis, & scientiæ adeptio pretiosa sit. Sed neque parui momenti sunt duæ coordinationes entium quiditatiuę, totque, quot de eis veritates formari possunt.

Sextus quoque locus sit obuiam. Is est in lib. 11. primæ Philosophiæ sum. vlt. cap. 3. Probaturus nanque motum esse ad tria tantùm prædicamenta, sicuti probauerat in 5. phys. scribit. *Num* 11.

Digitized by Google

bit. *Si igitur prædicamenta, ſubſtantia, qualitate, loco, facere, pati, ad aliquid, & quantitate diuidantur: tres eſſe motus neceſſe eſt qualis, quanti, & loci.* In meo textu prætermiſſum eſt ipſum *quando*; ſed in exemplaribus Antonii Andreæ ſub nomine Scoti impreſſis, adeſt vltimo loco ipſum quando, & deeſt quantitas. Suſpicor alterutram ex iis particulis deeſſe. Quoniam hęc ſumma quarta vndecimi met. eſt compendium dictorum in 3. & 5. phyſ. Atque hæc ratio eadem in 5. phyſ. habetur, vt ſuperius dixi: ſed in 5. phyſic. etiam *quando* numeratur, & ſi peculiari ratione nõ demoſtretur motus ad *quando* non eſſe; igitur ſicut in opere, ideſt in 5. phyſicorum eſt *quando*, ſic in compendio eſſe debet. Scio tamen Aquinatem, Anton. Andream, Scaynum annotauiſſe in enumerando defectum trium prædicamentorum, *quando, ſitus, habitus*, & conatos reddere rationem, quare hæc tria genera ſint ommiſſa; at neque illæ rationes faciunt, vt diuiſio non ſit inſufficiens, neque vt duo illa *ſitus*, & *habitus* ſuppleri debeant. Igitur in 5. phyſ. tex. 9. proponit integram diuiſionem, & ex illa argumentum: ſed in tex. 18. recapitulat eam diuiſionem, & argumentum. In textu 9. quidem ad eſt prædicamentũ *quando*: vt ſi ex octo prædicamentis ad quinque non eſt motus, ſit in tribus, quanto, quali, vbi: ſed in recapitulatione, ommittit tex. 18. ipſum *quãdo*; Propterea quòd non fecit rationem de ipſo ſpecialem, ſed cum de motu oſtẽderit quòd ad motum non eſt motus, oſtenſũ eſt, quòd ad quando non eſt motus. Siquidem quando primò conſequitur motum menſuratũ tempore. Eadem duo præſtat in 11. met. primò proponit diuiſionem, & argumentum, ſecundò recapitulat. Recapitulatio quidẽ eſt per omnia cõformis 5. phyſ. tex. 18. quapropter & propoſitio diuiſionis per omnia debet eſſe conformis: credenduméque eſt, ab Ariſtotele ipſum *quando* fuiſſe appoſitum: ſed iniuria temporum excidiſſe.

Cum itaque ſexto loco relata ſit ipſa enumeratio prædicamentorum ex 11. met. ſum. vlt. c. 3. refero ex eodem cap. reſũptionem enumerationis, correſpondentem textui 18. 5. phys. Ea reſumptio eſt. *Cum verò neque ſubſtantiæ, neque ad aliquid, neque faciendi, ac patiendi ſuper eſt, ſecundum quale, & quantum, et vbi motum duntaxat eſſe.* Septem igitur textibus, quos ex libris ſcientificis prompſi, commonſtratum eſt, prædicamenta octonarium numerum non excedere.

Amplius in omnibus hiſce 7. textibus duo ſunt ommiſſi, nẽpe ſitus, & habitus; quod ſine artificio factum, ſi credam ineptus ſim. Ariſtoteles ſanè ſolet, vbi non eſt neceſſaria omnium enumeratio diſtincta, aliqua commemorare prædicamenta, reliquis indicatis per collectiuam particulam; ſic 3. phys. 3. *Eorum, quæ ſunt actu, hoc quidẽ hoc aliquid: illud verò tantum,* *Num.* 12.

aliud autem tale, & in alijs entis prædicamentis consimiliter. Vides particulam, & *in alijs consimiliter*. Sic in primo de anima 6. & 78. adiungit. *Aut quoddam aliud diuisorum prædicamentorũ*. Idem præstat in primo de gener. 12. in 7. met. 1. & 14. in 11. met. sum. vlt. cap. 1. & alibi frequenter. Sed in præcitatis textibus septem, primò erat necessaria enumeratio singulorum, 2. particula collectiua nõ est addita, quod signum est nulla fuisse prætermissa. Illud quoque argumento est, quod ommittit in cõmemorando nũc hoc, nunc illud, nec semper eadem refert; nusquam tamen reperio prolatos situm, & habitum. Sic in primo de gen. 11. & 12. refert quatuor terminantia transmutationem, cætera indicat. Sic. 7. met. 14 refert substãtiam, quale, quantum, reliquis pertransitis. Sed in 7. met. 12. ostendens in omni prædicamẽto reperiri composita ex materia, & forma proportionali, vbi locutus est de substantia adijcit *Cum autem secundum cætera quoque prædicamenta composita sint (est enim aliquod subiectum cuique, vt qualitati, & quantitati, & quando, & vbi, & motui) perscrutandũ est &c.* Cathegoriam ad aliquid non perscripsit; nam sub motu, qui est actio, & passio 3. phys. 22. eam comprehendit. Cur ergo si varia commemorat, nunquam ipsorum positionis, & habitus reminiscitur? In primo Nicom. c. 4. cat. 7. actionem, & passionem transilijt sub nota collectiua. Idem fit in primo magn. moral. c. 1. Mirandum itaque est *situm*, atque *habitum*, vel nusquam nominata, vel cum sola tacita fuere, non fuisse sub particula collectiua subindicata. Maneant ergo nobis illa octo prædicta, silentioque cum Aristotele prę-mamus *situm*, & *habitum*.

Ex ratione. Cap. III.

BIfariam potest aliqua veritas confirmari, probabiliter, & demonstratiuè. Probabiliter ostendere prædicamenta esse decẽ non est operosum; quoniam ex primo topic. cap. 8. & 12. Probabile est, quod videtur omnibus, vel plurimis, vel sapientibus, & his vel omnibus, vel plurimis, vel maximè probatis, & familiaribus. Cum igitur Architæ in schola Pythagoræ, & Aristoteli in schola Peripatetica decẽ rerum series affirmentur, aut si placet, octo: decem vel octo erunt prædicamẽta ex authoritate sapientum; quam vsque adeò extollit Suarez in disp. 39. metaphys. sec. 2. num. 12. vt quasi temerarium censeat de numero prædicamẽtorum dubitare; sed hanc eius censuram, neque Auicenna, neque Mendoza timuerunt, neque alii multi. *Num* 13.

Porrò rationes sufficientiæ, quibus ostendantur prædicamenta non esse plura, vel pauciora, quàm decem, plures affert Suarez loco relato; ego scripta ab ipso non rescribam.

Primò, quidem Simplicius super prædicamenta sufficien- *Num* 14.

tiam

tiam attulit à Suarez prætermissam, de qua ita iudicat Simplicius. *Talis ergo quædam erit à nobis consolatio exhibita, ac tradita his, qui cupiunt accipere ex diuisione non manca decem genera. Et benè scio, quod hæc multas subibit castigationes emendationesq́, si qui voluerint exactissimè, & diligentissimè eam rimari, atque ponderare.* Hæc Simplicius modestè, & ingenuè.

Quę excusatio etiam in Thomam Aquinatem accommodãda est. Ipse nanque in 5. met. ad tex. 14. sufficientiam attulit prædicamentorum. Quã Ianduuus 5. met. q. 13. Suessanus in 5. met. disp. 7. sequitur, & ex recentioribus Toletus q. 1. de prædicamentis in communi. Sotus super prędicamenta cap. 4. q. 2. Fonseca in 5. met. q. 2. ad cap. 7. car. 434. Quanquam eã non leuiter impugnet Suarez dicta disp. 35. sec. 2. metaphys. & Mendoza disp. metaphys. 8. potest tamen defendi ex dictis à Ianduno, & Toleto.

Tertia sufficientia ex August. in lib. prædicamentorum cap. 8. & Isidor. lib. 2. originum cap. de cathegorijs tangitur à Fonseca refertur à Suarez, & refellitur.

Quarta est Frãcisci de Mayronis passu 8. prædicamenta, quæ sufficientia minus est incõmoda, nec enim quæ Suarez obiicit, magni sunt momenti.

Quinta est Okam in sua logica 1. part. cap. 41. & quodlib. 5. q. 22. ex modis interrogãdi. Hanc adhibet Fonseca loco indicato, & Petrus Tatar. in logica, magna super prædicamenta. Impugnat verò acriùs Mendoza, leuiùs Suarez.

Ioannes Duns Scotus doctor subtilis in 5. met. q. 5. & 6. has vias diuisiuas, quæ sufficientiã prædicamentum ostendunt, bifariam peccare dicit. Primò quidem, quoniam si ens prius diuidatur per aliqua membra pauciora, puta duo, vel tria, quã per decem prædicamenta, vt puta in ens per se, & ens non per se, & vltra hęc membra, vel ambo, vel alterum subdiuidantur, quæro de illo nomine communi, vel est æquiuocũ, vel vniuocũ; si æquiuocum, hoc non est probare, sed vnũ nomẽ, vel duo nomina diuidere in decem nomina. Idem quippe est vnum æquiuocum diuidere in decem æquiuocata, & duo æquiuoca diuidere in decem æquiuocata. Si autem illud commune pluribus prædicamentis est vniuocum, & vnam rationem subsũtię habet, profectò prius diuidetur ens in ens per se, & ens in alio, quàm in decem prædicamenta; ergo hęc diuisio in decẽ genera non est prima; ergo dum demonstratur esse prima, apparet non prima, ideſt oppositum propositi ostenditur. *Num* 15.

Secundò insuper quoniam viæ ille diuisiuæ non probant; oporteret enim ostendere, quod ens sic præcisẽ diuiditur, & per diuidentia, quę sint cõstitutiua generalissimorum. Quocirca Scotus concludit hanc diuisionem entis in 10. genera esse primam, nec posse probari, quia neque probari potest, quòd diuidentia contineantur sub diuiſo,

ſo, cum ſit immediatio in diuidentibus, neque probari poteſt, quòd diuidentia ſint diuerſa, quia ſunt primò diuerſa, & non per aliud. Iandunus quoq; dicta q. 13. 5. met. recantans ait. *Nihil valent omnes tales ſufficientia, & diuiſiones: imo diuiſio Ariſtotelis eſt prima, nec per aliam priorem debet probari ex natura rei.* Suarez conſenſit non poſſe à priori probari hanc diuiſionẽ, ſicut neque aliam quamcunque per differentias, vel gradus, niſi fuerit per contradictoria. Probat à poſteriori, quia nulla res inuenitur, quæ non ſit in aliquo horum prædicamentorum; & hæc genera ſunt primò diuerſa; ſed hæc probatum concludet, etiam ſi ponamus duo prædicamenta, *ſubſtantiam, & accidens.*

Num 16. Veruntamen hæc opinio non explet quęſtionẽ, ſed deſperat. Cum etenim illa diuiſio per 8. vel 10. genera non ſit per ſe nota: magis laudo eos, qui à poſteriori per modos eſſendi, vel prędicandi, vel quærendi, vel exiſtentiæ, & potentiæ eam probare tentarunt, quàm qui aliorum labores demoliri ſolùm voluerunt. Præterquam quòd facilè aſſerunt hanc eſſe primam, ſed hoc minimè oſtendunt.

Sit primò notatum. *Coordinationes oportere eſſe impermixtas*, vt nihil incluſum in vna includatur in altera directe. Ita ex primo poſt. tex. 10. 7. & ex 2. regula Ante prædicamenta, Diuerſorum generum, & non ſubalternatim poſitorum &c. repetita primo topic. c. 13.

Secundò. Coordinationes primò erigi ex prædicatis, & ſubiectis in quid; nam ad ordinem quiditatiuum, tanquam per ſe primum, omnia alia reducuntur: quæ per accidens ad ea, quę ſunt per ſe; & quæ per ſe ſecũdo modo, ad ea, quę per ſe primo modo. Tot igitur erunt coordinationes entiũ, quot erunt ordines quiditatiui, non reſolubiles in vnum genus. Quòd ſi etiã ens eſſet genus, prima genera ſubeẽte, nobis ſtatuerẽtur capita coordinationem, vt rerum ordines ſeiuncti plures ponantur, atque ea quæ in eis ſunt, ſeiunctim diſtinctè cõſiderentur.

Tertiò. Ariſt. in primo priorum ſectio. 2. c. 1. concedit in ſubiectis dari ſubiectum vltimum, atque in prædicatis dari prædicatum primum, de quo nil prædicetur, niſi ſecundum opinionem. Item in primo poſt. à tex. 148. ad 154. reuincit ſtatũ dari ſurſum aſcendendo in prędicatis. Similiter in 2. met. 10. ex eo comprobat non concedi proceſſum in infinitum in prædicatis definitiuis, quia nõ poſſemus aliquid definire. Dantur ergo ſuprema genera prędicata, ſiue vnum, ſiue multa. Inſuper in primo poſt. à tex. 105 oſtendit dari negatiuas immediatas, ſicut & affirmatiuæ immediatæ conceduntur (id quod in capite de ignorantia clarè ſuppõnitur) Tunc autem negatiua eſt immediata, quando alter terminus non eſt in toto, in quo alter eſt; ſi ergo neuter terminus ſit in aliquo toto vniuerſali, quod habeat conditiones has, ſcilicet vt inſit vni

Num 17.

ter-

termino, non alteri, nunc est negatiua immediata: *Vt nulla substantia est quantitas*; proinde qui volunt accidens esse commune vniuocũ nouem prędicamentis, non possunt cõcedere illam immediatam Aristotelis, quoniam per medium accidens demonstrabitur sic, omnis quãtitas est accidens, nulla substantia est accidens, ergo nulla substantia est quantitas. Nec tamen qui putant ens esse vniuocum, tenentur hac difficultate; quoniam ens affirmatur de substantia, sed non negatur de quantitate, vel è contra. Ex hac notatione habemus supra prædicamenta non reperiri vnum prædicatum vniuocum, quod cõueniat vni prędicamento, & non alteri; quodque faciat differentiã inter prædicamenta, aliâs illa non essent suprema genera.

Num 18. Ad extremum noto, Aristotelem à rebus sensibilibus, tanquam à notioribus, rerum ordines distinxisse: & sensibilibus naturalibus, non artificiosis, ars quippe ad naturam reducitur. Non quòd res incorporeæ non [illegible] antur in eisdem coordi[illegible]ous, continentur quip[illegible]ut Dexippus annotauit; sed quòd minus nota referimus fortasse ad magis nota.

Nunc proprius accedamus, & ostendamus prædicamenta, ideſt coordinationes quiditatiuas esse octo, non per diuisiones, & subdiuisiones prædicatorum magis communium, quæ auferunt primitatem primis generibus, sed per diuisiones, & subdiuisiones principiorũ, quasi originalium. Substantia itaque naturalis, sensibilibusque, composita est ex materia, & forma, prout 2. de anima 2. & 7. met. 7. atque 8. met. 3. sępiusq; Aristoteles ait, substantiam naturalem consequuntur, magnitudo, qualitates sensibiles, motus, locus, tempus, infinitum: numerus ex diuisione continui natus, ad magnitudinem refertur. Nec alias sensilium communes affectiones Aristoteles inuenit, quòd sciam.

Num 19. Iam verò quiditas competit simpliciter, & primò ipsi substantiæ: simpliciter, & non primò ipsis quanto, & quali, & cæteris, iuxta 7. met. 16. Quare prima coordinatio quiditatiua erit substantiarum. Substantiam consequuntur qualitas, & quantitas: quarum quãtitas potest abstrahi à motu, & materia sensili per 2. phys. 18. & 3. de anima 55. & 13. met. sum. 1. c. 3. qualitas sensilis non potest. Inde erit duplex coordinatio, altera quiditatis abstrahibilis ratione à materia sensili, & motu, altera non abstrahibilis, atque fient duo prędicamenta qualitatis, & quantitatis, quæ oriuntur ex substãtia sensili. Qualitas sensibilis prima distinguitur in actiuam, & passiuam, imò, & motus est vel ab hoc, vt actio, vel in hoc, vt passio. quæ duo, nempe qualitas actiua & actio sequuntur rationem formæ: qualitas passiua, & passio rationem materiæ; materiæ enim est pati, formæ agere. 2. de gener. tex. 53. Hinc in primo de gen. agere, &

pa-

pati, vt ab his qualitatibus fluunt in primis ſpectantur. Aut cõparamus corpus naturale ad corpus continens, vt immobile, tumque naſcitur locus, & exinde in locato ipſum vbi; aut ad continens, vt mobile, tumque exurgit tempus, & in re temporali ipſum quãdo. Hinc oriũtur quatuor coordinationes, actionis, paſſionis, vbi, quando.

Tandem non comparemus vnam rem naturalem ad aliã, vt ſic, ſed quodcunque ens ad quodcunque, & emergunt ipſa ad aliquid, quibus hoc ipſum eſſe eſt ad aliud quodammodo ſe habere. Rectéque ſe habet ipſa, quę ad aliquid, recipere tanquam appendicem ad reliqua entium, ex primo Nicom. cap. 4. vel. 6.

Num 20. Qua in re nobis ſuffragatur illa diuiſio Aquinatis multis probata, quod prędicamentum accidentariũ ineſt ſubſtãtię vel intrinſecè, vel extrincicè. Nã ſi conſideras affectiones naturales, quę inſũt rei ſine neceſſaria cõparatione ad aliud, ſũt quantũ, & quale; ſi cũ neceſſaria cõparatione, ſũt vel in ratione qualis actiui, & paſſiui, vel in ratione quanti continentis immobilis, aut mobilis. Neque abeſt conſideratio Franciſci de Mayronis, quòd entia abſoluta ſint ſubſtantia, & quantum, atque quale: reſpectiua ſecundũ quod naturalia, ſunt agere, pati, vbi, quando; reſpectiua alterius rationis ſunt ad aliquid.

Apparent verò hæ diuiſiones, vel partitiones eſſe per genera prima. Quiditas enim primò inexiſtens eſt in ſubſtantijs, non primò, ſed abſtrahibilis eſt quantitas, non primò, ſed non abſtrahibilis eſt qualitas, & hęc ſunt abſoluta. Ad primas qualitates actiuas, & paſſiuas, primæ actiones, & paſſiones ſequũtur; ad primum continens immobile, vel mobile vbi, & quãdo, ſcilicet ex primo motu, & primo mobili. Denique prima ratio ad aliquid eſt non reducibilis in ſubſtantiam, neque è cõtra 12. met. 19.

Verùm, vt commodiſſimè hanc rationem abſoluam, eadẽ qua vſus eſt *Simplicius*, concluſionem mihi repetitam volo: ſciens & iſta qualiacunque ſint reprehenſionem non omnem euitatura. Sed lectori hæc ſint oblata, ex quibus eligat, quæ ſibi veriora videntur, in reliquis nos cum Ariſtotele 2. met. 2. excuſet, ſaltem enim exercuimus habitum alienum.

VE-

Digitized by Google

VESTIGATIO PERIPATETICA VIII.

De cognoſcibilibus ab homine.

An homo pro ſtatu iſto, lumine naturali valeat omnes veritates cognoſcibiles actu cognoſcere.

Caput Primum.

De ſtatibus humani intellectus, & naturali lumine.

Num 1. TRES ſtatus intellectui humano poſſumus aſſignare ad mentes Ariſtotelis. Primus, eſt, antequam corpori iungatur, ſecundus dũ eſt corpori iunctus, tertius poſtquam eſt à corpore ſeparatus. Primus ſtatus, antequam intellectus corpori coniungatur humano, indicatus eſt ab Ariſtotele in primo de anima 82. cum dixit intellectum eſſe antiquiſſimum ſecundum naturam: & in 2. de generatione animalium ca. 3. quando poſtulat, an omnes animæ eſſent ante corpus, an omnes poſt, an partim ante, partim poſt. Profectò quidam ex Peripateticis magni nominis cenſuerunt intellectum humanum ab æterno fuiſſe, & in æternum fore duraturum. Qui vnum intellectum in omnibus ponunt hominibus, hi ponunt illum ante quemlibet hominem nunc exiſtentem præfuiſſe, & hiſce corporibus, quæ nunc ſunt prius non fuiſſe coniunctum, extitiſſe tamen, antequam coniungeretur. Qui etiam multos, ſed infinitos intellectus præfuiſſe arbitrantur, eoſque per infiniti temporis ſucceſſionem in corpora, quæ generantur in dies innaſci; ipſi quoque concedunt hunc ſingularem intellectum, qui eſt in iſto corpore ſingulari, ab æterno præextitiſſe: corpore generato, ei coniunctum fuiſſe, & poſt corporis interitum fore ſeparatum perpetuò. Qui denique ponunt ab æterno plurimos intellectus, numero tamẽ finitos, & circuitu quodam ex vno corpore intereunte digreſſos, ſtato tempore in aliud humanum tantummodo corpus, quando id generabitur, regreſſuros: ordinata circulatione; vt qui prior egreſſus eſt intellectus, prior quoque regrediatur; etiam ipſi ponunt intelle-

ctum extitisse ante corpus. Quę opinio mihi omnium minus improbabilis visa est, si tenere placeat ęternitatem mundi, motus, ac temporis fuisse ab Aristotele de propria mente assertam. Quam de circumductu intellectus opinionem celeberrimi viri Bessarion, & Contarenus, & Camurius comprobauere. Quanquam ego credam ab Aristotele populariter loquente ex communi suorum gẽtilium errore dictũ fuisse; quòd cælum sit Deus immortalis, & æternus: philosophicè tamen, & ex proprio dogmate Aristotelem oppositum sensisse, quod ex propriis, & philosophicis tanti viri principijs potuit obseruari. Sicut aliàs dictum est à nobis. Nunc tantùm pateat, secundum hosce Peripateticos posse considerari statum intellectus humani ante corpus.

Num 2. Secundus status est, quo intellectus est corpori, & magnitudini iunctus. Hunc statum expressit Philosophus in 3. de anima 36. inquirẽs, *An intellectus nõ separatus à magnitudine, possit separata intelligere, nec ne?* Vbi notat Simplicius pulchrè indicari alium statum, in quo intellectus sit separatus. Nam si intellectus non esset separabilis, tunc absolutè erat quærendum de intellectu, an intellectus possit cognoscere separata; sicuti quęreretur de sensu absolutè, an sensus cognoscat separata. Nam sensum non esse à corpore separabilem constat 3. de anima 7. Quęritur autem de intellectu non absolutè, sed cum limitatione, an intellectus non separatus, separata intelligere queat: vt intelligatur alter status separationis ex nominato statu nõ separationis. Verùm in 3. de anima 20. de intellectu legimus. *Separatus autem solũ est hoc, quod quidem est, & hoc solum est immortale, & perpetuũ.* Separatus Græcè per participium dicitur, participium resoluendum est per *Cum*, vel *quando*; hoc pacto, Cum autẽ fuerit separatus, vel quando est separatus, tunc solùm est *hoc quod est*. Hinc eluent duo status, alter quando intellectus est coniunctus, alter quando est separatus à magnitudine, qui etiã est status totius. In præsentiarũ nobis sermo est de intellectu non separato: tunc enim homo est in præsenti statu. Porrò arbitratus sum rectè me facturum, si status hominis ab intellectu in primis indicarem, cum homo sit, vel solùm, vel maximè intellectus ex 10. Nicomacho cap. 8.

Declarato statu præsenti, declarandum est lumen, quo cognoscuntur obiecta in isto statu. *Num* 3. In 3. de anima particula 18. & circumstantibus pronuntiatur in anima rationali duæ differẽtiæ, siue duæ potentię, vna passiua tanquam materia, & æs: altera actiua tanquam ars, vel artifex: vnde est duplex intellectus, vnus possibilis, cuius est omnia fieri, alter faciens, cuius est omnia facere. Possibilis omnia fit, sicut materia fit vel ignis, vel aqua opere efficientis; & æs fit modò Alexãder, modò Philip-

lippus corporaliter. Ita intellectus poſſibilis ſpiritaliter fit ſingula, & poteſt fieri omnia. Porrò intellectus faciens dicitur eſſe veluti lumen, & vt habitus quidam (dederat autem exemplum de arte, quæ eſt habitus quidam) vnde duo nobis eluceſcunt munera intellectus agentis, in altero eſt ſicut lumẽ, lumen quippe potentia colores facit actu colores: & intellectus agens ea, quæ ſunt potentia intelligibilia facit actu intelligibilia; quæ autem ſint potentia, vel actu intelligibilia, lege 3. animæ 15. In hoc officio producitur ſpecies repræſentatrix obiecti, qua obiectum eſt actu intelligibile. In ſecundo munere eſt, vt habitus, nam habitus eſt principium elicitiuum actus ſecundi, habitus nanque eſt actus primus, vt ſcientia, & operatio eſt actus ſecundus, cõſule 8. phys. 32. & 2. de anima 5. & 55. ac 56. In hoc officio fit intellectio, qua res actu intellecta eſt. Vnde duæ ſunt motiones quibus mouetur poſſibilis intellectus ab agente, prior ad ſpeciem intelligibilem, poſterior ad intellectionem: in priore obiectum fit de potentia intelligibile actu intelligibile, dum producitur ſpecies ſine materia in poſſibilem intellectum; in poſteriore obiectum fit de potentia intellecto actu intellectum, dum elicitur iudicium de obiecto per ſpeciem repræſentato: quam cum receperit intellectus, iam non recurrit ad ſẽſum, *cum enim ſingula factus eſt* 3. animæ 8. *per ſe ipſum poteſt* intelligere: & in 2. de anima 60. quando vniuerſale eſt in anima, in noſtra poteſtate eſt intelligere, cum volumus. Hucuſque habemus lumen intellectus agentis connaturale nobis, & animæ noſtræ, tanquam illius differentiam, & potentiam actiuam.

Num 4. Quoniam autem ex cognoſcente, & cognito paritur cognitio, præter lumen ex parte animæ, neceſſum eſt etiam ex parte obiecti ſcrutari, ex quibus nam obiectis collucentibus anima noſtra intelligere, aut ſapere valeat veritates. Nam qui omnes veritates ſe ſcire iactabunt, vt Hippias, hi omnia obiecta perſpecta eſſe dicent; qui autem ſe nihil ſcire aſſerent, vt Socrates, nulla eſſe obiecta conſpicua decernent. Proinde Ariſtoteles fugitans extrema, medium ſtatuit, nempe omnem cognitionem noſtram ortum à ſenſu ducere, quemadmodum in 2. poſt. cap. vlt. & in primo met. cap. 1. traditum eſt. Cæterũm illa enunciatio, omnis noſtra cognitio ortum habet à ſenſu, originaliter vera eſt, non formaliter; nam intelliguntur quædam etiam, quæ ſenſui nõ ſunt peruia, vt ſecundæ intentiones, actus intelligendi, & ſimilia. Vnde quiditas ſenſibilis conſtituitur, tanquam obiectum mouens intellectum noſtrum non ſeparatum; dum autem dico quiditatem ſẽſibilem, dico etiam omnia, quæ in quid ſunt incluſa in quiditate ſenſibili, nec non, quæ ſunt cauſaliter incluſa, ſiue virtualiter; nam

virtute quiditatis ſenſibilis cognitæ, & ad cauſas eius, & ad effectus quodammodo cognoſcendos manu ducimur.

Num 5. Idem confirmatur ex 3. de anima 30. Phantaſmata enim ad animam cogitantem, intelligentemque ſunt, ſicut ſenſibilia ad ſentientem; quapropter ait. *Nunquam ſine phantaſmate intelligit anima.* Atque in tex. 39. præclara illa dicuntur. *Et ob hoc, qui non ſentit aliquid, nihil vtique addiſcet, nec intelliget. Et cum ſpeculetur, neceſſe eſt ſimul phantaſma aliquod ſpeculari: phãtaſmata autem velut ſenſibilia ſunt.* Poſſet quidem hic textus euitari, quoniam intelligibiliũ tria ſunt genera alia ſunt ſenſibilia phyſica, alia ſenſibilia mathematica, quæ nuncupantur ex abſtractione, alia ſunt inſenſibilia, & ſeparabilia, nempe metaphyſica. In his texti. 30. & 39. exprimit Ariſt. hoc dictum de phyſicis, & mathematicis; nã in tex. 36. cum propoſuit diſceptationem, an intellectus non ſeparatus ſeparata intelligere valeat, reijcit illam conſiderationem in aliud tempus; ſolumque in tex. 37. dicit ſe velle per recapitulationem colligere dicta. Quapropter nihil de ſeparatorũ intellectione per ſenſum externum, vel internum reſoluit. Rectè hoc quidem, & obſeruatur, & affirmatur. Nam re vera in textu, de ſenſili, vel concreto cum materia, vel ratione abſtracto, ſit ſermo. At non ſatis dicitur, quandoquidẽ habeo ego textum rarum, & charum ad hanc rem, à nemine, quãtum videre licuit, obſeruatum in libro de memoria, & reminiſcentia cap. 1. quo in textu etiam, quæ ſine magnitudine ſunt, & imaginatione, affirmãtur à nobis intelligi per imaginationem, & magnitudinem intellectui obiectam. *Quoniam autẽ de imaginatione prius in iis, quæ ſunt de anima dictum eſt, & quòd intelligere non eſt ſine phantaſmate; accidit enim eadem paſſio in intelligendo, quæ quidem & in deſcribendo: ibi enim nulla vtentes quantitate trianguli determinata, tamen finitum ſecundum quantitatem deſcribimus. Et intelligens ſimiliter, & ſi intelligit non quantum, ponit autem ante oculos quantum, intelligit autem non ſecundum quod quantũ eſt. Propter quam igitur cauſam non contingit intelligere aliquid ſine continuo, neque ſine tempore, quæ non in tempore ſunt, alia ratio.*

Ergo ex Ariſtotele habemus & rem, & modum. Res eſt, intelligimus entia non continua, non in tempore, non quanta; qualia profectò ſunt ea, quę ſepata ſunt à magnitudine, quę in tempore non mutantur, neque ſeneſcunt, vt dicitur 1. de cęlo 100. ſed non intelligimus ſine tempore, ſine continuo, imò ob oculos ſcilicet intelligentis proponitur quantũ. Modus eſt, vt per phantaſmata, & per quãtum intelligamus non quanta, non phantaſiabilia: intelligimus enim non ſecundum quod quantum. Rationem ſuppreſſit Ariſt. nobis qúe non videtur in præſentiarum quęrenda. Tãtum *Num 6.*

Digitized by Google

tũ habeo noſtrũ intellectũ, ſiue intelligat corporea, ſiue incorporea phantaſmate vti, vt lumẽ naturale noſtrum ſit intellectus faciẽs, & obiectũ in phãtaſmate relucẽs. Proindè naturali lumine intelligemus, quę beneficio intellectus faciẽtis cum phantaſmate percipimus: quę ſecus, non intelligemus naturali lumine. Vnde obiectum motiuum intellectus noſtri erit quiditas ſenſilis, & quod in quiditate ſenſili includitur cognoſcibile, aut à priori, aut à poſteriori per quiditatem ſenſilem concludendũ. nec non & omnia inclusa quiditatiuè in quiditate ſẽſili. Quomodo autem, dum phantaſia imaginatur ſingulare ſenſibile, intellectus conſideret vniuerſale intelligibile, non ſolum ſpecialiſſimum, ſed etiam generaliſſimum, atque tranſcedens, vt ens, vnum, verum, bonum; atque ens primum, primum vnũ, purum verum, ſummum bonũ, nunc attingam, vberius declaraturus in ueſtigatione, de ſeparatorũ cognitione à nobis habita. Quia enim in hoc ſingulari ſenſili, puta albo continetur natura coloris, qualitatis, entis, intellectus abſtrahens poteſt ex his conſiderare prius, non conſiderato poſteriori: puta cõſiderare ens, nõ cõſiderata qualitate, conſiderare qualitatem, non cõſiderato colore. Similiter in hoc ſingulari numero, vel figura, intellectus cõſiderat ordinẽ, quo hic numerus eſt prior, vel poſterior alio, atque in ordine reſoluit omnia in primum, reperitque in numeris primatum vnitati, in figuris triangulo primatum concedi. Proindè conſiderare poteſt à primitate hac, vel illa abſtrahendo primitatẽ in communi dicentem principium ordinis. Inde conſidetãs entitatem in triangulo, & primitatem compoſſibiles eſſe: ſimiliter in vnitate, in cauſis, in ſcientiis, colligit etiam in entibus, quâ entibus dari primum ens; ſicut in coloribus eſt primus color vnus, & in ſonis ſenſibilis ſonus primus ponitur. Ita eſſe in ſubſtãtiis cognoſcit, prout accuratè atq; doctè admodũ in 10. met. 7. Stagirites proſequitur. Ita cognoſcit primũ ens, primã ſubſtantiam, quæ non ſunt quãta, ſed ob oculos ſibi ponit quãtum aliquod, puta ens, & primum in triangulo, vel vnitate; conſideratur ergo in quãto ens, & ita non ſecundum quòd quãtum.

Quo circa dum Theophilus Zim. 3. de anima ad tex. 37. ſoluit argumentum quoddam, nõ videtur cum Ariſtotele ſoluere. Argumentum eſt. Intellectus nil naturaliter intelligit ſine phantaſmate, ergo non intelligit ſubſtantias ſeparatas, quarum phantaſmata nulla ſunt. Dicit enim Zimara in eo argumento peti principium, dum dicitur, intellectus ſine phantaſmate non intelligere. Secundò addit à ſe oſtenſum, multa etiam corporea ſine phantaſmate intelligere, eo quòd ſũt ἀφάντασα. Quod ſi phantaſia ſe ſua ſponte non interponeret, ſine phantaſia intelligerentur; quæ duo Zimaræ placita, quàm cum Ariſt. pla- *Num* 7.

placitis ſint conſentanea, ex dictis nemo non videt.

Sed ne dixiſſe tantùm, non probauiſſe Ariſtoteles videatur: adducamus ex primo de aïa 66. rationem. Intellectus non ſeparatus à corpore, phantaſia probè diſpoſita, & famulante intellectui, poteſt, & per ſe ſe inuenire, & ab alio veritates addiſcere; itemque phantaſia incolumi ſcientia earum rerum, quas inuenit, vel didicit, vti poteſt. Phantaſia verò ſubuerſa, & impedit intellectum, ne primò adipiſcatur ſcientias, & impedit, ne poſterius vtatur obtentis ſcientijs. Igitur intellectus non ſeparatus præſupponit integrum phantaſiæ miniſterium.

Cõfirmatur, quia ſi ſenſus aliquis exterior deſit, deeſt, & ſcientia ſenſilium illius eiuſdem ſenſus: quod in primo poſt. tex. 134. dictum eſt; at phantaſia eſt motus factus à ſenſu ſecundum actum 2. de anima 161. de ſomnijs cap. 1. igitur in eodem deeſt & phantaſia; quare deeſt & operatio intellectus circa illud obiectum. Vnde cæcus de coloribus loqui poteſt, contemplari non poteſt 2. phys. 6. Si autem etiam aphantaſta poſſent intelligi, quid obſtaret, ne cęcus de coloribus ſcientiam aſſequeretur: aut ſaltem de ſubiectis ſubſtantiis colore infectis? Ne ſurdus agnoſceret impoſitiones ad placitum in vocibus, vel aliis ſignis? Ergo maneat nobis ordinem potentiarum talem eſſe, vt ſenſus exterior in agẽdo prę-ueniat phantaſiam, phantaſia præcurrat intellectui. Vbi verò intellectus eſt ſingula factus, tunc fortè poteſt per ſe ipſum intelligere, 3. de anima 8. contemplariq́ue obiecta in intelligentijs, ideſt ſpecibus intellectilibus, ex 2. animæ 33. aut in phantaſmatibus. Quod ideò diſiunctiuè poſitum videtur, quia intellectus recepta ſpecie obiecti, videtur, & comite phantaſia, & ea deſerta, poſſe aliquid intelligere, quod modò non agimus, qui de ſcientiarũ indeptione veſtigamus.

Opinio, quæ Ariſtoteli à quibuſdam tribuitur. Cap. II.

DE veritatis agnitione tanta olim contẽtio fuit apud veteres Philoſophos, vt Ariſt. in 4. met. 21. relatis eorum abſurdiſſimis placitis dixerit; ſi illi, qui maximè veritatẽ, & amãt, & quęrunt, tales de veritate opiniones habent: ſecordes fore, qui philoſophari vellent: nam quęrere veritatem, non eſſet, niſi volucres perſequi. Alij nihil verum, alij omnia vera: alij omnia, quæ apparent, alij nulla apparentia eſſe vera; illi nihil poſſe cognoſci hi omnia; quidam ambo contradictoria vera, quidam neque poſſe alterum alteri contradicere dixerunt. Et in re noſtra, vbi mos eſt Ariſtoteli medias tenere opiniones, ſunt qui attribuant illi extremam hanc, homo poteſt omnia ſcire, vel cognoſcere. Vnde & argumenta excogitarunt, quibus ex Ariſt. hoc probant, quia ſcilicet Num 8.

Ale-

Alexãder Aphrodiſeus,& Auerroes Arabs id ipſi tenere videntur, propterea & idem Ariſtoteli eorũdem Principi attribuitur. Eapropter argumenta illa in medium perferam, quæ *Scotus* in prologo primi ſen. q. 1. produxit, addamque authoritates nõnullas, quibus hoc videri poſſet eſſe Ariſtotelicum dictũ; deinde relaturus sũ opinionem Ariſtotelis,eamque probaturus.

Num 9. Scotus argumenta ex præclariſſimis facultatibus eduxit, phyſica, metaphyſica, logica; quorum primum fundatur in 3. de anima 18. vbi Ariſt. aſſerit in anima noſtra eſſe duas differentias,quæ ſunt duæ potentiæ paſſiua, & factiua ipſius intelligere. Intellectus poſſibilis eſt, cuius eſt omnia fieri: intellectus faciẽs, cuius eſt omnia facere. Et argumentum ſic erigitur.

Actiuo, & paſſiuo naturalibus, approximatis, diſpoſitis, non impeditis: neceſſariò ſequitur actio. Sed in anima noſtra eſt principium actiuum, & paſſiuũ reſpectu cognitionis omnium cognoſcibilium; & hæc sũt in anima rationali approximata; ſunt enim idem realiter: ſunt diſpoſita,non impedita;ergo in anima noſtra neceſſariò ſequitur actio cognoſcẽdi omnia. Maior cõſtat ex Ariſt. in 9. met. 10. vbi ponit cõditiones potẽtiæ rationalis;vel irrationalis,nã irrationalis potẽtia eſt naturalis; ad hoc autẽ, vt actio fiat neceſſum eſt remouere impedimenta, diſpoſitiones adhibere, atq; approximare actiuum paſſiuo; quibus præſtitis neceſſariò ſequitur actio. Item ratione id liquet: quia ex quatuor cauſarum generibus, duo neceſſariò vel tempore, vel naturâ præcedunt actionem, hæc ſunt principium effectiuum, & materiale, Forma,quæ finis eſt, vt in pluribus eſt effectus efficientis receptus in materia, nec eſt ante actionem. Minor patet ex 3. de anima 18. quia in anima noſtra eſt intellectus duplex, alter poſſibilis, cuius eſt omnia fieri, alter faciẽs, cuius eſt omnia facere: & hæ potentiæ in anima rationali naturales ſunt, ſaltem vt præcedunt voluntatem: approximatæ ſunt, cum ſint eædẽ cum anima, vel illi ſemper adſint: expeditę ſunt; diſpoſitæ ſunt, nam neque impedimentum adeſt, neque deeſt diſpoſitio in tota ſpecie, ergo neceſſariò cõſequitur intellectio omnium.

Confirmatur. Cuilibet potẽtiæ paſſiuę naturali correſpõdet potentia actiua naturalis: ſed intellectus poſſibilis eſt potentia paſſiua naturalis cuiuſcunque cognitionis, cuiuſcunque obiecti. Ergo cum illo eſt in anima potentia actiua naturalis correſpondens, quæ parit cognitionem cuiuſcũq; obiecti. Probatur maior: quia tũc potentia paſſiua eſſet fruſtra in natura, ſi per nihil in natura poſſet reduci ad actum. Item eſſet præter intẽtionem naturę, ſi ab aliquo præter naturæ ordinẽ reuocaretur ad actum, vt ſi potentia ad formas artificioſas reducatur ad actum per artificem, hoc eſt præter naturam.

2. Ra-

Num 10. 2. Ratio ex metaphyſica. Nã in 6. met. 1. omnis ſcientia diſtinguitur in ſpeculatiuam, actiuam, & factiuam: ſpeculatiua quoque in mathematicam, phyſicam, & metaphyſicam; & per conſequens omne ſcibile eſt ſpeculabile, agibile, vel factibile. Sed in ſciẽtijs ſpeculatiuis agitur de toto ente, & de partibus eius iuxta rationem diuiſionis datam, quia agitur de coniunctis re, & ratione cum materia: de abiunctis ratione non re: de abiũctis ratione, & re. Similiter in actiuis agitur de agendis ab vnoquoque, à domo, ab vrbe, & regno: neque aliud membrum naſci poteſt. Ita dico de artibus ad neceſſitatem, vtilitatẽ, vel voluptatem comparatis, ergo nulla alia ſcientia eſt poſſibilis de aliquo ſcibili.

Num 11. 3 Ratio ex logica ſumitur à Scoto Quicunque poteſt naturali lumine cognoſcere principia, poteſt naturali lumine cognoſcere omnes concluſiones ſcibiles contentas virtualiter in illis principijs. Porrò intellectus non ſeparatus à magnitudine poteſt naturali lumine cognoſcere prima principia, in quibus virtualiter continẽtur omnes concluſiones ſcibiles: poteſt igitur & cognoſcere omnes concluſiones ſcibiles naturali lumine: atque ideò omnes veritates tùm immediatas, quæ ſunt principia, tùm mediatas, quæ ſunt concluſiones, loquendo de veritatibus neceſſarijs. Maior probatur; duo namque requiruntur, & ſufficiunt ad ſciẽdas concluſiones; vnum eſt cognoſcere principia demonſtratiua, quæ ex terminis nota ſunt, poſt. 21. alterum deductio concluſionis ex principiis, quæ deductio eſt naturaliter cõſpicua, vt conſtat per definitionem ſyllogiſmi perfecti ex primo prior. cap. 1. Syllogiſmus enim perfectus eſt, qui nullius, præter aſſũpta, indiget ad hoc, vt appareat neceſſarius.

Cui ergo erunt nota naturaliter & principia, & conſequentia concluſionis ex principijs: illi neceſſariò erit nota concluſio. minor duabus partibus conſtat, prima dicit, noſtrum intellectũ naturaliter noſſe principia prima. Secũda dicit, in primis principijs contineri virtualiter omnes concluſiones ſcibiles Prima pars probatur, cognitis terminis vniuerſaliſſimis primorum principiorum naturali lumine, naturali eodem lumine principia innoteſcunt, ſunt enim ex terminis apprehenſis nota; terminos autem vniuerſaliſſimos primorum principiorũ naturali lumine cognoſcit intellectus cõiunctus, quia ex primo phyſ. 4. vniuerſaliora ſunt nobis notiora: ſic tex. 57. Secunda pars probatur, quando termini vniuerſales vniuerſaliter diſtribuuntur, accipiuntur pro omnibus conceptibus inferioribus, vt ſi dicas *omne animal*, in hoc dicto *animal* accipitur; pro quibuſcunque inferioribus, vt volucre, piſce, greſſili. Atqui termini primorum principiorũ ſunt vniuerſaliſſimi, & vniuerſaliter diſtribuuntur, vt patet in duobus primis principijs. De

quo.

quolibet verum eſt affirmare, vel negare. De nullo verum eſt affirmare, & negare. Ergo in virtute primorum principiorũ continentur omnes inferiores conceptus, quare omnes concluſiones ſcibiles, tùm ſuperiores, tùm inferiores.

Num 12. 4. Adiice aliud ex eodem Scoto prima prologi, & eſt primũ principale, quod pro eadem cõcluſione eſt. Omnis potentia habens aliquod commune pro obiecto adæquato naturali, poteſt naturaliter in quodlibet per ſe contentum ſub eo; veluti ſi viſus habet pro adęquato obiecto colorem, ſeu lucem, poteſt in quemlibet colorem, vt album, nigrum, viridem &c. in lucem puram, & incorporatã. Atqui noſter intellectus non ſeparatus habet pro obiecto adęquato naturali ens, quatenus ens, tùm ex dicto Auicen. 1. met. cap. 1. Ens, inquit, & res prima impreſſione imprimuntur in anima, & non poſſunt per alia manifeſtari; tùm ex dicto Ariſt. qui in 4. met. 1. ponit philoſophiam primam eſſe de ente, vt ente, de principiis primis entis, vt entis, atque de paſſionibus, quæ per ſe inſunt enti, nec non & de ſpeciebus entis omnibus, cũm ait in tex. 2. *Quare*, inquit, *entis quoque quot ſpecies ſunt, & ſpecies ſpecierum ſpeculari vnius ſcientiæ genere eſt*. Ergo cum metaphyſica ſit à nobis naturaliter acquiſibilis, nihil inferius ente poteſt eſſe obiectum adæquatum naturale, alioqui intellectus attingens ens excederet adęquatum: nihil item ſuperius, cum nihil tale ſit, niſi detur aliqua ſcientia magis vniuerſalis, quàm metaphyſica. Igitur intellectus noſter non ſeparatus poteſt naturaliter in quodlibet contentum ſub ente peruenire cognoſcendo.

Num 13. His rationibus placet authoritates quaſdam Ariſt. adiungere. Prima ſit ex 3. de anima 4. Illic Ariſt. probaturus intellectũ eſſe immixtum, iſtam concluſionem probat ex eo, quòd intellectus omnia intelligit; & infra in tex. 5. colligit ex hoc ergo *intellectus nihil eſt actu eorum, quæ ſunt, antequam intelligat*. Vbi patet, & ex antecedente ratione, quòd omnia intelligit & ex corollario collecto, quòd omnia, quę ſunt, id eſt omnia entia, intelligit; nam & antequam intelligat, nihil eorum, quę ſunt eſſe dicitur: fit enim omnia, quando actu ea intelligit.

Neque eluſeris hanc authoritatem, ſi dixeris Philoſophum non comparare in eis textibus intellectum ad omnia entia, ſed ad omnia entia ſenſilia, ſeù corporalia, cum in tex. 2. & 3. comparauerit intellectum ad ſẽſum.

Non eluſeris inquam, primò quidem, quoniam comparatio eſt per analogiam; ſicut ſenſus, ad ſenſibilia, ſic intellectus ad intelligibilia: ſed ſenſus eſt immixtus à re ſenſibili, aliâs impeditur, vel ab omni ſenſili per talem ſenſum, vel ab aliquo: vnde ſenſus non eſt ſuum ſenſibile, neque realiter, neque intentionaliter per ſpeciem, aliâs non reciperet ſpeciem, aut non ſentiret. Sicut viſus colore va-

cat in esse reali, & intentionali, vt recipiat in esse intentionali colorem. Tactus verò qui habet qualitates tangibiles actu, impeditur, ne agnoscat similẽ, aut aliquantò minorem intensionem qualitatis. Intellectus igitur vt omnia intelligat, & à nullius intellectione impediatur, ab omnibus denudatur, & entibus, & speciebus repræsentatiuis entium.

Secundò verò quia in textu 4. absolutè probat intellectum esse immixtum: sed in tex. 6. colligit conclusionem aliam cũ addito corporis. *Vnde neque rationabile est ipsum esse mixtum cũ corpore*. Ergo nisi in textibus valdè concitis, & breuissimis bis idem repetat, primam conclusionem in tex. quarto accipit de immixtione vniuersali cum omni cognoscibili: in 6. concludit immixtionem specialem cum corpore, quod est & obiectum, & aliquo modo subiectum intellectus.

Num 14. Secunda authoritas est in 3. de anima 37. *Dicamus iterum, quòd anima entia quodãmodo est omnia; aut enim sunt sensibilia ea, quæ sunt, aut intelligibilia: est autem scientia quidẽ scibilia quodãmodo, sensus autem sensibilia.*

Tertia ex 4. met. 5. *Dialectici de omnibus disputant, ens verò commune omnibus est. Disputãt autem de his scilicet, eo quòd hæc propria philosophiæ sunt. Circa idẽ enim genus sophistica, & dialectica versatur cum philosophia. Verùm philosophia ab hac quidem modo potestatis, ab illa verò electione vitæ differt. Dialectica autem est tentatiua, de quibus philosophia est cognitiua.* Hæc Arist. comparans dialecticam, & metaphysicam, ac sophisticam; ponitq; sophisticam decipere circa eadem; dialecticam tentare circa eadẽ, & philosophiam circa eadem cognoscere. Atqui dialecticus de ente, & omnibus omnino entibus, & vniuersalia, & particularia prædicata considerat, & de omnibus tentat: sophista de omnibus item apparentem scientiam, hoc est deceptionem nectit. Ergo philosophia de omnibus in vniuersali, & particulari omnia prædicata vniuersalia, & particularia cognoscit. Nunc autem philosophia nobis naturaliter est obuia, ergo & omnium cognitio veritatum.

Authoritatibus Arist. ostenditur, non posse hominem actu nosse omnia, atque Aristotelem in prædicta sententia non fuisse.

Cap. III.

Num 15. EGo verò pro Aristotelis, & prudentia, & modestia lõgè aliter Aristotelem sensisse arbitror: neque ipsum credidisse, aut à se, aut à quoquam hominum omnes veritates cognosci posse existimo. Hoc autem ex illius authoritatibus ostendam, & rationibus magna ex parte ab ipso indicatis: vt facilè elucescat, quid nam sit in Peripato sustinendum.

Primò quidem comparando intellectum coniunctum ad cęlestia, quàm pauca, & quàm obscurè cognoscere valeat de pretiosis illis corporibus indicat

Pe-

Digitized by Google

Peripateticorum Princeps in 2. de cælo 34. scribens. *Forte igitur de quibusdam enuntiare aliquid tentare, & de omnibus, & prætermittere nihil; videbitur vtique esse signum aut multæ amentiæ, aut multæ promptitudinis. Nõ tamen iustum est omnes similiter increpare, sed videre oportet causam dicendi, quæ nam sit. Prætereà quo pacto se habeat in credẽdo, an humano modo, an validius. Certiores igitur necessitates, quãdo quis fuerit assecutus, tunc gratiam habere oportet inuenientibus: nunc autem id, quod videtur dicẽdum.* Ita dixit Arist. rationem redditurus de cæli motu, quare sit ab ortu in occasum potius, quàm, contra ab occasu in ortum. Nisi quis multæ amentiæ sit, vel multæ promptitudinis, is de omnibus dicere, & nihil prætermittere velle se, aut posse non affirmabit.

In 2. de cælo 60. & 61. totus textus vterque consumitur ferè in excusatione imbecillitatis nostræ in cognoscendo. Age, aliqua hic reponamus. *Duabus*, inquit, *existentibus dubitationibus, de quibus meritò quilibet dubitauerit, tentandum est id dicere, quod videtur; veneratione dignam esse magis, quàm temeritate reputantes promptitudinem illam, si quis propter philosophiæ sitim, etiam paruas in iis sufficientias amet, de quibus maximas habemus dubitationes.* Atque vbi dixit ab astronomis nos habere testimonium, vel AEgiptiis, vel Babyloniis, quibus multam habemus fidem: propositis dubitationibus, hæc subjcit. *De his igitur quærere quidem benè se habet, & ad eam, quæ ad plura se diffundit, intelligentiam: quamuis paruas habeamus causas, tantaque elongatione distemus ab ijs, quæ circa ipsa accidunt: si tamen ex talibus contemplemur, nihil vtique irrationabile esse videbitur id, quod nunc dubitatur.* Cordate vtique Philosophus, & pauca nos attingere de cæli accidentibus, & causam esse cæli elongationem testatur. Igitur & multò plura de cęlis cognoscẽda superfunt, quæ propter ingentem distantiam non percipimus.

In primo de partibus animalium cap. 1. confert Aristoteles cognitionem nostram de sub cælestibus, & cælestibus: & ait. *Sed partem illam æternam, & proinde nobilem, ac diuinam, minus contemplari propterea possumus, quòd admodum pauca illius modò sensui patent: quorum beneficio, tum de ea ipsa parte diuina, tum de ijs, quæ nosse cupimus, facultas nobis indagandi datur.* Itaque licet maiori oblectamẽto sit cognitio cælestis substantiæ, atque per se accidentium eius: copiosior tamen nobis, atque certior est cognitio substantiæ subcælestis, vt pote sensui nostro proximæ. Ideò minimã partem cælestium veritatum cognoscimus, maximam subcęlestium, sed illa, etiam si minor cognitio, est charior. Num. 16.

Similiter in 12. met. 45. & 48. tractantem de sphæratum cælestium numero Aristotelem consule: videbisque, quàm incertus animi pẽdeat in hac par-

te, concludatque. *Tot rationabiliter arbitraadum est esse. Quod enim necessarium est, relinquatur potentioribus dicendum.* At quis in Peripato, potentiorē Aristotele volet asserere? Quæ omnia loca testantur, nos & paucas, & parum certas de rebus cælestibus veritates consequi propter improportionatam distantiam obiectorum illorum à sensibus nostris, à quibus cognitio nostra, & de accidentibus, & de substantiis cælestibus, vel subcælestibus derivatur.

Num 17. Secūdò, Idem constat de præcognitione futurorum contingentium, quæ si accipias disiūctim pro alterutra parte contradictionis cognoscere potes alterū esse verū, alterū falsum: at si velis alterā partem disiuncti determinatè veram asserere, id nulla ratione facere potes in cōtingentibus ad vtrumlibet, vel ratiò. Etenim si formes istud disiunctum *Bellum nauale erit eras, vel non erit.* Atque loquaris indeterminatè, & de toto disiuncto, scis cōtradictionis istius alteram partem esse veram, alteram falsam; at si de parte determinata dicere ausus fueris, temerè asseres. Solius Dei hoc est, & eorum, qui à Deo illustrātur. Nam futurorum præscientiam, & Anaxagoras Deo inesse asseruit, vt videre apud *Simplicium* in primum phys. coment. 29. & Plato tùm Deo, tū à Deo illuminatis, vt sybillis, ac vatibus, ex dialogo, cui titulum præfinit Phædrus. In Aristotele quid de Deo sit sentiendum, nō vsquequaque constat: de homine est apertè negatum in primo de interpretatione cap. vlt. Cū enim intellectus noster in cognoscenda conformitate vnius contradictoriæ ad rem significatam, dependeat à re ipsa, factis contradictorijs per intellectum componentem, & diuidētem, scit alterum fore conformē contingenti futuro. Sed quænam earum partium sit futura, vel sit conformis, planè ignorat. Cum autem res ponetur in esse, tunc dicet, ista pars contradictionis erat conformis; at ea cōformitas, & in se erat incerta, & nostræ mentis aciem latebat.

Item, in libro de diuinatione per somnium, hæc disertè ait. *Quādoquidem eorum, qui secus Herculeas columnas, & qui in Boristhene præuidere aliquos (dicūt) supra nostram videatur esse prudentiam inuenire originem horū.* Et quanquam Aristoteles ibidē neget à Deo mitti præsagia, quæ in somnijs fiunt, sed referat in casum, vel naturam: non negat absolutè, sed propter rationes; leues illas quidem, quasi Deus egeat vigilantia, vel probitate, aut sapientia nostra in suis donis distribuendis: & non potius ideò det hominibus vilioribus, & inscientibus, & dormientibus, vt hoc non ex nostra, sed ex superiori prouidentia reuelatum agnoscatur. Vtcumque tamen se se res habeat, hoc certum est ex eo libro, non posse hominem de futuris certò, & infallibiliter cognoscere

Tertiò, comparando intellectum non separatum ad separata, Aristoteles non sibi ascisci *Num 18.* ma-

magnam, aut multi iugam veritatum cognitionem de ſeparatis. In 3. de anima 36. tradiderat, quòd intellectus non ſeparatus intelligit res phyſicas, & mathematicas, nempe coniunctas re, & ratione: vel ratione ſeparatas, non re. Hinc dubitat, an intellectus nõ ſeparatus, ſeparata intelligere valeat, an non; remque in poſterum differt. Sed cum nõ haberet certã demonſtrationem de intellectione noſtra reſpectu ſeparatorum, an fiat tantùm ex ſenſibilibus, an immediatè per eſſentiam propriam intelligantur ſeparata: maluit in ſe deſiderari ſapientiam, quàm modeſtiam, vt ait Theophilus Zimara ad tex. 36. 3. de anima, remq; hãc quidam in his, qui extant libris, non inueniunt reſolutam.

Quapropter in 2. met. primo quærens, cur ſpeculatio de veritate ſit facilis, ait. *Cum verò difficultas duobus ſit modis, fortaſſis cauſa eius non rebus, ſed nobis ipſis ineſt. Quemadmodum enim veſpertilionum oculi ad lumen diei ſe habent, ita & intellectus animæ noſtræ ad ea, quæ manifeſtiſſima omnium ſunt.* Atqui manifeſtiſſima omnium sũt entia illa, quæ ſunt primæ cauſæ tanquam & entia maxima, & maximè vera, ex eodem libro tex. 4. Sed entia ſeparata, & primum ſeparatorum ſunt, & maximè vera, & maximè entia, atque ad hoc primum præſertim, vt ſolem, intellectus noſter vt oculus noctuæ ſe ſe habet; vt quàm pauciſſima, & modice attingat de ſupremo illo ſole intelligibili. Plura alia loc ſimilia obſeruari poterunt in Ariſtotele, ſed hæc nobis ſufficiant.

Verum enimuerò vnus eſt nobis ictus præueniendus. Dicere nanque aliquis poſſet cum Auerroe philoſophiam in vno homine perfectam non eſſe, ſed in omnibus hominibus eſſe perfectam, & omnibus numeris abſolutam; quod enim vnus neſcit, alter ſcit, omnes ergo omnium veritatum cognitione potientur. *Num* 19.

His obijcio textum 151. 2. de anima, quo in loco Ariſtoteles refert antiquiores Philoſophos de ſcientia diſſeruiſſe, de ignorantia, deceptioneque non attigiſſe: cum hoc potiùs facto opus eſſet. *Et tamen*, inquit, *oportuit ſimul ipſos, & de deceptione dicere, magis propria enim eſt animalibus, & plus temporis in hac permanet anima.* Ad cuius loci expoſitionem commemoro, *dictum de omni* ſcientiale ex primo poſt. particula 29. includere vniuerſitatem ſubiectorum, & vniuerſitatem temporum: nempè oportet prædicatum ineſſe omni ſubiecto, non autem eſſe in aliquo ſic, in aliquo non; oportet ineſſe omni tempore, nõ autem aliquando ſic, aliquando non. Ex his duabus regulis docuit nos Philoſophus explorare, quid nam eueniat ſecundum naturam, aut præter naturam. *Eſt enim natura illa rerum, quam habent plures, & pluri tempore.* Quemadmodum exaratum eſt in 3. de cælo 24. quibus cõſentanea excerpſimus

in

in 2. de ortu, & interitu ; 9. & in 2. phys. 77. ac sæpè alibi. Naturale igitur est, quod in omnibus, vel pluribus: quod semper, aut plerunque euenit.

Nunc autem si subiecta considéres humana: ex vnaque parte speculatores veritatis, ex alia neglectores speculatiuarum, vel desertores consideres: inuenies multis partibus plures esse ignaros, quàm scientes; si tempora rimeris humanæ vitæ, quantum somno demus, cibo, potuique, voluptatibus, ægritudinibus, quieti à labore: quãtũ amicis, rebusq; nostris, vel conquirendis, vel conseruandis: minimam vitæ partem nos in bonis studijs traducere comperies. Iure itaque Arist. dixit nõ solùm de tempore, sed etiam de subiectis, magis propriam nobis esse deceptionem, ignorantiamque contrariam, quàm sit scientia veritatis; quapropter neque tota species hominum omnes veritates actu percipit.

Num 20. Præterea nullus hominum potest propius ad cœlum ascendere, quàm Aristoteles potuerit; nullus ad centrum penetrare, grauitate prohibente ascensum, crassitie corporis descensum, vt latentes veritates intra terræ viscera, vel supra sphęrarum dorsa vestigare potuerit. Insuper nullus hominum intellectu veritatum futuratum magis pollere debet; cum illius sagacissimus intellectus ad eam, certitudinem peruenire nequiuerit. Eadem enim causa, & respectu Aristotelis, & respectu cuiuslibet impedit. Neque dixeris præteritos præterita nosse, præsentes præsentia, futuros futura; quare & si futura nobis comperta non sint, esse illis, quibus erunt præsentia. Propterea quòd veritas de præterito, vel præsenti, non est eadem cũ veritate de futuro. Vndè ista *Aristoteles Nicomachi nascitur, vel nascetur* est falsa. *Arist. natus est*, est vera; quarè non agnoscet veritatem de futuro, sed de præsenti homo præsens. Quanquam neque omnia, quæ in præsenti tempore sunt, homines præsentes agnoscant, neque causas eorum: similiter neque præterita omnia cognoscere possumus, neque futura; igitur sub hac ratione futuri, vel præteriti nemo omnia; neque omnes omnia norunt.

Denique omnes intellectus humani sunt sensibus addicti, quemadmodũ intellectus Aristotelis, ergo similiter aliorum hominum intellectus est, vt noctua ad primum ens, primumque intelligibile. Si quis verò se Aristotele sapientiorem doctrina, vegetiorem intellectu esse iactauerit, ei erit gratulandum, & si hoc re ipsa præstauerit, gratias agendum. Ex his omnibus penè constat, neque Aristotelem de se ipso sensisse, neque de alijs vel singulis, vel omnibus, quòd noster intellectus non separatus omnes veritates cognoscibiles actu cognoscere valeat.

Opi-

Opinantes hominem poſſe omnia noſſe, & confutatio eorum. Cap. IIII.

Num 21. QVinam igitur ex philoſophis in ea ſunt opinione, vt homo naturali acumine intellectus cum obiectis nunc nobis occurrentibus, omnes valeat tenere veritates?

Ioãnes Franciſcus Picus Mirandulanus in examine vanitatis doctrinæ gentium lib. 2. cap 1. refert Heraclitũ prius dixiſſe, ſe nihil ſcire, poſterius verò, ſe omnia ſcire. Horum dictorũ, vt mihi videtur Socrates ſibi priorem partem vendicauit, poſteriorem Hippias Eleates, & Gorgias Leontinus. Teſtis locupletiſſimus erit nobis de vtroq; Plato. De Hippia in dialogo prętitulato Hippias maior, vbi conſtat Hippiam in Olympiis ſępius ſe ſe omnia ſcire iactaſſe; atque, vt Cicero in 3. de oratore dixit, Hippias, audiente penè tota Græcia, gloriatus eſt, nihil eſſe in vlla arte rerum omnium, quod ipſe neſciret; nec ſolùm has artes, quibus liberales doctrinæ, atque ingenuæ continerentur, Geometriã, muſicam, literarum agnitionẽ, & poetarum, atque illas, quæ de naturis rerum, de hominum motibus, de rebus publicis dicerentur; ſed annulum, quem habebat, pallium, quo amictus, ſoccos, quibus indutus eſſet, ſe ſua manu confeciſſe.

De Gorgia in Menone Plato, & in Gorgia oſtendit, illum ſe ſe toti Græciæ obtuliſſe, ſingulosque incitaſſe, vt quęrerẽt, quodcunque vellent, ſe reſponſurum ad omnia. Neque ſine fructu; tàm enim eius eruditio publicè placuit, vt Gorgiæ in templo Delphico aureã ſtatuam poſuerint, cum alijs lignea, inaurata tamen, poſita eſſet; vti Eborenſis in exemplis car. 317. ex Valer. max. teſtatur. lib. 8.

Num 22. Duo quoque ex Lyceo in eadem ſunt opinione, Alexander Aphrodiſeus, & Auerroes Cordubenſis. Hi nanque ante intellectum adeptum, & in habitu, non concedunt intellectum humanum omnia ſcire; ſed poſt intellectum adeptum volunt, vt intellectus poſſibilis omnia fiat, agens omnia faciat; imò vt intellectus non ſeparatus, ſeparata per eorum eſſentiam, nõ per ſpeciem vllam intelligat. Quod non mea fide dico, ſed ne quis in hoc me reprehendat, quaſi hos authores non intellexerim, dabo teſtes Zimaram in 2. de anima ad tex. 36. doctiſſimum Bargium in primã Prologi ſententiarum.

Num 23. Aduerſus iſtos, quatenus Ariſtotelicæ authoritati non acquieſcant, rationibus eſt agendum. Sunt autem tres actus intellectus noſtri, ſimplicia apprehendere, complecti ſimplicia, hoc eſt componere, & diuidere, tertiò denique diſcurrere à complexo noto ad ignotum; impoſſibile eſt autem cognoſcere concluſiones, ignoratis propoſitionibus, & impoſſibile eſt cognoſcere propoſitiones, ignoratis terminis. Termini ſunt vel vniuerſales, vel particulares ex pri-

mo

mo de interpretatione cap. 5. & primo priorum sectione 2. cap. 1. Singularia verò considerantur vel actualia vel possibilia: possibilia primum nobis suggerent argumentum.

Primò, impossibile est intellectum finitum infinita pertransire per 2. met. 6. & 5. phys. 13. Sed possibilia singularia specierum generabilium, & corruptibilium sunt infinita, quælibet enim species potest in infinitum perennare, vnde & hoc aperit 2. de anima 34. & 35. ergo impossibile est intellectum finitū intelligere omnia singularia possibilia. At intellectus humanus non separatus est finitus, ergo nō potest omnia singularia possibilia apprehendere, neque omnia componere, & diuidere, neq; à complexis notis ad omnes veritates de illis singularibus discurrere.

Secūdò, multa singularia possibilia nondum fuerunt, multa neque fuerunt, neque sunt, neque futura sunt, ex 9. met. tex. 7. 8. 9. & in lib. de diuin. per somn. cap. 2. ergo intellectus nosster neque speciem propriam illorum, neque intellectionem eorum potest habere. Consequentia probatur. Nihil, quod actu non est, potest actu efficere aliquid; quia quod non habet actum primum offendi, neque secūdum agendi potest habere. Sed obiectum cognoscibile est causa effectrix speciei, & cognitionis in sensum, & intellectum per 2. de anima 52. & 59. atque 3. de anima 2. & 3. ergo nullum obiectum est cognoscibile actu, quod actu non sit; sicut neque quod actu non est, est per se cognoscibile sub propria ratione.

Num 23. Tertiò de singularibus actu loquamur, quæ fuerunt, sunt, futura sunt. *Si* hæc sint infinita. Infinita impossibile est pertransire. *Si* finita, cum numerus singularium sit incertus, percōtor, quot arenę maris sunt hodie in vniuerso? Quot pluuiæ guttæ vno anno cadunt in vniuerso? Quot folia, flores, fructus singulis annis enascuntur? Quot homines hactenus nati, quæ eorū nomina, patrię, parentes, ortus, actiones, passiones, interitus? Quæ, & sexcenta similia, cum actu sint, habent: suas veritates at à nullo homine, nisi temerè possunt affirmari. Quomodo enim Hippias, vel Gorgias, aut etiam Aphrodis. & Auer. nos reddent certos, quòd neque ipsi se decipiant, neque nos velint decipere, si veritates de his audeant asserere? Atq; vt rideam, cauillus sophistarum ex primo post. cap. 1. confutabit eos, cū .n. dixerint se scire, omnem binarium esse parem, imò omnia omnino, concluſa aliqua re in manu, postulabimus, vt vaticinentur, tumque cum ruborè conuincentur se nescire, neque illud singulare, neque veritates de illo, atque etiam de plurimis penè innumerabilibus talibus.

Num 24. Si secundo de vniuersalibus loquamur. Cum impossibile sit infinita pertransiri ab intellectu nostro, vti dudū scripsi: & vniuersalia cognoscibilia incomplexa sunt infinita, quia species nu-

numerorum ſunt poſſibiles in infinitum, ergo & ſpecies intellectiles repreſentatrices erunt infinitæ, & actus cognoſcendi infinitas quiditates, & infinitas paſſiones de illis quiditatibus (quælibet enim ſpecies ſpecialiſſima habet ſuam quiditatem, & ſuam proprietatem) itaque intellectus vnus ſciens hæc omnia, vel actu, vel habitu habebit actu intellectiones infinitas, vel vnam correſpondentem infinitis: habebit infinitas ſpecies intelligibiles ſimul, dabiturque gratis infinitum in actu, contra Ariſt. 3. phyſ. 41. Eadem ratio fiet de ſpeciebus figurarũ, quæ in infinitum ſunt multiplicabiles; de ſpeciebus proportionum naſcituarum ex diuiſione continui, vt ſi diuidatur linea in duas medietates fiet proportio dupla: ſi ambæ ſubdiuidantur fiet quadrupla, hinc octupla ad infinitatem vſque. Ita ſi diuiſio fiat ſecundum proportionem ſuper particularem, vel ſuper partiẽtem, proportiones, infinitatem verſus aſcendunt.

Si igitur omnes veritates cognoſcibiles aliquis cognoſcat actu, igitur infinitum actu pertranſitur, imò datur infinitum actu. *Num 25.*

Hinc etiam conuellitur ſupradicta Auerrois reſponſio de completa philoſophia reſpectu ſpeciei humanæ: quoniam philoſophia eſt ſcientia veritatis contemplatrix 2. met. 3. cũ igitur de omnibus ſpecialiſſimis numerorum, figurarum, proportionum, ſint veritates cognoſcibiles: & aliæ quidem immediatæ, vt ſi de (ſpecialiſſimo ſua definitio, ſi de definitione primum proprium ſpeciei enũtietur) aliæ mediatæ: tunc homines actu exiſtentes, qui finiti ſunt multitudine, infinitam multitudinem veritatum cognoſcibilium, imò ſcibilium, ac intelligibilium abſoluẽt: finitiq; homines infinitas demonſtrationes perficient. Quodque eſt abſurdiſſimum, ſi eſt vnus intellectus omnium hominum, vnus intellectus eodem tempore infinitas apprehenſiones ſimplicium ſpecierum, infinitas complexiones immediatas coniunget, agnoſcetque, quod verę ſũt, infinitas quoque demonſtrationes conficiet: quod eſt omnino impoſſibile.

Senſim à ſimplicibus terminis ad complexa ſũ lapſus. Cõplexorum, alia ſunt neceſſaria, alia contingentia. Contingentia ſunt de præterito, præſenti, futuro. Nullus intellectus humanus poteſt certò, & infallibiliter cognoſcere futura contingentia, vel conformitatem enũtiationum de futuro, quę nunc fiunt ad rẽ, quę vel erit, vel futura erit. Imo hoc, vel ſolus Deus, vel nullus poteſt. Vbi enim intellectus eſt dependens in cognoſcẽda veritate ab obiecto, ſi obiectũ in ſe ſit incertũ, atque indeterminatũ: neceſſario is intellectus erit incertus, atq; indeterminatus. Quare è contra, vbi intellectus aliquis eſt independens in cognoſcendo ab obiecto cognoſcibili; tunc, & ſi obiectũ indeterminatum, incertumue ſit, poterit certò, ac determinatè cognoſcere obiectũ, obie- *Num 26.*

ctumque potius intellectui cõformabitur, quàm intellectus obiecto illi: sed hoc aliâs. Satis est, neminem futura omnia, vt existunt sub ratione futuri, posse cognoscere, loquendo de futuris contingentibus.

Num 27. Conuertamur ad complexa necessaria: fortè enim dicere possent aduersarij, se agere de veris necessarijs, siue medio polleant, siue medio vacent. Nam de contingentibus nec intellectus, nec scientia est, sed de necessarijs veritatibus. Ostendamus nos, neque necessarias veritates omnes posse virtute intellectus agentis, ac phantasmatis agnosci actualiter ab homine pro statu præsenti. Primoque argumentor ex distantia inter potentiam, & obiectum. Nulla potentia cognitiua potest euidenter attingere aliquod obiectum, nisi inter potentiam, & obiectum sit determinata distãtia, vt experimento constat inter sensibile, & sensum. Impossibile autem est, vt omnia obiecta simplicia, de quibus formãdæ sunt necessariæ veritates, sint nobis approximata in aliqua proportionata distantia: quis enim euolabit vsque ad verticem siderum, vt propè aspiciat, quæ illic sunt? Quis perforans penetrabit soliditatem terræ vsque ad centrum, explorans omnes necessarias veritates intra terræ viscera abditas? Ergo nullus homo suo sensu, aut intellectu cognitiuis omnes necessarias veritates agnoscet. Maior ex eo constat, quod ex 9. met. 10. & 12. inter agẽs, & patiens requiritur sufficiens approximatio; sed obiectum est agens, & potentia cognitiua patiens, igitur nulla potentia cognitiua euidenter noscet, nisi cum approximatione debita obiecti. Atque hęc obiecta neque sunt, neque possunt nobis esse proxima, vt sui speciem, vel cognitionem distinctam efficiant. Hinc prudenter Aristoteles ex nimia distantia cæli à nobis dixit locis supra citatis, nos pauca, & parùm habere de cælis perspecta.

Num 28. Secundò, ex ordine potentiarum cognitiuarum arguo. Nihil est in intellectu, nisi prius fuerit in sensu: siue quia talis est graduũ animæ ordo, vt priores sint functiones vegetales, posteriores sensuales, postremæ rationales; siue hoc proueniat ex ordine potentiarum cognitiuarum in agendo, vt obiectum ab inferiore subministretur superiori, sicuti à sensu externo sensu ministratur interno puta phantasiæ: & similiter à sensu interno ministratur intellectui. Vndecunque hoc sit, nihil est formaliter ab intellectu cognitum, quod non sit originaliter à sensu. Atqui nulla substantia, siue sensilis, siue insensilis sub sensu cadit, nisi per accidens; nam sensibile per se, & proprium est accidẽs, vt color, sonus: sensibile per se, & commune est accidens, vt figura, motus, quies, &c. 2. de anima 63. &c. Ergo per sensilia nõ cognoscemus substantias vllas, nisi per accidens, & communia substantiis, & accidentibus.

bus. Propria tamen ipſius ſubſtantiæ prædicata, ſiue per ſe primo, ſiue per ſe ſecundo modo, ſunt multò pretioſiora prędicatis accidentarijs, ergo pretioſiſſimam partem veritatum neceſſariarum de ſubſtantia naturaliter indagare nequimus ſic, vt attingamus omnes.

Num 29. Tertiò, ex multitudine concluſionum neceſſariarũ. Ariſt. in primo poſt. 189. aſſeruit concluſiones demonſtrabiles in infinitum procedere. Quod qui neget, is timetur mathematicas facultates, in quibus concluſioni concluſio annectitur in infinitum, tùm in auctione diſcreti, tùm in diminutione continui; ſic etiam in phyſica, ſi attendas diuiſionem, vel additionem tẽporis, & motus. Certè ſpecies numerorum, & figuratum, & proportionum in infinitũ aſcendunt. Sed cuiuslibet ſpeciei ſpecialiſſimæ danda eſt ſua definitio, ſuaque proprietas, ex quibus demonſtratio fiat; qui autem hæc omnia arbitratur ſciri ab homine poſſe, is infinitas nectere potuit demonſtrationes, infinitas concluſiones compoſuit, percepit, demonſtrauit. Quod illi fortè dicent: at nos, etiam ſine fortè, illis non credemus.

Num 30. Ad experimẽtum veniamus. In mathematica, aſtrologia, phyſica. In geometria à tribus frrè annorum millibus ardentiſſimè exquiritur *quadratio circuli*, & ſectio circuli in quotcũque partes. Si hoc ſciebant vẽtoſi hi promiſſores, quare demereri noluerunt poſteritatem, ſeque immortales reddere hac demonſtratione inuenta? In aſtrologia à totidem, & eo amplius annorum millenarijs quęritur certa regula motuum cæleſtium numerandorum: nullaque inuenta eſt, quæ non ita multò poſt fallax deprehendatur. Nimirum quia certas periodos ſingulorum orbium non ſatis poſſumus obſeruare.

In phyſica de animæ intellectiuæ ſubſtantia, origine, informatione, multiplicatione, duratione, beatitudine, regreſſu, litigio implacabili, & immortali philoſophi litigant: ſectæ cum ſectis, & in eadem ſecta Peripateticorum ſunt ſectiunculæ plures, quas litigare contra euidentem demonſtrationem velle, non eſt veriſimile. Sed in his faciliùs eſt demonſtrationes iactare, quàm tenere. Ea propter, qui diſſidium immortale philoſophorũ animaduerterit: leui negotio cognoſcet, nihil eſſe certo demonſtratum, vbi nihil conſpicit certũ, tantoque ſæculorum decurſu, communi conſenſu nihil deciſum.

Num 31. Accedit, quòd ſubſtantias ſẽſibiles, & per effectus, & per accidentia formaliter inhærentia ipſis agnoſcimus 1. de anima 11. At ſubſtantiæ ſeparatæ nullo ſenſibili accidente informantur, vt poſſimus determinatam ſpeciem vnam ab altera ſpecie per propria earum, ſaltẽ à poſteriori formaliter diſcernere. Per effectus tantùm cognoſcimus aliquas, quià ſcilicet motus quilibet cæleſtis poſtu-

lat vnum orbem, & quilibet orbis postulat vnam intelligentiam, quæ est finis tùm corporis lati, tùm lationis, sicut anima est finis corporis. Atque eadé anima, quæ est finis corporis, & operum eius, est principium efficiens motionum sui corporis, & inferiorum. Vnde 12. met. 48. & 49. tot esse concludunt substantiæ immobiles, sed motrices, quot orbes mobiles. An verò sint aliquæ aliæ substantiæ immobiles, quæ non moueant, sed præcisè sistant in contemplatione primi intelligibilis, & primi volũtate affectabilis, iuxta 12. met. 36. non est in Lyceo vsquequaque perspectum; quia in primo de cælo 100. ponũtur extra cælum, siue extra extimã lationem, substantiæ plures intransmutabiles, inalterabiles, impassibiles, æternæ, viuentes optimam vitam, & per se sufficientissimam, nullo loco, vel tempore contentæ. Hæ verò nõ videntur esse orbium motrices, quia motor est in ipso orbe ex 8. phys. 84. Quare apparebit fortè probabile esse, vt ponatur substantia immobilis motiua in sphæra mota, non extra extimã: quo dato valdè probabiliter ponentur substantiæ separatæ, de quibus neque effectus vllos cernimus, neque vlla accidẽtia eis inhærentia inuenimus.

Num 32. Postremò inter potentiam, & obiectum non requiritur æqualitas perfectionis, neque enim accidens in phantasmate est æqualis perfectionis cum intellectu; neque requiritur identitas, quia intellectus tunc non intelligeret, nisi se ipsum. Sed & hoc in 1. de anima à tex. 75. est robustissimè reprobatum; satis est si obiectum habeat aliquam proportionem actiui partialis in potentiam intellectualem nostram, vt passiuam; sed requiritur aliqua proportio, vnde si obiectum valdè excedat potentiam sensitiuã, eam lædit in esse, & impedit in ipso agere, seu iudicare sensilia minora; si etiam excedat valde potentiam intellectiuam, non lædit ipsam quo ad esse, neque quo ad agere impedit, imò corroborat ex 3. animæ. 7. tamen ex intellectus imperfectione ad tantum obiectum, est vt non possit perfectè illud excellentissimum attingere, & omnia de ipso cognoscere. Sicut enim noctua pauca, vel de sole, vel solaris lucis ope cernit; sic intellectus noster de Deo, & separatis 2. met. 1. de quorum notione alio loco. Nunc argumenta oppositа diluamus.

Soluuntur argumenta è Scoto relata in cap. 2.
Cap. V.

AD argumenta, quæ nomine philosophorum vrgebantur, diuenda conuertamur Primi concedatur maior, negatur minor. Ad probationem dico, duplex esse actiuum partiale intellectionis, & omninò omnis cognitionis, scilicet obiectum, & potentiam: ex his fit vnum actiuum totale, nam ex cognoscente, & cognito paritur cognitio. Profectò sẽsibile est actiuũ in

Num 33. *Mayron. in prol. q. 21. soluit breuissimè argumẽta.*

in ſenſum ex 2. de anima 51. & intelligibile in intellectum 3. de anima 2. In anima noſtra iuncta corpori, ineſt ſufficiens paſſiuum naturale reſpectu omnis ſpeciei intelligibilis, & reſpectu omnis intellectionis, ſiue attingatur obiectum in ſe, quæ eſt intellectio intuitiua, ſiue attingatur obiectum in ſpecie propria, vel aliena, quæ eſt intellectio abſtractiua. At in anima non eſt actiuum totale reſpectu intellectionis, ſed partiale, nimirum intellectus agẽs, cuius eſt facere ſpeciem intelligibilem, vel intellectionem, ex 3. de anima 18. Aliud verò actiuum partiale, quod eſt obiectũ intelligibile, non ineſt in anima noſtra, imò intellectus ab initio eſt, per 3. de anima 14. veluti tabula raſa, in qua nihil eſt depictum. Neque poteſt intellectus poſſibilis coniunctus actu fieri omnia, vel intellectus agẽs facere omnia, quia neque poteſt omnibus obiectis ſatis approximari: vel ex impedimẽto corporis, quod neq; ad cælum, neque ad centrum permittit accedere; vel ex ordine potentiarum cognitiuarum, ob quem ad intellectum non pergit, quod per ſẽſum non agnoſcitur: vel ob vitæ breuitatem, & multorum neceſſariorum procurationem; itẽ ob ſomnos, ægritudines, infortunia. Quæ impedimenta reſpectu totius humanæ ſpeciei ſunt inſuperabilia. Ea propter in plurimis neceſſe eſt aliorum relationi, aut doctrinæ acquieſcere; iis ſcilicet, qui per ſe ſe inuenerunt, vel viderunt, ſenſeruntque. Sic Ariſt. 1. cæli 60 credebat Babyloniis, & Ægyptiis in plurimis rebus: in plurimis item fidem habet in libris de hiſtoria animalium obſeruatoribus animalium. Ne igitur in iis, quæ ſuperant prudentiam noſtram, remaneamus tabula raſa, ex aliis diſcamus oportet. ſcientibus, vel humano modo, vel validiùs 2. cæli 34.

Ad confirmationem negatur maior. Profectò potẽtia actiua naturalis dicitur æquiuocè, primò pro principio interno contra externum, vt 2. phyſ. 84. & 86. ſecũdò pro principio diſtincto contra intellectũ, vt 2. phyſ. 49. & 67. atque 2. de anima 37. Vt intellectus facit propter aliquid, ita facit naturâ, atque ita actiuum naturale diſtinguitur contra intellectuale: tertiò prò principio in genere phyſico, & diſtinguitur contra agens non phyſicum 2. phys. 75. Si primo modo dicas, cuilibet potentiæ paſſiuæ in aliquo correſpondere principium internum, id falſum dicam: quia ex 2. de anima 52. ſenſus eſt in potentia paſſiua naturali: at potentia actiua externa eſt in obiecto. Et ex 2. de gener. animal. c. 3. corpus humanum eſt in potentia paſſiua ad intellectum, ſed non eſt in ſemine potentia actiua conferẽs intellectum, imò is extrinſecus accedit; imò in primo de gen. animalium c. 21. fuſè Ariſt. docuit in menſtruo mulieris eſſe potentiam paſſiuam in ſemine viri actiuam: ſemenque nullâ eſſe partẽ, vel materiæ, vel prolis conceptæ. Si ſecundo modo

Num. 34.

do sermo fiat, neque hoc modo cuilibet potentiæ passiuæ correspondet actiua non intellectualis, cum hominis corpus sit naturaliter mobile ab anima, & lingua naturaliter mobilis ad loquendum, manus ad agendum tanquam instrumentum instrumẽtorũ; quę intellectus mouet, vera natura. Imo iã excluderetur, & intellectus agẽs à faciẽda specie, vel intellectione: & anima cæli motrix cælũ non cieret, quod reluctatur Aristoteli 2. de celo 13. Si tertio modo quæras, inuenis cælum esse in potentia passiua naturali ad circulationem 1 de cælo 15. sed intellectus primus mouens naturaliter quidem mouet 3. de cælo 20. & 2. phys. 73. at non physicum mouens est. Sic & anima intellectualis in corpus humanum ab intellectu immittitur aliqno. Ad minorem; intellectus possibilis est potentia passiua naturalis, sed potentia actiua partim est extrinseca, vt obiectũ, partim intrinseca, vt intellectus agens. Itẽ partim est naturale accidens, vt color, vel motus, partim intellectuale agens, vt præceptor, vel mulier sponte se videndam exhibens. Denique partim est obiectum physicum, partim metaphysicum, partim mathematicum. Itaq; à variis agentibus ad actũ reducitur, & à quocunque agente intellectus patiẽs ad actũ reducatur, non frustra est potentia. Sepè enim potẽtia passiua naturalis non potest reduci ad actum, nisi à non naturali agente.

Ad secundum in scientiis, speculatiua, actiua, factiua tractatur de omnibus, non quo ad omnia cognoscibilia de illis. Sed ex lib. 2. ptiorum cap. 26. scire trifariam dicitur, vel vt vniuersali, vel vt propria, vel vt agere. Vt vniuersali, quia scimus in vniuersali, sed ignoramus in particulari: vt propria quia cognoscimus particulare, sed non applicamus vniuersale, & particulare; vt agere, quia coniungimus vniuersalem propositionem, cum particulari, tumque actu cognoscimus, & simpliciter. Cognoscimus igitur in scientiis omnia in vniuersali, at non in propria ratione speciali: sic monet Arist. 1. met. sum. 1 cap. 2. Sapientem omnia scire aliquomodo, & in vniuersali, tunc enim quodammodo scit omnia subiecta sub ratione communi, non propria. Propria verò quandoque ignorat, tùm subiecta, tùm quiditates subiectorum, tùm affectiones, nam aliquæ de subiectis notis sunt affectiones ignotæ, vt quadratio circuli. Num. 35.

Ad tertiũ; minoris prima pars ambigua est, secũda falsa: ambigua est prima dicens in probatione, vniuersalissima esse nobis notissima, cum ex aduerso in primo met. sum. 1. c. 2. legamus. *Ferè autem & difficillima cognitu hominibus sunt ea, quæ maximè vniuersalia sũt: si quidẽ remotissima sunt à sensibus.* Similia reperies in primo post. 12. Quod autem ex primo phys. 4. omnibus facit negotium, est re de vniuersali comparato ad sua in- Num. 36.

inferiora, ſed ad ſua ſuperiora in quæ reſoluitur, vt in ſingula, ſicuti circulus in genus, & differentiam. Quale totum confuſum eſt minus vniuerſale, non magis. Plura lege in Veſtigatione de primo cognito. Sed abſque ambiguitate ſecunda pars eſt falſa, dicens, in principiis communiſſimis includi virtualiter omnes veritates ſcibiles, quia prædicata propria ex principijs proprijs, communia ex communibus ſciri debent, ex primo poſt. contex. 66. & ſequẽtibus; quare communiſſima principia nos donant cognitione communiſſimorum prædicatorum, ſed ignaros propriorum relinquunt. Itaque diſtinguo de cõcluſionibus generabilibus & ſpecialibus: quia verò concluſio conſtat ex prædicato, & ſubiecto, ſi apprehendãtur ſubiecta ſpecialia, tunc virtute principij communiſſimi ſcietur prædicatum communiſſimum de quolibet inferiore ad ſubiectum principij communiſſimi: vt ſi principium eſt, De quolibet ente verum eſt affirmare, vel negare. Addo, ſed leo eſt ens, ergo & de leone verum eſt affirmare, vel negare: item ſi apprehendas prædicatum ſpeciale, vt rugibile, potes dicere, ergo de leone verum eſt, quòd eſt rugibilis, vel non rugibilis. Si autem non apprehendas ſubiecta ſpecialia, qualis eſt v. g. *Taranda*, non potes omne ens, niſi in vniuerſali ſcire, non autẽ in ſpeciali, ex primo poſt. cap. 1. Si etiam apprehendas prædicatum ſpeciale non potes per principium cõmune illud probare de ſubiecto ſpeciali, niſi adiuncto principio proprio: neque enim concludes determinatè, *leo eſt rugibilis* per primum principium, tùm quia in virtute communium non continentur propria, niſi potentiâ, non actu, ergo virtute communium cognoſcuntur potentiâ, non actu; tùm quia ſubiectum communiſſimum continet potentiâ inferiora ſubiecta, pro quibus diſtribuitur; at prædicatum non continet inferiorum prędicata, ſeu paſſiones, neque diſtribuitur prædicatum in vniuerſali affirmatiua, iuxta præſcriptum in 1. de interp. cap. 5. Idcircò virtute primorũ principiorum non poſſumus noſſe prædicata propria.

Breuiùs, negatur ſecunda pars minoris. Ad probationem, cõcedo maiorem reſpectu termini diſtributi: quando enim vniuerſale vniuerſaliter diſtribuitur, accipitur prò omnibus inferioribus conceptibus, diſtribuitur autem à parte ſubiecti, non prędicati Ergo accipitur pro omnibus ſubiectis inferioribus per dictũ de omni, vel de nullo, non actu, & vt propria, ſed potẽtiâ, & vt vniuerſale. Vniuerſaliter ergo ſcimus omnia ſubiecta, nõ ſub propria ratione. Prædicata vero ſpecialia neque actu, neque potẽtia continentur in prędicato generali, cum enim prædicatum non diſtribuatur, ſub eo non licet deſcendere per dictum de omni, vel de nullo. Itaque virtute principiorum communiſſimorum hoc habemus,

quod

quòd nos poſſumus omnia ſubiecta ſcire, non autem quòd ea ſciamus actu; prædicata nec actu, nec potentiâ ſcimus. Nec aliud ex ijs principijs concluditur.

Alia quædam argumenta tolluntur. Cap. VI.

Num 37. THeophilus Zimara in 3. de anima ad tex. 46. arguit pro Alexandro Aphrodiſeo. Omnis potentia actiua, vel paſſiua generabilis, quę peruenit ad ſummum perfectionis in actu primo, poteſt etiam peruenire ad ſummum perfectionis in actu ſecundo, vel paſſione ſecunda; ſed intellectus poſſibilis ſpeculatiuus eſt generabilis, vt ipſe ſupponit, & peruenit ad ſummum ſuæ perfectionis, ſcilicet quando eſt intellectus adeptus, nempè factus ſingula ſpeculabilia, tumque ei coniungitur intellectus agens, apertè ergo intellectus poſſibilis ſpeculatiuus, vel in habitu (quomodocunq; appelletur) poteſt peruenire ad ſummũ perfectionis in actu ſecundo; at perfectio ſecunda intellectus noſtri poſſibilis eſt intelligere omnia materialia, & immaterialia: ergo intellectus hæc naturaliter, ait ipſe, poteſt intelligere, & quidẽ per eſſentiam, & non per ſpeciẽ.

Auerroes ex Zimara ibidem obſeruat, hoc argumentum Alexandri petere vltimam ſuppoſitionem, non probare: ſcilicet quòd perfectio ſecunda intellectus noſtri ſit intelligere immaterialia. Hoc enim eſt in quæſtione. Nititur Auerroes alio modo idem concludere; quamquam, vt accuratè Zimara aduertit in eadem ſagena petitionis capiatur & Auerroes.

Nos ad argumentum ita dicamus diſtinguentes, aliquis poteſt ex ſe peruenire ad ſummũ perfectionis in actu, ſecũdo vel paſſione ſecunda, aut poteſt ex alio etiam opitulante. Ita concedatur maior, aliàs negetur. Neque enim ſi ex 2. phys. 14. & 15. artium vna facit materiã, altera præparat, tertia formas nauim; quarta vtitur naui; propterea ars, quæ facit, & præparat, poteſt etiam informare, vel vti: imò materia ab vno artifice eſt, à ſuperiori perficitur vltima perfectione. Sic ex primo Nicom. cap. 1. frænifactiua facit frænum, frænum ab illa accipit ſummum perfectionis in actu primo ſed à ſuperiori agẽte, puta equeſtri, & militari perficitur actu ſecundo, vincendo hoſtes. Ita ſemẽ generat oculos in actu primo, ſed ad habendum ſummam perfectionem in actu ſecũdo, cæli lumen eſt neceſſarium, aut ignis, ſi cælum ab igne diuerſum eſt. Minoris prima pars de intellectu poſſibili, quod incipiat eſſe, detur: item & de intellectu in habitu, ſiue ſpeculatiuo, ſiue actiuo, ſiue factiuo, detur, nam habitus de nouo acquiritur. Quod ait intellectum poſſibilem peruenire ad ſummũ perfectionis in actu primo, eſt prorſus falſum; neque enim ſummum perfectionis aſſequitur extenſiuè, vt omnium ſpecies, aut intellectiones ſpeculatrices

trices obtineat, ſed præcisè illorum, quæ ſenſuum beneficio poteſt adipiſci; neque ſummum perfectionis intenſiuè, quia neque Deum, & alia ſeparata ſibi obiecta habet, aut per eſſentiã, aut per ſpeciem repreſentantẽ: neque eorum intellectionem habet intuitiuam, aut abſtractiuam per propriam ſpeciem; ſed qualem poteſt per ſpeciem ſenſibilium. Denique, & quod Auerroes negauit in argumento, nos quoque negamus: quia obiectum actiuum non eſt approximatum, ſcilicet ſeparatum intellectui non ſeparato. Cæterùm veſtigatio de ſeparatis ſubſtantijs ſpecialiter eſt ineunda.

Num 38. Ad quartum argumentum cap. 2. poſitum, Reſpondetur, obiectum naturale adęquatum intellectus noſtri conſiderari bifariam, vel ſecundum naturam intellectus, vel ſecundum ſtatum intellectus coniuncti: ſecundo modo negatur minor, quia ſola quiditas ſenſibilis, & incluſa in 1. ſa quiditatiuè, aut cauſaliter pro ſtatu iſto cognoſcimus: ſic etiam obiectum metaphyſicæ cognoſcitur. Primo modo ens, vt ens, eſt obiectum intellectus humani.

Aliter ad maiorem dico, potentiam poſſe in quodlibet per ſe contentum ſub obiecto, modò ſatis ipſum contentum approximetur potentiæ. Sed prò ſtatu iſto intellectui ſequenti ſenſum, approximantur ſola ſenſibilia, & in ſenſibilibus contenta eſſentialiter, aut virtualiter.

Num 39. Ad primam authoritatem ſub num. 13. poſitam ex 3. de anima, quarto, dici poſſet, illic tractari de intellectu ex natura potentiæ, non præcisè de intellectu pro ſtatu coniunctionis. Poſſet etiam dici, quòd obiecta ſenſibilia requirunt in potentia determinatam qualitatem ad hoc, vt recipiat obiecti ſpeciẽ; quod enim eſt potentia receptiua obiecti ſecundum eſſe intentionale, debet eſſe denudatum ab obiecto ſecundum eſſe reale. Quare intellectus, qui omnia sẽſibilia intelligit, hoc eſt, recipit ſecundum eſſe intentionale, debet eſſe ab omnibus ſenſibilibus, & corporeis denudatus ſecundum eſſe reale: atque adeò purus, & immixtus; ſicut Anaxagoras dixit, intellectum eſſe immixtum chao, et corpori, non tamen eſſe denudatum à natura ſpiritali, & intellectuali. Ergo intellectus noſter eſt denudatus ab omnibus obiectis corporeis, vt omnia intelligat, omnia quidem non collectim, ſed diuiſim: vel etiam collectiu quantum eſt ex ſe, non collectim ob diſtantiam obiecti.

Hinc tollitur obiectio contra reſponſionem, quia intellectus intelligit omnia vel ſimpliciter, vel omnia facta ab intellectu cum phantaſmate. Secundo modo textum intelligo. Similiter in 4. textu loquitur de immixtione cum obiecto, in textu 6. actu eam applicat ad ſubiectum.

Secunda, & tertia authoritas eadem ratione vitantur, intellectus enim fit omnia intelligibilia, quæ agens intellectus

facit cum phantaſmate, non ſimpliciter omnia.

Metaphyſica quoque, & dialectica conſiderant omne ens conceptum ope quiditatis ſenſibilis: de aliis fortè ſuſpicantur dialectici, ſed primus philoſophus certò ſcire non poteſt.

Denique anima eſt omnia, vel potentiâ, vel actu: ſecatur enim in res, intellectus potentiâ in res potentiâ, & hoc modo anima eſt omnia ſimpliciter; intellectus autem in actu ſecatur in res actu, quomodo anima eſt actu omnia illa, quæ actu intelligit. Quæ autem actu intelligere per ſe ſe non poteſt, poteſt tamen per alium doctorem, actu etiam fieri dicetur per alium. Ideò Ariſtoteles nõ dixit, animam eſſe omnia actu. Quin etiam ſi rectè conſideremus, anima noſtra nihil poteſt fieri, vel eſſe ſpiritaliter per ſe ſe, ſed omnia fit, vel eſt ab intellectu agente cooperante cũ obiecto, vel cum aliquo doctore ſupplente vicem obiecti. Ex quibus conſtat intellectũ non ſeparatum proprio natiuo lumine nõ poſſe omnia cognoſcere, nec omnes tenere veritates, ſed eas ſolas, quas poteſt haurire ex ſenſibilibus. Ea propter Philoſophus ait, animã quodãmodo eſſe omnia, ſcilicet potentiâ non actu: ſapien temque ſcire omnia vniuerſaliter, non ſub propria ratione.

§§§§§§§§§

§§§§§

§§

VE-

VESTIGATIO PERIPATETICA IX.

De Scientiarum diuiſione tripartita. Caput Primum.

Ariſtotelis affertur ſententia.

Num 1. CVM in omnibus rebus vnitas, & multitudo ſint accuratè inſpiciendæ, tũ in primis hoc in ſcientiarum diſtributione accuratiùs faciendũ eſſe videtur; quoniam ſcientiæ intimiùs, & pulchriùs ſuprema noſtri partem exornãt. Quapropter obſeruantes, inter Peripateticos grande diſſidiũ de ſcientiarum diuiſione, quas alij, ſed plures in duo membra diſtrahunt, nempe in ſpeculatiuam, & practicam: alij verò, ſed pauciores, in tria, nempe in ſpeculatiuam, actiuam, factiuam; placuit ad normam Ariſtotelici contextus huius rei veritatem veſtigare.

Dicimus itaque Ariſtotelem Peripateticorũ Principem, ſcientiam diuiſiſſe tripartitò in ſpeculatiuam, factiuam, actiuam. Quod nobis erit lucidiſſimis textibus obſeruatum. Exordiamur à prima philoſophia ſcientiarum vniuerſaliſſima.

In 6. met. ſum. 2. cap. 1. reiecturus Ariſtoteles ens per accidens à conſideratione omniũ ſcientiarum, probat hoc per ſignum à ſufficienti diuiſione, ſcribens, *ſignum autem, quòd multi ſcientia cura eſt illud, neque actiua, neque factiua, neque ſpeculatiua.* Si vlla ſcientiæ pars eſſet vel omniſſa, vel ſuperuacanea; nõ rectè argumentaretur à diuiſione Philoſophus, ſed cũ ſophiſmate conſequentis reiceret ens per accidens à ſcientiarũ conſideratione.

In eodem 6. diuinorum contex. 1. volens oſtendere naturalem ſcientiam eſſe ſpeculatiuam inquit: *Cũ autem naturalis etiã circa quoddam entis genus ſcientia ſit: patet, quòd nec actiua nec factiua eſt. Factiuarum etenim in facientis principium eſt, aut intellectus, aut ars, aut aliqua potentia. Actiuarum verò in agente electio, idem enim agibile, & eligibile. Quare ſi omnis intellectus aut actiuus, aut factiuus, aut ſpeculatiuus eſt: naturalis ſpeculatiuum quoddam profectò erit.* In argumento per diuiſionem ea lex eſt inuiolabilis, vt nihil omittatur: alioquin fallacia con-

sequentis incurritur ab insufficienti enumeratione; palam est igitur in hac trimembri diuisione, qua nititur argumentum Philosophi, omnes scientias sufficienter contineri.

Num 2. Eandem rem tractat Philosophus in 11. met. sum. 3. cap. 1. ostendens, scientiam de natura esse diuersam ab actiua. & effectiua: vnde consequens erat, vt ipsa sit speculatiua. Quapropter concludit. *Quòd itaque neque actiuam, neque effectiuam, sed speculatiuam esse naturalem scientiam, necesse sit, ex his patet: in vnum nanque horum genus eam cadere necesse est.* Si hæc diuisio est sufficiens, nihil in ea est redundans, vel deficiens. Si nanque prætet dicta tria diuisionis membra, quartum aliquod comminiscamur, scientia naturalis in illo quarto poterit collocari; falsóque Arist. dixisset, necessarium esse, vt naturalis contineatur in vno horum trium. Si etiam vnum istorum membrorum superuacaneum sit, ridiculus esset Aristoteles, qui à diuisione argumentãs, diuisionem superfluam constitueret.

Procedamus secundo loco ad logicam scientiarum vniuersalissimam. Est quippe metaphysica maximè vniuersalis, prædicatione subiecti, logica verò applicatione. Logica nobis duos textus suggerit. Alterum ex l. 6. top. loc. 44. eiusmodi. *Nã eorum, quæ sunt ad aliquid, et differentia ad aliquid: vt & in disciplina. Contemplatiua enim, & Actiua, & effectiua dicitur; vnumquodque autem horum ad aliquid significat. Contemplatiua enim alicuius, & actiua alicuius, & effectiua, alicuius.*

Alterũ ex 8. top. loc. 21. Vbi docens ad ornatum disputationis diuisiones afferendas, scribit *Scientiarum alia quidem sunt contemplatiua, alia autem actiua, alia porrò effectiua.* Hi quinque textus quasi testes, mihi tàm lucidi videntur ad mentem Aristotelis commõstrandam, vt vix quicquam clarius desiderari valeat.

Num 3. Accedant alij quoque textus ex moralibus, quibus quasi gẽmis coruscet capitulum incohatum. In 6. ad Nicom. cap. 2. tres cogitationes recensentur sub his verbis. *Contemplatiua autem cogitationis, & non actiua, neque effectiua benè, & malè esse, est verũ & falsum, hoc enim totius cogitatiuæ opus est.*

Et infra eodem capite. *Cogitatio verò ipsa nihil mouet, sed ea, quæ causa alicuius est, & actiua: hæc etiam enim effectiua dominatur; quippe cum causa alicuius faciat, vnusquisque qui facit.* Tres cogitationes numerantur, vna, quę non mouet, ea verò est contemplatiua: altera, quę mouet, & est actiua; quę duę cogitationes eo secernuntur, quòd vna mouet, altera non mouet. Actiua porrò, & factiua discriminãtur per imperium, nam actiua est dominans, & prescribens finem effectrici, effectrix est seruiens.

Ad hæc in lib. 5. Eudemiorũ. cap. 2. tria scientiarum obiecta nobis proponuntur, dum Aristo-

ſtoteles. *Cogitationis*, inquit, *eius, quæ ad res contemplandas, non ad agendas, neque ad efficiendas valet, præſtantia, & vitium eſt verũ, & falſum. Omnis enim animi partis, ſeu poteſtatis ad cogitandum valentis, hoc proprium opus, ac munus eſt.*

Denique annecto ex eodem capite alia, quę ferè eadem trãſcripta ſũt in loco citato ad Nicomachum. *Cogitatio autẽ ipſa nihil mouet, niſi ea, quæ alicuius gratia comparata eſt, & quæ ad agendum idonea eſt. Hæc enim etiam ea, quæ ad efficiendum valet, præeſt.* Hucuſque nouem Ariſtotelis authoritatibus probatum eſt ſcientiarum diuiſionem tripartitò eſſe aſſignandam: nã & obiecta tria ſunt contemplãdum, agendum, efficiendum: & cogitationes tres ſunt, contemplatiua, actiua, effectiua: & habitus ſcientiales tres, ſpeculatiuus, actiuus, factiuus: & intellectus tres ijſdem nominibus nuncupati. Quare ex potentia, habitu, actu, obiecto ſcientiam trifariam diuidere oportere conſtat. Hanc diuiſionem, nec ſuperfluum, nec diminutum quippiam continere defendamus. Etenim grande vitium eſt, ſiue diminutam, ſiue ſuperfluam diuiſionem ponere.

Probatur eſſe ſuperflua hæc Ariſtotelis diuiſio. Cap. II.

Num 4. DVobus modis poteſt accuſari hæc ſcientiæ diuiſio, quam Ariſtoteles tradidit. Primò ſi dicatur aliquid ſuperfluũ in ea contineri; quòd pauci quidem apertè dicunt, plurimi tamen occultè id prætendunt; quando ſcientias omnes in duo membra partiuntur, ſpeculatiuam ſcilicet, & practicam, ideſt actiuam; nam hi factiuam ſuperfluò eſſe poſitam oſtendunt.

Secundo, ſi affirmetur in Ariſtotelica partitione aliquid eſſe deficiens; quod illi affirmant, qui aliquod ſcientiæ genus ponunt, præter tria ſupradicta: vel dant aliquod ſcientiæ genus coalitum ex prædictis, vt puta, ſi concedant vnam ſcientiam, quæ ſit ſpeculatiua, & actiua ſimul: aut aliquam, quę ſit actiua, & factiua. Horum modorum impugnandæ Ariſtotelicæ diuiſionis, priorem nunc excutiemus, poſteriorem infra.

Igitur Ariſt. tres ponit ſcientias vocabulis græcis in Latinũ inflexis hoc pacto. Sciẽtia omnis, vel eſt theoretica, vel practica, vel poetica. Sed Diogenes Laertius in Ariſtotelem, ad Ariſtotelis mentem, omnes ſciẽtias diſpeſcit in theoreticam, & practicam, nimirum in ſpeculatiuam, & actiuam.

Plutarchus in libro primo de placitis. c. 1. ſecundum Ariſtotelem, ac Theophraſtum diuidit philoſophiam in ſpeculantem, & agentem.

Themiſtius, & Simplicius vterque in præfatione commentariorum ad libros de phyſico auditu diſtinguit animæ rationalis vim appetendi vnam, alteram cognoſcendi. Porrò ſcientiam, quæ perficit appetitum ſecundũ Peripateticos actiuam dicunt, eius que finem boni delectum, atque

Num 5. prima ratio.

atque indeptionem ſtatuunt. Scientiam verò, quæ in cognitione duntaxat conſiſtit, cuiuſque finis eſt veritas, ſpeculatiuam appellatam dicunt. Quam rationem ſequutus eſt Sueſſanus in 6. met. diſp. 3. & idē in primum met. diſp. 12. & 6. met. diſp. 2. bipartitam ſcientiam vult in ſpeculatiuam, & practicam. Euſtratius in primum Ethic. his aſſentitur.

Auicenna primo met. c. 1. Scientias dicit eſſe, vel ad habēdam cognitionem, & certitudinem de ijs, quæ non ſunt opera noſtra, & has eſſe ſpeculatiuas docet: vel de ijs, quæ ſunt opera noſtra, & has practicas nuncupat. Cum Auicenna Arabo, Alpharabium Babylonium citat Sueſſanus in 6. met. diſp. 3. 2. ratio.

Thomas Aquinas in 6. met. ſum. 1. c. 1. & ſum. 2. c. 1. ſciētiam ita diuiſit, ſcilicet in ſpeculatiuum, & practicum, ſiue operatiuum: ſed operatiuum, ſubdiuidit peractiuum, & factiuum. Ioannes Dunſius Scotus in prima Prologi § *In iſta quæſtione* ante litteram A. & tota quæſtione 4. & 5. Prologi eaſdem cū Thoma partitiones ſequitur. Itaque duæ iſtę Scotiſtarum, ac Thomiſtarū ſectę, inter pręſtātiſſimas Peripateticas reponēdę agmine facto, ſuſtinēt ſciētiā primò diuidi per ſpeculatiuā & practicā, mox practicā in actiuam, & factiuam ſubdiuidi.

Num 6. Veruntamē quia nemo plura congeſſit ad hoc, quam Franciſcus Piccolomineus in ſua introductione ad ſcientiam de natura cap. 2. ac 3. & Peretius lib. 1. philoſophiæ naturalis cap. 21 & 3. idcirco ex iſtis præcipuè colligam rationes.

Frāciſcus Piccolomineus ca. 2. cit. diſtinxit ſcientias in organicas, & principales. Cap. 3. principales diſciplinas nuncupat eas, quæ ex ſe optabiles sūt, & eas diuidit; vel enim de ſola rerum cognitione ſunt ſollicitę, & dicuntur theoricæ, ſiue inſpectrices: vel cognitionem ad operandum dirigunt, & operantes nuncupantur; & propterea mens quoque in operantem & contemplantem diſtribuitur. Ad probandum autem ſcientiæ diuiſionem bipartitam has rationes adducit.

Ex fine. Habitus enim ex fine conditionem propriam eliciunt, vt patet ex 3. de anima 49. Fines autem habituum alij eſſe non poſſunt, præter cognitionem, & operationem. 3. ratio.

Ex obiecto. Res, in quibus diſciplinæ verſantur, vel ſunt res, quæ ſecus ſe habere nō poſſunt, & noſtræ contemplationi ſubiiciuntur: vel ſunt res varietati obnoxiæ, & modo aliquo in noſtra poteſtate poſitæ, & pertinent ad operationem. 4. ratio.

Hinc Plato in libro de regno, diſciplinas diuidens dixit, vnā eſſe operantem, alteram ſolùm cognoſcentem. 5. ratio.

Hinc Ariſt. in prohęmio met. & in calce 2. poſt. aſſeruit, vniuerſalia, quæ vel inductione, vel experientia ex ſingularibus eliciuntur, ad contemplandum, vel operandum dirigere. 6. ratio.

His ita dictis Piccolomineus cōſequenter ſubdiſtinguit ſciētiam

tiam operantem in actiuam, & in factiuam; quia in 6. Nicom: cap. 4. & 5. & in primo de Rep. actio à factione ſecernitur. Naſcunturque tria capita diſciplinarum dicta in 6. met. 1. vnũ contemplandi, vnum agendi, vnum faciendi.

Num 7. Peterius poſtquam in lib. 1. ſuę phyſicæ declarauit, quænã eſſet ſcientia ſpeculatiua, quænam practica, in cap. 2. huius diuiſionis bimembris rationem, & vt vocat ſufficientiam, multis modis probat. His nimirum.

7. ratio. Philoſophia eſt medicina animi, ſanans eius morbos: quorũ duo ſunt genera, vnum pertinens ad intellectum, quæ eſt ignoratio veri; alterum ad affectum, cuius ægritudo ex vitiis, & morum corruptela proficiſcitur. Contra priorem morbum comparata eſt philoſophia ſpeculatiua, contra poſteriorem practica.

8. ratio. Tùm, omnis homo naturaliter ſcire deſiderat; primũ quidem ea, quæ conferunt ad degendam vitam, tùm priuatam, tùm etiam ciuilem, quæ nobis ſuppeditant partim artes mechanicæ, partim philoſophia moralis: poſtea verò ea, quę licet nihil conducant ad actiones humanas, & ciuiles, tamen quia habent pulcherrimam contemplationem veritatis, vehementer experũtur ab intellectu noſtro. Harum rerum ſcientiam largitur nobis philoſophia ſpeculatiua.

9. ratio. Deinde, ſubiectum ſcientiæ eſt intellectus, qui duplex tantùm eſt, vnus ſpeculatiuus, alter practicus, vt docet Ariſt. 6. Ethic. & 3. de anima 46. & 49. Quare ſcientia quoque duplex erit, vna practica, altera ſpeculatiua.

10. ratio. Poſtea, philoſophia refertur ad dirigendam vitam hominis, eiuſque felicitatem comparandam; vitam autem, & felicitatem hominis Ariſtoteles 10. Ethic. duplicem facit, actiuam, & ſpeculatiuam. Ergo philoſophia etiam duplex erit, ſpeculatiua, & practica.

11. ratio. Præterea; omnis doctrina eſt propter aliquod bonum, & finem ex initio primi ethicorum: talis autem finis, vel eſt ſola cognitio, ſicut eſt in ſcientijs ſpeculatiuis: vel præter cognitionẽ aliud pro fine intenditur, ſiue ſit alia quędam operatio hominis, ſiue aliquod opus externũ: veluti cernimus in doctrinis practicis.

12. ratio. Ad hæc, omnis doctrina comparata eſt ad dirigẽdas eas operationes hominis, quæ ſubſunt arbitrio noſtro, & poſſunt prauè fieri. Vnde ad regẽdas actiones animæ vegetatiuæ, & ſenſuum, tùm interiorum, tùm exteriorum, nulla ferè videtur eſſe inuenta doctrina. Sunt igitur tria genera humanarum actionum, quæ à doctrina poſſunt dirigi. Primi generis, ſunt operationes intellectus, ad quas perficiendas ordinantur ſcientię ſpeculatiuæ; ſecundi generis ſunt operationes appetitus, tùm rationalis, tùm ſenſitiui; in quibus verſantur habitus vitiorum, & virtutum: harum operationum gratia regendarum eſt philoſophia

phia moralis; tertij generis ſũt plurimę aliæ operationes hominis, ſiue in membris eius inhærentes, vt ſunt currere, & ſaltare: ſiue tranſeuntes in opera aliqua externa, vt ædificare, pingere; ad quas operationes moderandas inuentæ ſunt artes tã mechanicæ, quàm liberales.

13. ratio. Poſtremò, vnitas, & diſtinctio ſcientiæ ſumitur ex vnitate, & diſtinctione obiecti. Res obiectæ ſcientijs, aut in actionẽ, effectionemque noſtram cadũt: aut ſolum in cognitionẽ. Omne enim ens, aut eſt tantùm ſpeculabile, aut non ſolùm eſt ſpeculabile, ſed etiam agibile, vel factibile. Bonam igitur eſſe bimembrem illam diuiſionem philoſophiæ in practicam, & ſpeculatiuam, ex his perſpicuũ eſt.

14. ratio. Num 8. Alii bipartitam diſtinctionem ita confirmant. Si præter ſpeculatiuum, & practicum, daretur tertium, quaſi mediũ, illud eſſet vel per participationem extremorum, vel per negationẽ extremorũ: quæ diuiſio mediorum promitur ex libro 4. met. 17. Sed neutrum medium dari eſt poſſibile: igitur duo ſcientiæ membra dabuntur, nẽpè practicum, & ſpeculatiuum, tertium non dabitur; practicũ deinceps diſtribuetur in actiuũ, & factiuum. Probatur vtraque pars minoris.

Primò, non datur medium per participationem. Quando enim aliquod commune diuiditur primò per duas differentias oppoſitas, vel per duas paſſiones, ſupplentes locum differentiarum: impoſſibile eſt ambas illas differentias, vel paſſiones inueniri in aliquo vno contento ſub communi. At ſcięntia in commuui primò diſtribuitur per ſpeculatiuam, & practicam, tanquam per differentias oppoſitas, vel per paſſiones, quę ſuppleant differentias; igitur impoſſibile eſt aliquam vnam ſcientiam eſſe, in qua inueniantur ambæ hę differentiæ, practicum ſcilicet, & ſpeculatiuum. Non ergo medium per participationem eſſe poteſt.

Secundò, Medium per negationem non conceditur. Inter contradictoria quippe medium per negationem vtriuſque reperiri nõpoteſt ex 4. met. 27. Sed extendi, & non extendi ſunt contradictoria; igitur hæc non habent medium per negationem. At intellectus extenſione fit practicus, vt colligitur ex tertio de anima 49. quare ſpeculatiuum non extenditur, practicum extenditur; igitur inter practicum, & ſpeculatiuũ non datur medium.

Iandunus in 6. met. q. 2. hanc diuiſionem trimembrem ſcientię ad bimembrem vult reduci dicens. Vult Ariſt. in 6. met. diuidi habitũ intellectiuũ prima diuiſione per practicum & ſpeculatiuum; verum eſt, quòd ponit trimembrem diuiſionem, ſed duo reducuntur ad vnum. Vnde poſtquam prius innuit eam in littera loquendo de naturali ſcientia: dicit concludendo, quare ſi omnis ſcientia eſt aut factiua, aut actiua, aut

15. ratio. Num 9.

aut theorica, & actiuum, & factiuum ambo reducuntur ad practicum.

16. *ratio.* Præterea habitus practicus non ſolũ eſt ad cognitionẽ de obiecto, ſed ulteriùs eſt de productione eius ſcibilis, vel operatione: ſed habitus ſpeculatiuus ſolũ ordinatur ad cognitionem, & nihil vltra apponit, ideſt non ordinatur ad opus, vel ad productionem ſui ſcibilis. Quam differentiam poni ab Euſtratio in 6. ethic. aſſeuerat.

Aduerſus tot præclariſſimorum virorum authoritates, & rationes, quis audeat dicere? Conſpirant Peripatetici, Græci, Arabes, Latini, in diuiſionem bimembrem, & eam dicunt eſſe ab Ariſtotele traditam. Ariſtoteles verò è contra ponit diuiſionem trimembrem ſcientiarum, ſpeculatiuæ, practicæ, & factiuæ; vt vidimus. Aut igitur Ariſtoteles eſt deſerendus, aut Peripatetici, aut aliqua cõcilij ratio eſt ineunda, ſi fieri poterit. Interea oſtendamus Ariſtotelis diuiſionem eſſe trimembrem, & rationem, cur ab aliis bimembris facta ſit, aperiamus.

Reijcitur allata ſententia. Cap. III.

Num 10. PRoprius locus tractandi de actibus, & habitibus intellectualibus eſt liber ſextus ad Nicom. & lib. 5. ad Eudemũ. Proprius locus tractandi de diuiſione ſciẽtiarum, eſt liber ſextus, & liber vndecimus ſapientiæ. Cum igitur his in locis Ariſtoteles & intellectum, & cognitionem, & ſcientiam, & ſcientiæ ſubiectum trifariam diuiſerit, incunctanter dicendum eſt ſcientiam diuidi tres in ſpecies, ſpeculatricem, actricem, & effectricem; quẽadmodum ex cap. 1. luculenter innotuit.

Nihilominus Peripatetici plurimi bifariam diuidunt ſciẽtiam, hoc eſt per ſpeculatiuam, & actiuam. Ratio eſt, quoniã in Peripatum irrupit regula quædam diuidendi talis, omnis bona diuiſio debet eſſe bimembris, aut reducibilis ad bimembrem, ſicuti dudum ex Iandvno attigimus. Hanc regulam Ariſtoteles in primo de part. animal. capitibus 2. & 3. integris validiſſimè impugnauit, oſtendens bipartitam diuiſionẽ ſæpè fruſtra fieri, ſæpè etiam nõ poſſe fieri. Impugnauit vtique, ſed neque apud ſuos Peripateticos illam regulam expugnauit. Quinimo non pauci ſunt, qui omnes Ariſtotelis partitiones ad duo membra redigere conẽtur: vt ſi huius vocabuli *Habere* octo ſignificata profert poſt prædicamenta: ſi huius phraſis *eſſe in*, octo ſignificata recenſet in 4. phyſ. 23. ſtatim illi bifariã ſectionem moliantur. Itaque neque tres figuras ſyllogiſmi, neque tres ſyllogiſmorum ſpecies; neque quatuor cauſarum genera, vel triã principia naturalia: neque quatuor gradus animæ: neque ſenſus externos quinque recipiendos arbitrantur, niſi per dualitatem ſecentur. Cum Ariſtoteles ex aduer-

σις, οὐτι ἡ ποίησις πρᾶξις ἐστιν. Ergo non poteſt dici, quòd factio ſit actio. Similiter ſcientia actiua, & factiua ſunt diſparatę, actiua quidē moderatur actionem, factiua verò factionem: ergo ſcientia actiua non poteſt prædicari de factiua.

Sed ſcientia practica, & ſciētia actiua ſunt prorſus idem, ſolùm differunt idiomate, quia practicum eſt vox Græca, actiuū Latina: res verò ſignificata eſt omnino eadem: ergo non poteſt ſcientia practica prædicari de factiua. Quapropter in prima diuiſione ſcientiæ per ſpeculatiuum, & practicum omittitur vna ſpecies, quæ eſt factiuum, ſiue poeticum; in ſecunda, quæ eſt ſubdiuiſio, vnum diſparatū prędicatur de altero, quod eſt impoſſibile.

Putāt quidā ex Latinis, quia ponunt ſemel vocem Græcam *Practica* tanquam oppoſitam ſpeculatiuæ, ſemel diuidunt practicū Latinè in actiuam, & factiuam: putant, inquam, quòd vocabulum Latinum *Actiua*, & vocabulum græcum *Practica* ſunt voces diuerſæ, & ideò ſignificent res diuerſas. At non eſt ita. Nam quod Græcè Ariſtoteles ſcribit πράξις interpres vertit *actio*: quod Græcè ποίησις dicit *factio*. Item quod græcè dicitur πρακτικὴ Latinè ſcribitur *actiua*: quod Græcè ποιητικὴ Latinè habetur *factiua*. Vocabula ſunt diuerſa, diuerſi idiomatis, ſed & res ſignificata, & ratio ſignificandi eſt eadem. Nam ex primo de interpretatione cap. 1. res eædem ſunt apud omnes, quanquam vocabula ſecundum placitum ſint diuerſa apud diuerſos.

Tertiò hinc argumentor. Nihil poteſt tanquam commune diuidi in ſemetipsū, & in oppoſitum ſuum; nec enim poteſt homo diuidi tanquam aliquid commune ad hominem, & brutum. Tunc enim idem eſſet communius ſe ipſo: tunc etiam vnum oppoſitum eſſet commune alteri oppoſito. Sed ſcientia practica Græcè, & actiua Latinè ſunt omnino eadē ratio formalis ſignificata, ergo ſicut non poteſt ſcientia actiua diſtingui tanquam commune in actiuam, & factiuam, ita neque practica poteſt. *Num* 12.

Reſpondebunt fortè vocabulum *Practica* ſtimi communiter, vel propriè; propriè practica eſt ſcientia actiua, quæ diſtinguitur contra factiuam, & hæc practica eſt ſcientia extenſa ad ſolam actionem, ſeù praxim propriè dictam. Practica communiter ſignificat omnem ſciētiam, quæ non eſt ſpeculatiua: quæ quidē ſcientia eſt extenſa ad aliquid extra intellectum: quę item non eſt gratia veritatis, & cognitionis ſolùm, ſed gratia operis.

Quartò, arguo & contra reſponſionem hanc, & ad principalem intentionem. Longè alia eſt ratio primi imponētis ſignificationes vocibus, & poſteriorum vtentium ad placitum primi imponentis. Primus imponit ad placitum proprium, poſteriores tenentur vti vocibus ad placitum primi, niſi velint nouam linguam cudere, aut cū

nouitate vocum ostentare quidē nouitatem scientiæ, re autem vera nihil nouum dicere. Nam si nos velimus imponere hanc dictionem *panis* ad significandum corpus commune ad animatum, & inanimatum; statim nascentur admirandæ propositiones primo aspectu, vt *omnis homo est panis, omnis lapis est panis, aliquis panis est animatus*. At æquiuocatione vocabuli detecta, enuntiationes istæ sunt planè ridiculę, & nihil noui dicunt. Ita cum Aristoteles in sua schola sit princeps, qui vult esse Aristotelis sequax, tenetur vti vocibus ad placitum Arist. primi imponentis. Si quis autem vult sectam nouam instituere, vel in schola Peripatetica æquiuocatione ludere, potest aliter vocabulis vti, & faciet scientiam nouam de vocibus, non de rebus. Nemo enim ignorat, mutatis significatis terminorum, enuntiationes quoque mutatum iri. Cum igitur Aristoteles in distinguēdis scientijs, praxim: & poesim opposuerit, & imposuerit practicū ad significandam speciem oppositā poetici, seu factiui: tenentur posteriores Aristotelis sequaces accipere practicū propriè, prout contra distinguitur à speculatiuo, & factiuo: non autem licet accipere practicum communiter, & praxim communiter: tunc etenim licebit dicere, quòd practicum communiter sumptū conueniat speculatiuo, & quòd praxis cōmuniter cōueniat speculationi; id quod authores aduersantes minimè volunt. Et certè, quòd vocabulum praxis dicatur de speculatione, possum ostēdere ex Aristotele in 7. politicor. cap. 3. & 7. Nicom. cap. vlt. Quòd autem hoc vocabulum praxis cōueniat factioni, seù poesi, nondum Aduersarii ex Aristotele ostenderunt, nec mihi contigit obseruare. Itaque si in schola Aristotelis non licet loqui ad placitum proprium, sed Aristotelis primi imponentis: cū apud Aristotelem inueniamus nouem vicibus practicum opponi factiuo, nec inueniamus practicum prædicari de factiuo, aut praxim de factione: non licet vsurpare hoc vocabulum *Practica* communiter. Qua in re Gabriel Vasquez in primā partem disp. 8. cap. 5. reprehendit eos, qui vocabulis istis pro libito abuntur, cum iuxta impositionem Aristotelis illis vtendū sit. Refert ibi vera significata vocum Latinè, & Græcè positarum: sed contra quam faciendum iussit, hoc vocabulum *practica* confundit, vt simul complectatur actiuam, & factiuam vt distinguuntur à speculatiua. Cum verò huius vocabuli sic sūpti communiter, expectarem aliquam Arist. authoritatem, Vasquez profert authoritatem Gregorij de Arim. in q. 5. Prolog. Ita repente Aristoteles Stagirita Gregorius de Arim. factus est.

Ad hæc. Equiuocatio semper depellenda est, sed vel maximè in diuisionibus: nam hæ dantur ad multiplicitatem discernendam. Ex diuisionibus ha- *Num* 13.

habentur genera, differentiæ ſpecies, atque ſpecierum definitiones. Definitiones ſunt principia ſcientiarum, & demonſtrationum, iuxta primũ de anima 11. Paruus error in principio fit in fine quàm maximus. Ergo ne æquiuocatio vocabuli huius *practica* nos deciperet, fuiſſet hæc duplex ſignificatio potius ex vſu reijcienda, quàm in vſum recipienda.

Quintò præterea, quando Ariſt. tripartitò diuiſit ſcientiã: ſumpſit nè actiuũ, ſiue practicũ propriè, an impropriè, & cõmuniter? Si cõmuniter, ergo nugationẽ cõmittit in diuiſione, quia bis dicit ipſum factiuũ, ſemel in proprio vocabulo, ſemel vt cõtinetur in actiuo, ſeu practico. Vt ſi diuidas animal in hominẽ brutum, & aſinum: nugaris, nam & ponis aſinum ſuperfluò, cum homo, & brutum ſatis ſint: & brutũ bis dicis, ſemel in propria voce, ſemel in vocabulo aſini. Si autem Ariſtoteles ſumpſit practicum propriè, vt verè ſumpſit; & Aduerſarius velit, quòd practicum communiter ſit genus commune ad practicũ propriè, & ad factiuum: ergo Ariſt. inordinatè diuidit; debuit enim primò diuidere ſciẽtiam per ſpeculatiuum, & practicum cõmuniter: deinceps diuidere ſecundo loco practicum communiter in practicum propriè, & in factiuum. Igitur perturbauit ordinem diuiſionum, diuidens immediatè, & primò ſcientiam, non per ſpecies immediatas, & primas; ſed per vnam immediatam, & duas mediatas. At hoc eſt contra regulas bonæ diuiſionis à Philoſopho datas in 2. poſt. à tex. 74. ad 79.

Num 14.

Sextò, Ariſtoteles in primo mag. moral. cap. vlt. car 209. oſtendit, quòd actile, & factile in idem commune non cadãt: neque poſſint habere vnam facultatem communem; ergo cõtra mentem Ariſtotelis inducitur vna ſcientia communis ad practicum, & ſpeculatiuum. Textus prodeat. *Iam verò eorum, quæ fiunt ποιουμενῶν quæq; aguntur πραττομενον non eſt cõmunis, quædam facultas, tàm ad faciendum, quàm ad agendum, apta. Facultati enim ad faciendum idoneæ alius eſt præter effectionem finis, vt in ædificandi arte, cuius eſt domos edificare, præter effectionem finis ei eſt propoſitus domus. Idem eſt in arte fabrili, & reliquis omnibus, quæ pertinent ad faciendum aliquod opus (vulgo effectiuas vocant, Græci ποιητικας) At in ijs artibus, quæ ad res agendas pertinẽt (actiuas vulgo vocant. Græci πρακτικας) præter actionem nullus eſt alius finis: vt præter citharæ modulatum, finis non eſt alius: ſed idipſũ pro fine eſt, operatio, atque actio. Circa actionem itaque, ex quæ in agendo poſita ſunt, prudentia: circa effectionem, & quæ in faciendo poſita ſunt, ars: ſiquidem in faciendo potius, quàm agẽdo, eſt artem exercere.* Ex qua luculentiſſima authoritate ſi Græcè legatur, & Latinè conferatur, apertiſſimè patet diſcrimen inter praxim, & poeſim, ideſt actionem, & factionẽ, vt

alio

alio loco dixi. Legatur interea Eustratius in 6. Nicom. c. 4. & 5.

Secundò patet, non esse vnã facultatem communem, quæ versetur circa agibilia, & factibilia; quare scientia practica, siue activa, quæ est de agibilibus, nõ potest esse de factibilibus, sed neque est vna practica communis, & vna practica in specie, vt opinantur.

Tertiò constat, prudentiam non esse de omnibus agendis, sed de his, quibus homo bonus simpliciter redditur in genere moris. Nam & ars quædam liberalis circa quasdam actiones versatur, vt musica, theatrica, & similes.

Quartò, hoc vocabulum *ars* fuisse apud Græcos in vsu, etiam circa agibilia; quia tamen *ars* potius circa factilia vsurpatur, ideò Aristoteles artem appropriauit ad effectilia.

Quare Aristoteles aliquando duo scientiæ membra ponat. Cap. IIII.

Num 15. NOn est interea diffitendũ, Philosophum haud rarò commemorasse tantùm duo membra, seù species contentas in genere scientiæ; vnde potest occasio esse data, vt scientia bipartitò diuideretur. Huius ergo Aristotelici facti duæ rationes mihi occurrunt. Prima. Aliud est diuidere aliquod commune, aliud est vnam speciem ab altera distinguere. Quando commune diuiditur, nihil quod non sit pars diuisi, est ponendũ: nihil, quod sit pars in eodem ordinis gradu, est omittẽdũ. Quare vitio vertitur diuisioni, si quid superfluum contineat, aut diminutum. In diuisione igitur sunt omnes species numerandæ. Quòd si fiat argumentum à diuisione, quæ contineat aliquid superfluum, fit fallacia non causæ vt causæ; si diminutum aliquid sit, fit fallacia consequentis. Expono primum membrũ. Si enim partiamur, omne animal per hominem, & brutum, & asinum: & ex hac diuisione concludamus, leonem esse brutum; non propter asinum in diuisionem positum sequitur conclusio, sed præcisè propter disiunctũ constans ex homine, & bruto: ergo est deceptio non causę vt causę. Explico secũdũ, si diuidas hoc modo, omne animal est volatile, vel aquatile, & indè colligas, quia homo nõ est aquatilis, esse volatilem: incidis in sophisma consequentis ab insufficienti enumeratione. Vndè nascitur confirmatio robusta pro tripartita diuisione scientiæ.

Aristoteles quippe in 6. met. 1. & 11. met. sum. 3. cap. 1. probat per syllogismum diuisiuũ, quòd scientia naturalis est speculatiua. Et in 6. met. 4. demõstrat, quòd de ente per accidens non est scientia, & hoc per syllogismum diuisiuum. Vtrobique autem trimembrem scientię diuisionem facit. Aut ergo Peripateticus fateatur in illa diuisione nihil superfluum, nihil diminutum esse: aut fateatur Peripateticorum Principem in paralogismum consequentis, aut

non

non causæ, vt causæ incidisse.

Num 16. Quando autem ponitur differentia inter vnam speciem, & aliam, tunc non est necesse species omnes numerare, sed satis est numerare illas duas, quæ sunt ad propositum. Ad hoc ostendendum duos textus profero.

Alterum ex. 4. de part. cap. 1. Vbi Philosophus discriminat serpentes à piscibus, eo quòd serpẽtibus pulmo sit concessus, quoniam terra vtãtur: piscibus pulmo sit ademptus. Perspicuũ verò est illic, neque numerati animalia omnia, nec omnia pulmone prædita, & respirantia: sed illa differentia inter solum piscem, & serpẽtem notata est.

Alterum ex 12. met. 16. quo loci causa mouens à formali discernitur, eo quod causę mouẽtes ortæ sunt ante rem factam: causæ formales simul cum re facta sint: nihil ibi de fine, nihil de materia: cum finis, & materia in communi causę notione contineantur. Solùm distinctio ponitur inter efficiẽtem, & formalem causam.

Ad propositum, frequenter Arist. duo membra scientiæ refert, quoniam non diuidit scientiam in communi, sed vnam speciem differre ab altera ostendit. Sic in primo met. sum. 1. cap. 1. speculatiui dicuntur sapientiores factiuis: de actiuis nõ meminit. An quia nõ detur actiua scientia? An quia nomine factiuæ, etiam actiuam intelligit? Sed hoc, neque illi, aduersus quos disputamus, concedẽt, vt factiuũ ponatur in communi, & prædicetur de actiuo, atque de factiuo proprie. Res est: Philosophum ibi non reminiscì actiuorum, quia comparat vnam speciem ad alterã, & eas differre ostendit per hoc, quòd speculatiui sunt magis sapientes, quàm factiui: quia speculatiui nullius externæ vtilitatis causa cognoscũt, factiui vtilitatis gratia & cognoscunt, & faciunt.

Sic in 2. met. 3. Speculatiua, & actiua memorantur, effectiua supprimitur. Non enim scientiæ diuisionem meditabatur Philosophus, cum nec scientiã quidem nominet illo textu; sed speculatiuam distinguit ab actiua, seu practica, quia finis speculatiuę est cognitio, & veritas, & nihil extra genus cognitionis. Finis practicę est aliquid extra genus cognitionis, vt opus sic enim dicebat. *Speculatiuæ finis ueritas practice autẽ opus. Etę nim si quomodo se habent, considerãt. non causam per se, sed ad aliquid practici speculantur.* Exinde collige, quòd omnis practica est ad finem extra intellectum: non tamen è contra; quia uniuersalis affirmatiua nõ conuertitur simpliciter, nisi termini sint cõuertibiles; sed esse ad finem extra intellectum est commune ad scientiam actiuam, & factiuam. Fortè etiam ad affectiuam, de qua inferius.

Num 17. Similiter in 3. de anima dum Philosophus venatur principiũ motus progressiui, intellectum actiuum, & speculatiuum proponit, factiuo omnisso. Piccolomineus appositè considerat

id

id factum, quia factiuus intellectus non est principium motus. Potest nanque dubitari de intellectu speculatiuo, & actiuo an intellectus isti sint principium motus progressiui, quia sunt priores ipso motu. Inuento autem intellectu actiuo, ceù motiuo frustra factiuus quæreretur. Sed & illum textum 49. tertij animastici legamus. *Intellectus*, inquit, *qui propter aliquid ratiocinatur, & qui actiuus est, differt à speculatiuo fine* Cernis, opinor, hic non distribui intellectum in communi, sed assignari differentiam, qua intellectus actiuus differt à speculatiuo. Nihilominus indicatur etiam tertius intellectus, siquidem non absre ponit Philosophus duas conditiones vnam commuuem, alterã propriam; communis conditio tàm actiuo, quàm factiuo est *ratiocinari propter aliquid*: conditio propria est esse *actiuum*, quæ cõditio propria restringit communem, vt accipiatur pro solo actiuo. Ille igitur intellectus qui & est propter aliquid, & est actiuus, differt à speculatiuo fine.

Itidem alia differentia inter speculatiuum, & practicum, siue actiuum statuitur 3. de anima 51. quòd speculatiuus necessaria, actiuus contingentia tractat. Sed in 6. Nicom. cap. 2. esse circa cõtingens assignatur parti ratiocinatrici, quæ distinguitur in actiuam, & factiuam. Commemorantur tres cogitationes in illo 6. quoniam ibi cogitatio diuiditur in suas partes; non commemorantur tres in 3. de anima, quoniam illic vna species intellectus discriminatur ab alia. Illa tamen differẽtia de contingente, ac necessario obiecto magnam habet difficultatem, eo qnod omnis sciẽtia est circa necessariũ, siue vt semper, siue vt plurimum: ergo & scientia actiua, & factiua considerant veritates, necessarias in vniuersali: prudentia verò, & ars rigorosè loquendo circa particularia sunt, quæ simpliciter sunt contingentia. Præterea, & scientia speculatiua est de contingentibus quibusdam, vt non est minus contingens motus leonis, vel vulpis, quã motus hominis. Sed motus leonis, & vulpis, atque aliorum naturalium subcælestium pertinent ad speculatiuam, hoc est ad scientiam naturalem, motus hominis cõsideratur in practica. Sed hæc ommittãtur, & conuertamur ad secundam rationem antea promissam.

Secunda ratio, propterquam Philosophus aliquando vnam scientiæ speciem prætermittit, est, quia non diuidit scientiam, vel intellectum absolutè, sed scientiam, vel intellectum optimi viri, & compotis tùm libertatis, tùm felicitatis, & omnino scientiam vitalem. Declaro, duplex est genus vitæ hominis, alia est speculatiua, alia actiua; nam factiua nulla vita est, neque factio censetur operatio vitalis. Ne paradoxum scribere iudicer, produco textum è primo politic. cap. 3. qui nonnulla etiam ex antea dictis confir-

Num. 18.

firmabit. *Præterea*, inquit Philoſophus, *cum ſpecie differant facere, & agere, & indigeat vtrunque inſtrumento: neceſſarium eſt illa (ſcilicet inſtrumenta) eandem habere differentiam. Vita certè actio eſt, non factio.* Eapropter ad 7. polit. cap. 9. in optima republica artifices non poſſunt eſſe ciues, quoniã optima ciuitas, vel optimus vir ſine virtute eſſe non poteſt, ſine libertate, ſine ingenuitate. Sed artificum conditio hæc non habet. *Vilis enim eſt huiuſmodi vita, & virtuti aduerſa.* Ad hæc in 6. ad Nicom. cogitatio actiua dicitur dominari effectiuę. Quãobrem facultas effectiua eſt ſeruilis, nõ libera, nec imperans: eſt vilis, non ingenua: eſt virtuti aduerſa, non ſtudioſa, eſt exul à ciuitate optima, & incapax felicitatis. Hinc Philoſophus in 10. Nicom. aliam felicitatem non agnoſcit, quàm ſpeculatiuam, & actiuam. Idcirco ſi Philoſophus diuidit ſcientiam imperantem, ſpeculatiuam, & actiuã ponit, non factiuam. Sic in 7. politic. cap. 14. diuidit intellectũ optimi ciuis, optimi viri, ac ingenui, & qui ſit particeps optimę reipublicę per ſpeculatiuum, & actiuum duntaxat.

Num. 19. Ad eũdem ſenſum intelligo Ariſtotelem, ac Theophraſtum relatos à Plutarcho. Hæc.n. verba quę Plutarchus refert, Theophraſti arbitror; *Neceſſe eſt, inquiunt, conſummatum virum, & eorum, quæ ſunt contemplatorem eſſe, & eorum, quæ decent, actorẽ.* Loquitur de conſummato viro, cuius eſt viuere, & ſecundum virtutem viuere, & ad felicitatem viuere; factiuus autem, qui talis nec viuit, nec ſecundum virtutem viuit, nec ad felicitatem aſpirat.

Eundem ſenſum (aut ego fallor) prætendunt Themiſtius, Simplicius, Euſtratius. Nõ enim de ſcientia in communi diſſertant, ſed de Philoſophia, qua intellectus, & appetitus humanus perficiuntur: Non enim Philoſopho dignum crederent, naues facere, monetas cudere, domos ædificare, neque alia viliora mechanicarum miniſteria exercere. His enim ſtudium ſapientiæ, ac probitatis impeditur: nec enim per effectionẽ homo probus, vel improbus ſimpliciter poteſt eſſe, ſed per ſpeculationẽ, & actionem. Pererius cæpit philoſophiæ diſtinctionem, ſed concluſit ſub philoſophia, etiam factiuas, imò & mechanicas omnes: qua in re non acquieſco.

Nec refert, ſi dicas diſcrimen eſſe inter ſcientiam factiuam, & factionem: factio nec viua eſt, & vilis eſt: ſed ars vniuerſalis, quæ eſt ſcientia factiua, commendatur in primo diuinorum cap. 1. Non refert, inquam, quoniam ſcientia talis, ſi fine potiatur, iã ponit factionem in ſciente: ſi fine non potiatur, iam imperfecta eſt in ſuo ſubiecto. Poteſt tamen ſpectare ad cultum intellectus, quatenus ad modum actiuæ imperat, ratione ipſius actiuæ coniunctæ. Nihilominus hæc factiua non perficit habentem per operationem, quæ eſt factio, ſed perficit ſubmini-

strantem.

His duabus de causis existimo Aristotelem aliquando duo tantùm scientiæ membra retulisse; nam alioqui scientia trimembris est, vna speculatiuas, quæ ad nihil extra genus cognitionis ordinatur, vna verò actiua, tertia demum factiua, quæ ordinantur, nempe ad regimen externæ actionis, vel effectionis. Quas breuiter indicauit Arist. 10. Nicom. cap. 8. dicens *Si igitur qui vivit, & actione, & effectione item magis caret præter contemplationem, quid restat?* Tres ergo, non duæ sunt scientiæ species: ac scientia tripartitò, non bipartitò diuidenda est, prout capite primo ostendimus.

Soluuntur Argumenta opposita in cap. 2. Cap. V.

Num 20. IAm argumenta tùm ex authoritate, tùm ex ratione, quibus probabatur bimembris diuisio scientiæ, pro vitibus dissoluamus.

Suessanus scientiam ad perfectionem intellectus, contemplatricem: ad perfectionem appetitus practicam dicebat. Si autem subdiuidamus appetitũ per se in rationalem, & sensualem; statim subdiuidemus scientiam, sed non per actiuam, & factiuam. Vnde sensuale, & rationale appetitiuum sunt differentiæ accidentales ipsi scientię: sicuti actiuum, & factiuum, sunt differentię accidentales appetitui. Acutè Aristoteles in primo de partib. c. 3. taxat eos, qui anxiè diuidunt per duo, eo quod sæpè adhibeant in subdiuidendo differentias, quę non sunt per se diuidentes. Nec .n. pedatum diuidi debet per plumatum, vel implume; sed per habens pedes integros, aut fissos; nam fissio pedis pedalitas quædam est 7. met. 43.

Ad formam, Aristoteles nunquam scientias distinxit in ordine ad appetitum: sed hominis operationes humanæ vel sunt internæ, vel externæ. Si externæ sunt, aut sunt actiones, aut factiones; atque hinc vna scientia dirigit actiones, & est actiua, reliqua factiones, & est factiua. Ad operationes internas est speculatiua; ita in 7. polit. cap. 3. respondens pro contemplatiuis aduersus actiuos, diuidit actiones ad se, & ad alium: & ostendit quod non solũ sunt actiones exteriores, quę sint studiosæ, & probæ, imo & actiones ad se; & intra sunt studiosę, imo & meliores. Quo ex loco agnoscitur, quòd scientia actiua non dirigit appetitum præcisè, nisi vt ordinatur ad actionem: idemque proportionaliter dico de factione. Quare in primo Nicom. cap. 1. car. 5. scientia moralis vtilis esse asseueratur ei, qui ex ratione appetitiones, & actiones suas moderetur. Non stat vltimò in appetitione, sed in actione directio scientiæ actiuæ, & ab actione denominatur, & meritò, quia neque cognitio, neque appetitio actiua requirerentur, nisi ad actionem regendam, & imperandam tenderent. Si autem appetitio non sit imperans, vel im-

imperatiua factionis, aut actionis, tunc ipſa cognitio ſpeculatiua dicetur etiam, ſi ad obiectũ ſpeculabile ſequatur affectatio volũtatis, ſiue appetitio rationalis. Ideò in 12. met. 36. ponit, primum intelligibile, & primum affectabile voluntate id, quod eſt bonum. Sed illud intelligibile, & affectabile, intelligitur, & affectatur ab intelligentiis, & hominibus ſapientibus.

Num 21. Si poſcas, quamobrem Philoſophus non poſuit vnam ſcientiam, quæ præcisè tegeret operationes voluntatis, etiam ſi nõ cõiungerentur cum exterioribus actione, & factione? Reſpondeo id fortè factum fuiſſe, quoniam Ariſt. non multum diſtinxit inter intellectum, & voluntatem in ratione principij actiui. Lege Scotum 1. d. 2. q. 7. X. Et 2. d. 25. q. 1. T. & quol. 16. K. Ideò appetitiones volũtatis ab intellectu ipſo elicitas exiſtimare viſus eſt, ſicut in primo phyſ. dicit intellectum, ſi velit ſegregare tex. 39. Vel quia partitus eſt hominem in ratione operatiui ad alium, & extra, atque ad ſe, & intra: ideò hanc partem indiſtinctam reliquit, quæ eſt ad intra. Illam, quæ eſt ad extra ſpecificauit, per actionem, & factionem propter diuerſas naturas iſtarum operationum, de quibus alibi.

Breuiter dico Ariſt. non diſtinxiſſe ſcientias in ordine ad appetitum; quia nec eſt vltimus vt actiones externæ: nec eſt primus, vt intellectus, ſed cum intellectu, vt primo, & cũ actionibus, vel factionibus tanquã vltimis copulatur.

Ad Auicennę diuiſionem dico etiam ſpeculatiuam aliquam eſſe de opere noſtro, vt animaſtica, & logica. Sed neque practica ſcientia conſiderat omne opus noſtrum, quia non factionem. Ergo illa diuiſio bifariã deficit, primò, quia ſcientias aliquas, quæ ſunt ſpeculatiuæ, facit practicas: ſecundò quia practicum de factione, & ſpeculatione ponit. *Num* 22. *Ad ſecundum.*

Piccolomineus primò diuidit ſcientias per organicũ, & principalem, de quo infra. Secũdò ſcientias principales partitur per cognoſcentem, & operantẽ. Facilius permitti poteſt hic modus loquendi, qui non abutitur vocabulo practicę, ſed partitur vocabulũ operationis in actionem, & factionem. Cæterùm hoc Ariſtoteli non probatur, cũ facultatem communẽ ad actionem, & factionem non conceſſerit. A fine igitur ſcientiam diſtingui, concedo: ſed Piccolomineus, vel vnum finẽ ſcientiæ omittit, vel quod verius eſt, duos fines, nempè actionẽ & factionem in vnum contraxit; quod Ariſtoteli nõ placuit; ſed Piccolomineo, id probandũ erat, vt Ariſtotelicis placeret. *Ad tertiũ*

Ad quartũ, obiectum diſtinguit ſcientias, nõ inficior, nam ſpeculabile, agibile, & factibile ſunt obiecta diſtinctiua ſcientiarum. Neceſſarium, & contingens non diſtinguunt: ã ſi loquitur de neceſſario complexo, ſcientia omnis eſt de veritatibus neceſſarijs, vel vt ſem-

per, vel vt plurimum. Si de necessario incomplexo, & scientia factiua, & actiua sunt de contingentibus quibusdam; sed actio aliqua in necessariũ quandoque tendit, vt cultus Dei: nã Deus est obiectum summè necessarium; & scientia speculatiua aliqua est de contingenti, vt in Geometria per problemata facimus nos lineas, & figuras, quæ sunt, & non sunt. In physica considerantur subcælestia, quæ possunt esse, & non esse, & non sunt ex necessitate per 2. de gen. 51. Sanè non video, cur motus hominis sit contingens; & motus leonis non sit contingens: ille ab actiua, iste à speculatiua consideratur. Sed verè omnis scientia est de vniuersalibus, & necessarijs: prudentia, & ars operans sunt circa singularia. Distinguendũ est igitur de scientia actiua, & de prudentia, tanquam de habitu circa vniuersalia, & particularia. Similiter scientia factiua, quæ est ars cognoscens, & ipsa ars ex factionibus contracta distinguuntur, quod illa circa vniuersalia, hæc circa singularia est: actiones quippe, & generationes sunt circa singularia primo met. cap. 1. Denique per necessarium, & contingens nullæ distinguuntur scientiæ, quia de contingentibus non est scientia.

Num 23. Ad quintum. Plato in dialogo de Regno partitur scientias in agentem, & cognoscentem. Ita est. Sed inferius cognoscentem, quam speculatricẽ nũcupat, diuidit in duo genera, quorũ alterum iudicio pollet, vt Arithmetica: alterum imperio, vt Architectonica, & scientia ciuilis. Cui partitioni Arist. acquiescere nõ potest, nam scientia ciuilis est actiua non speculatiua: architectonica est factiua ædificij, nõ speculatiua. Sed & Plato in Sophista artes diuidit, in eam, quę actione facit aliquid, quod ante non erat, atque hanc effectricem nuncupat; & in eam, quæ res factas acquirit, vt piscatoria, mercatura, & similes. Ergo Plato factiuam, quæ producit opus remanens post operationem: & actiuam, quæ vtitur opere pręexistente, artis nomine donauit. Quod cum Aristotele non consentit, nam factibilium est ars, agibilium est prudentia, vel ars liberalis, nisi & prudentiam dicere velimus artem. Item de vniuersalibus agẽdis, & faciendis sunt scientia actiua, & factiua. Itaque cum Aristotele dicimus tres esse scientias, non duas, si propriè loquẽdum sit. Si verò impropriè, sic omnes scientiæ possunt esse vna scientia, vel ars, nec tamen propterea erunt vna res.

Num 24. Ad sextum. Arist. in 2. post. tex. 104. Loquitur de arte, quæ est circa vniuersalia. Duplex enim est ars, altera cognoscens, & de vniuersalibus: altera operans, & de particularibus. Ars cognoscens est ipsa scientia factiua: factiua verò est, quia suũ obiectum ex non esse facit esse. In quo differt à scientijs actiua, & speculatiua, quæ per operationem suam non faciunt ens esse de nouo, sed circa ens pręexistens

ſtens verſantur; exemplum in primo polit. cap. 4. adeſt. *Qua inſtrumenta dicuntur, factiua ſunt, quod verò poſſidetur actiuum eſt: à pectine quidem enim aliquid fit, præter illius vſum: à veſte verò, atque lectica vſus ſolum.* Quare Philoſophus 2. poſt. 104. artem ponit ex vna parte, ſcientiam ex alia: ars generat obiectum, ſcientia præſupponit id, quod eſt. In hac ſecunda parte complectitur ſcientiam ſpeculatiuam, & actiuam, quæ non faciunt rem eſſe, ſed præſupponunt in eſſe. Non ergo, vt Piccolomineus arbitratur ſcientia actiua continetur ſub arte operante, in illo textu.

Item locus primi met. cap. 1. ſimiliter poteſt exponi, quando, inquit, per experientiam generari artem, & ſcientiam. Re vera tamen ibi Ariſt. promiſcuè vtitur vocabulo artis; nam, & mathematicas appellat artes, & artem dicit eſſe ſcientiam, & ſapientiam: ſpeculatiui quoque, & actiui, & factiui nomina vix diſtinguit. Quod cum Ariſtoteles obſeruaſſet, quia ille non erat locus diſcernendi has res, cum omnes per experientiam habeantur, & in hoc non ſint diſſimiles: idcirco refert ſe ad ea, quæ dicta ſunt in moralibus. Quare ex iſto loco primi met. nihil certi poſſumus habere.

Num 25. Ad ſeptimum. Pererius in prima ratione factiuam ſcientiã præterijt, quę non ſanat morbos affectus. Nec enim effectio ſtatuę facit hominem bonum, vel malum, probum aut improbum moraliter: ſed facit bonum, vel malum ſtatuarium. Itaque hęc prima Pererij ſufficientia eſt inſufficiens.

Ad octauum. Non placet ſub philoſophiæ nomine ponere ſcientias factiuas. Quòd ſi Pererio id placeat, iam ipſe partim artes mechanicas, partim philoſophiam moralem ponit ad id, quod confert. Melius verò erat ſufficienter diuidere cum Ariſtotele ſcientiam factiuam, & actiuam, nam ſic non ſola ſcientia moralis eſt ad actionem, verùm etiã aliquę artes liberales: neq; ſola ars mechanica eſt ad factionem, verùm etiam ſcientia factiua. Melius igitur eſt Ariſtotelem ſequi tripartitò diuidentem.

Ad nonum. Nego intellectum eſſe tantum duplicem, ſpeculatiuum, & practicum: cum in 6. met. 1. dicat Ariſt. omnis intellectus aut actiuus, aut factiuus, aut ſpeculatiuus eſt. Nec in 3. de anima diuidit Ariſt. intellectum, & partes diuidentes numerat, ſed ponit differentiam intellectus factiui à ſpeculatiuo; quæ poſitio differentiæ requirit mentionem extremorum comparatorum, non enumerationẽ omnium ſpecierum, vt ſupradictum eſt.

Ad decimum. Philoſophia dirigit vtique ad vitam, & ad felicitatem: duplex eſt vita, & felicitas, ſpeculatiua, & actiua. Sed artes, & ſcientiæ factiuæ, nec ad felicitatem, nec ad vitam hominis pertinent. Factio enim non eſt proprie vitalis, neque artifices ſunt participes felicitatis, ſed felicibus deſeruiunt. *Num 26.*

Ad

Ad vndecimum, Cõcedo omnem doctrinam esse propter aliquod bonum, & finem: vel enim est bonum agendum, vel faciendum, vel contemplandum. Nec Pererius potuit in ista sufficientia deuitare ternarium Aristot. quia ponit finem esse præter cognitionem, & eum duplicem, primus est operatio hominis, secundus est opus externum. Prior ad actiuam, posterior ad factiuam pertinet, non ad practicam, vt Pererius vellet.

Ad duodecimũ, Nulla ratio sufficiens, & certa continetur in diuisione illa Pererii. Nolo esse longior. Nam primo doctrina speculatiua non dirigit actiones humanas, vt ait Pererius, sed scientia actiua dirigit actiones. Differunt elicere operationes, & dirigere. Physica scientia est habitus eliciens speculationes physicas, sed non dirigens eas. Scientia moralis nõ dirigit operationes intellectus dictantis de agendo, vel non agendo, sed elicit intellectiones actiuas: dirigit verò operationes appetitus, & potentiæ motricis, & omnino actiones. Igitur omnissis hisce sufficiẽtiis, teneamus scientiam, vel regere effectiones, vel actiones externas, vel esse gratia cognitionis internę. Atque ita sunt tres species.

Ad decimũtertiũ. Postremũ Pererij probè ostendit à triplici obiecto speculabili, agibili, & factibili trinam scientiam non binam esse. Sed ipse vt binam faciat, partitur ens in speculabile solùm, & non solùm speculabile: scilicet facit differentiam negatiuam, quod esse non potest: deinde speculabile agibile, & speculabile factibile ponit, atque ideò confundit speculabile tanquam commune ad ista duo. Hoc est confundere, non distinguere, aut diuidere. Etenim speculabile fit commune ad speculabile, agibile, & factibile: item speculabile fit ęquè commune cum scibili.

Ad decimoquartũ, Non recipio scientiam mediam per participationẽ speculatiui, & actiui. Sed mediam per negationẽ vtriusque recipit Arist. nempè factiuam. Cum obstant, quia inter contradictoria medium nõ datur, quare nec inter extendi, & non extendi: fateor, sed contradictoria trifariam considerari posse animaduerto, primò per se se, secundò applicata ad vnum subiectum, tertiò applicata ad duo subiecta. Exemplum primi disgregatiuum, & non disgregatiuum: exemplum secundi, albedo est disgregatiua, & albedo non est disgregatiua: exemplum tertij, albedo est disgregatiua, nigredo non est disgregatiua. Contradictoria primo, & secundo modo sumpta sunt verè contradictoria, & medium nõ habent, ex primo post. 13. tertio modo sumpta non sũt verè contradictoria, quia non sunt affirmatio, & negatio eiusdem de eodem, sed de diuersis: quomodo possunt habere plura media. Vt hoc pateat, duas affero instantias. Inter disgregatiuum, & non disgregatiuum non est medium: albedo est disgre-

Num. 27.

gregatiua, nigredo non eſt diſgregatiua, ergo inter albedinem, & nigredinem non eſt medium. Qui propter hoc argumentum negaret, præter duas coloris ſpecies, eſſe aliquas medias, vt virorem, ruborem: an non egeret ſenſu? Secunda; inter primum, & non primum non eſt medium: numerorum autem binarius eſt primus, millenarius nõ eſt primus, ergo inter binarium, & millenarium non eſt medium. An qui id credat, non indiget mente? Similiter arguitur; inter extendi, & non extendi nõ datur medium: actiuæ ſcientiæ eſt extendi, ſpeculatiuæ non extendi, ergo actiua, & ſpeculatiua non habent medium, quod eſt falſum; nam factiua eſt media. Ratio erroris eſt, quòd affirmatio, & negatio non vni ſubiecto, ſed diuerſis applicantur, inter quæ ſubiecta, media poſſunt intercedere.

Formaliter ſi accipias contradictoria medium non habẽt, materialiter ſi ſumas medium habent; nam ſubiecta, quibus tribuuntur cõtradictoria, rationem habent extraneam à ratione contradictoriorũ, ideò illabitur paralogiſmus accidentis.

Ad extremum. *Non extendi*, ſi accipitur vt pura negatio, non poteſt eſſe differentia ſcientiæ iuxta monitum Ariſt. in primo de partib. cap. 3. Si accipitur vt poſitiuum quippiam non eſt cõtradictionis membrum. Sanè hæc negatio non extendi, vt eſt pura negatio, non magis verificatur de ſcientia, quàm de hircoceruo. *Num* 28.

Ad quintũdecimũ. Cũ Iandunus ait omem diuiſionẽ debere eſſe bimembrem, dico hoc ab Ariſtotele fuiſſe negatum in primo de partibus cap. 2. & 3. à Ianduno autem non probatum. Inſuper negamus actiuũ, & factiuum reduci ad practicũ tanquam ad aliquid commune, ſi quidem practicum, & actiuũ ſunt idem; atque non poteſt idẽ reduci ad ſemetipſum, tanquã minus commune ad magis cõmune. Sed neque factiuũ, quod eſt oppoſitum practici poteſt reduci ad practicum tanquam ad commune in quid: nec enim vnum oppoſitum prædicatur in quid de altero oppoſito.

Ad ſextũdecimũ. Admittimus habitum ſpeculatiuum ordinari ſolùm ad cognitionem, practicũ ad opus, factiuũ ad productionẽ ſui ſcibilis. At ex his admittat nobis Iandunus tres ſciẽtiæ ſpecies, non duas tantũ. Nec enim probat, quòd ordinari ad opus, & ordinari ad productionem ſui ſcibilis ſint idem, aut quod habeant vnum habitum communem. Id autem erat probãdũ. Quando enim diſtinguimus habitus ſcientiales, datur habitus ſpeculatiuus, datur actiuus, datur factiuus. Sed iſte habitus communis, qui neque factiuus, neque actiuus ſit formaliter, minimè inuenitur. Hanc ob cauſam credo Ariſtotelẽ non diuiſiſſe ſcientiam in duos habitus, ſed in tres habitus ſcientiales, quia ſingulorũ poterat demonſtrare ſpeciem: ſed vnius diſtincti à ſpeculatiuo, qui nec acti-

actiuus, nec factiuus eſſet, ſpeciem demonſtrare non potuit.

Diuiſionẽ Ariſtotelicam ſcientiæ non eſſe inſufficientem. Cap. VI.

Num 29: POſt conſideratum priorem modum impugnandæ Ariſtotelicæ diuiſionis, tãquam ſuperflua numerantis: conſideremus ſecundum impugnãdi modum, quo illa poteſt notari, tãquam diminuta. Pluribus modis poſſunt excogitari alia ſcientiæ membra præter tria ex Philoſopho poſita. Primo quidem per participationem, vt ſi fingamus dari ſcientiam ſpeculatiuam, & actiuam ſimul, aut ſpeculatiuam, & factiuam: aut actiuam, & factiuam: aut vltimò ſpeculatiuam, actiuam, & factiuam ſimul. Poſt hos modos conſiderabitur modus per negationem, excogitatus ab iis, qui ponunt aliquam ſcientiam affectiuam, aut organicam.

Prima opinio ponit medium per participationem ſpeculatiui, & practici: diſtinguit autem, quia in ſcientijs philoſophicis, hoc eſt naturaliter inuentis hæc ſcientia, quæ ſit practica, & ſpeculatiua ſimul, non conceditur: ſed ſcientia ſupernaturalis eſt huiuſmodi, quæ fuit ſententia præcellentiſſimi Peripatetici Thomæ Aquinatis p.p. q. 1.a. 4. Ad quem locum Caetanus primo ſciẽtiam partitur per finitam, & infinitam: mox finitam ſubdiuidit in ſpeculatiuã, vel practicã. Addit verò, quòd ſcientia infinita, & formaliter, & eminenter eſt ſimul ſpeculatiua, & practica. Hæc ſententia, quantũ capio, inducit quartam ſcientiæ ſpeciem per participationem extremorum, ſcilicet ſpeculatiui, & practici.

Num 30. Res alieni iuris eſt de ſcientia ſupernaturali diſſerere; ſed noſtri iuris eſt conſiderare, an ſit poſſibilis aliqua ſcientię ſpecies per participationem duarum differentiarum, vel trium differentiarum ab Ariſtotele poſitarum. Et argumentor cum Ioanne Dunſio *Scoto* ſic. Quando aliquod commune primò diuiditur per aliquas differentias, vel quaſi differentias, illæ differentiæ non poſſunt conuenire in aliquo vno contento ſub communi: ſed ſcientia eſt commune quoddam, quod diuiditur primo in practicum, ſpeculatiuum, factiuum. Ergo impoſſibile eſt iſtas differentias ſimul inueniri in aliqua ſcientia vna ſpecie, vel numero contenta ſub communi. Maior eſt manifeſta, quia ſi differentiæ diuidentes aliquod commune poſſent ſe inuicem compati in aliquo contento ſub communi, tũc vnica ſubſtantia numero poſſet eſſe corporea, & incorporea: & vnum animal ſenſituum, ac inſenſitiuum: & vnus homo rationalis, ac irrationalis: & vnus numerus continuus, & diſcretus. Minor patet per Ariſtotelis dicta in 1. cap. relata, nec Aduerſarij oppoſitum oſtendunt.

Præterea, impoſſibile eſt vnã quiditatem conſtitui ex differẽtijs formaliter oppoſitis: id quod obijciebat Philoſophus in dicto

libro

libro primo de partibus capite tertio ijs, qui bipartitò diuidunt, quòd eandem ſpeciem in oppoſitis differentijs collocant, vt auẽ aquatilem, & volatilem faciunt. Nunc autem ſpeculatiuum, & actiuum, ſeu practicum ſunt differentiæ formaliter oppoſitę, ergo non poſſunt in eodem formaliter contineri. Idem dico ſi aliqua ſcientia dicatur eſſe actiua, & factiua, vel ſpeculatiua, & factiua.

Tertiò. Ex duabus realitatibus non fit vnum per ſe, niſi altera ſe habeat vt actus, altera vt potentia: vel ambę vt potentia, & potentia, nam ex actu, & actu non fit vnum per ſe. Conſule 7. met. 49. & 8. met. cap. vlt. Sed ſpecies ſcientiæ eſt per ſe vna, nã de tali ſpecie quærimus: ſpeculatiuum, & actiuum inter ſe non ſe habent vt potentia, & potentia: neque vt potentia, & actus; quoniam vtrunque eſt differẽtia, & actus, ergo ex eis nõ poteſt conſtitui vna per ſe ſpecies ſciẽtiæ.

Confirmatur logicè. Omnis ſpecies conſtat ex genere, & differentia: nulla verò ſpecies poteſt conſtitui ex duobus generibus diſparatis, aut ex duabus differentijs diſparatis. Sed practicum, & ſpeculatiuum, & factiuum ſunt tres differentiæ diſparatę, nõ autem ſubordinatę, neque vt genus, & differentia, ergo ex practico, & ſpeculatiuo, non poteſt vna ſcientiæ ſpecies conſurgere.

Num 31. Neque reſponſio diſtinguens ſcientiam per infinitam, & finitam, vt ſupra retuli, opitulatur. Quando enim aliquod cõmune primò diuiditur per duas differentias: quæ continentur ſub vno mẽbro diuiſionis, non poſſunt contineri in alio membro eiuſdem diuiſionis, per regulã, diuerſorum generum, & non ſubalternatim poſitorum diuerſæ ſunt ſpecies, & differentiæ, quæ declaratur in primo topic. cap. 13. At per Caetanum ſcientia primò diuiditur per finitam, & infinitam: ſub finita verò ſũt ſpeculatiuum, & practicũ formaliter, igitur ſpeculatiuum, & practicum non poſſunt formaliter conuenire ſcientiæ infinitæ, niſi æquiuocè.

Item impoſſibile eſt in aliquo eſſe ſpecificam differẽtiam formaliter, & actu, & ipſum non eſſe ſpeciem cõſtitutam ſub genere illius differentiæ: aliâs ratio formalis ſpecificandi erit ſine effectu formali. Sed per Caetanum ſcientia infinita in ſe habet actu, & formaliter duas differentias ſpecificas diuidentes finitam ſcientiam, ergo ſciẽtia infinita non poteſt non eſſe, vna, aut duæ ſpecies contentæ ſub ſcientia finita, quod eſt abſurdum.

Tertiò, omnis actus eſt natus fieri in propria potentia, ſed ſpeculatiuum, & practicum ſũt actus, & differentiæ; aut igitur ſcientia in communi eſt immediata potentia receptiua iſtorum actuum, ſicut genus differentiarum: aut ſcientia finita eſt potentia immediata. Si primum, ergo ſcientia in communi primò diſtinguitur in ſpeculatiuum, & actiuum, & non pri-

mò per finitum, & infinitum. Si secundum, ergo neutra istarũ differentiarum potest esse in scientia infinita, nisi dicamus cum Aristotele in primo de aĩa 53. quod etiam tectonica in fistulas ingreditur, sic enim proprius actus propriam potentiã non exiget, contra 2. de aĩa 26.

Num 32. Secũda opinio asseritur à Piccolomineo in lib. prętitulato Introductio ad scientiam de natura, vbi distinguit scientias in organicam, & principalem: principalem in speculatiuam, actiuam, factiuam, & si non immediatè, saq; scientia organica, vel subministrãs non continetur sub trina diuisione ab Aristotele constituta. In eandem sententiam iuit Suessanus in primũ Top. cap. 9. & Aphrodiseus in eundem locum: videturque etiam esse Simplicij in præfatione ad Commentarios super prædicamenta.

Probat Piccolomineus, quia omnis disciplina ob aliquem finem parata est: vel ergo finis solùm optatur gratia alterius, & consurgit disciplina organica: vel saltem aliqua ex parte optatur gratia sui, & est disciplina principalis. Organicæ disciplinæ sunt duæ præcipuè, logica in rectè formanda ratione, grammatica in rectè formanda oratione.

Secundò, nam Arist. in primo top. genera problematum numerans, & organica, & principalia numerauit. Auerroes illum sequens in primum caput primi libri paraphra, metaphysicæ, disciplinas in organicas, & principales diuisit.

Hæc opinio diuidenda est. Nam hi Authores, vel concedunt logicam esse scientiam, vel negant. Si negent esse scientiã, nobis negotium non præbent, qui sustinemus nullam dari sciẽtiam quartam, vltra tres Aristoteleas. Nam à quo negatur genus, negatur omnis species contenta sub genere; dicente Philosopho in 4. topic. loco 47. *De quibus genus non prædicatur, nec specierum vlla prædicabitur*. Si verò scientiam concedant esse, pront videtur Arist. in 11. met. sum. 1. c. 1. appellare scientiam illam facultatem, quæ agit de demonstratione: & in primo rhetoric. cap. 4. ore rotundo Analyticam sciẽtiam ponit. Tunc nobis labor est assumendus, ne quartum scientiæ genus detur, alioqui falsò Aristoteles diuisit omnem scientiam per speculatiuam, actiuam, factiuam.

Primò quidem Arist. in locis ca. 1. relatis diuisit omnem sciẽtiam, & omnem intellectum, & omnem cogitationem tripartitò. Restringere, vt non diuiserit omnem scientiam, sed omnem scientiam principalem, voluntarium est, non necessarium. *Num* 33.

Præterea, ponere logicam pręcisè esse gratia alterius, sciẽtiam factiuam aliquo modo gratia sui, indignum videtur. Nam sciens factiuus, nec particeps est vitæ, nec felicitatis, sed famulatur viuentibus cum felicitate. At logica omnino necessariò tractanda est ab eo, qui speculatiuæ, aut actiuæ scientię compos

Digitized by Google

pos eſſe velit; ſiquidem logica non poterit probè diſcernere verum à falſo, bonum à malo. Si itaque ſtudium logicæ ſtat cum vita, & felicitate in eodem ſubiecto; ſtudium factiuæ ſciẽtiæ non item, vt ſupra dictum eſt, ergo præſtantior eſt logica, & multò magis gratia ſui, quã factiua.

Ad hęc, nobilius eſt in re inferiore attingere ſuũ ſuperius, ſecundum Philoſophum 7. politic. vnde ſenſitiua hominis eſt nobilior, quàm ſenſitiua bruti: quia ſenſitiua hominis ordinatur ad intellectiuam. Ergo nobilitatis eſt in ſcientia ordinari & ad ſuperiorẽ ſcientiam, & in rẽ ſuperiore: ſicut nobilius eſt exercere officiũ conſiliarij apud Regem, quàm exercere officiũ ædificatoris, vel fabri ferrarij. Sed logica eſt veluti conſiliarius ſapientiæ in felicitate ſpeculatiua, & conſiliarius prudentiæ in actiua felicitate: vnde principaliter ordinatur ad actus ſupremos potentiæ intellectiuę dirigendos ſine errore. Sed factiua ordinatur ad neceſſaria corporis facienda felicibus, vt veſtes, arma, domos. Nobiliora verò ſũt bona animi, quàm corporis, vel externa, quemadmodum in 7. politic. cap. 1. didicimus. Ergo multò nobilior eſt logica, quàm factiua, reſpectu cuius logica ſe habet potiùs per modum imperantis, & regulantis, quàm per modum ſubminiſtrantis.

Denique, vt reperam, ſi logica eſt ſcientia, multò melius eſt eam ſpeculatricem, vel actricem ponere, quàm extra tria ſciẽtiarum membra quartum comminiſci.

Num 34. Per hæc ad argumenta Piccolominei. Dico ſcientias eſſe, vel gratia ſui, vel gratia alterius: ſpeculatiuæ ſunt gratia ſui, actiuæ, & factiuæ non. Quæ non ſolùm ordinantur ad aliquid extra genus cognitionis, verùm etiam ordinantur ad cognitionẽ ſpeculatiuam, ſi quidem omne bonum externum, & internum dirigitur ad felicitatem contemplatiuam. Vndè & ſcientiæ principales hoc modo eſſent organicę. Igitur illa ſcientia eſt gratia ſui, quæ nõ ordinatur ad aliquid extra intellectum. Logica principaliter, & immediatè ordinatur ad regimen operationum intellectus, non ad aliquid extra intellectum, niſi per accidens, ſi ipſa operatio intellectus regulata per logicã, extra intellectum extendatur ad actionẽ, vel factionem.

Hoc probo de logica. Si per ſe eſſet de ratione logicæ, vt extenderetur ad aliquid extra intellectum, ergo & in omnibus, & ſemper extenderetur; quod enim per ſe ineſt, ineſt etiam vt prædicatum de omni ſcientificè ex primo poſt. 29. Sed logica, dum dirigit intellectum in ſpeculando, non extenditur extra intellectum, nec mediatè, nec immediatè: ergo non eſt per ſe de ratione logicæ, vt dirigat actionem, vel factionem, ſed hoc accidit, quatenus regit ſciẽtiam actiuam, vel factiuam. At non accidit ſcientiæ factiuæ, vt extendatur extra intellectum, & ordinetur ad rem factibilem: er-

go per se loquendo ignobilior est scientia factiua, quàm logica.

Locus primi topic. cap. 9. primò ponit problema actiuum tantùm, quod est ad electionem, vel fugam: secundò speculatiuum tantùm, quod est ad veritatem, & scientiam: tertium problema, quod non est per se ad aliquod horum, sed administulatur ad speculationem, & actionem, intelligo problema factiuũ. Etenim speculationes, & actiones studiosę sunt per se se expetẽdę, cum in eis humana felicitas cõsistat; factiones on per se expetuntur, sed vt admiculantur actiuis ad agẽdum, speculatiuis ad contemplandum. Nam actiua, & speculatiua imperant factiuæ: speculatiua tanquã princeps, actiua tanquã atrienſis, vt elici potest ex primo magnor. moral. ad calcem.

Aliam expositionem dedi, dũ quęrerem, an logica sit scientia. Sed vtcunque ille textus exponatur, ille nobis manifestè refert, prẽter scientiam speculatiuã, & actiuam, dari tertium genus problematis: vt propterea sit locus efficax ad reprobãdam opinionem ponentium duo tantùm scientiæ membra, speculatiuum, & actiuum.

An scientia affectiua concedenda sit. Cap. VII.

Num 35. PRæter tres ab Aristotele positas scientiarum species, præclarissimi viri in Peripato, extra Peripatum egressi, quartã, quam affectiuam dicunt, inuenerunt. Albertus magnus Peripateticus apud Dionys. Carthus. in q. 2. prol. ponit scientiã affectiuam, quæ perficit intellectum, & affectum: nimirum intellectum formaliter, affectum directiuè. Adiecit Albertus hãc scientiam, quæ considerat veritatem, non sequestratam à ratione boni, à philosophis non fuisse tractatã; quoniam talis finis in rebus creatis non inbenitur.

In eadem sententia est Bonauentura Seraphicus in q. 3. prol. & in eadem citatur Thomas Angelicus ex q. 16. de malo ar. 8. apud Zamorum Vtinens. trac. 1. q. 10. a. 1. sec. 1. cat. 101. col. 1.

Ægidius Romanus in Peripatetica palęstra exercitatissimus, & ei consors Thomas de Argentina in q. 4. prol. eandem opinionem de affectiua scientia cõprobarunt.

Equidem affectiuam scientiã concedendam arbitror iuxta placita Aristotelis: neque tamen esse à ratione speculatiuę scientiæ segregandam. Cur autem hi viri præclarissimi eam segregarint, breuissimè tangam, ne transcendam limites Aristotelicos.

Primò quidem dico, scientiã affectiuam cum Aristotele esse sustinendam. Datur quippe obiectum affectabile, igitur datur scientia affectiua; consequẽtia est nota, quoniam ab obiecto specificatur scientia. Imò scientia secatur in tres ex 3. de anima 37. quin potius scientiã est ipsa res per spiritalem repręsentationem, & imitationem ex 3. de anima 15. 19. 27. 36. & 12. met.

met. 51. Antecedens conſtat ex 12. met. 36. dum ait de primo intelligibili, & amabili, quòd ſunt idem, & hoc ſecundum exponens ait. *Primum verò voluntate affectabile eſt, quod eſt bonũ.* Igitur datur primum intelligibile, & primum affectabile ab Ariſtotele: quare ab eodem non debet negari affectiua ſcientia; ſi igitur ad ſcientiam primi veri, & ſummi boni, ſequatur affectatio ſummi boni, tanquam vltimi finis, ob quod quodque agendũ eſt ex primo met. ſum. 1. cap. 2. hæc erit quaſi perfectio quędam conſequens optimam operationem ex. 10. Nicom. cap. 4. *In vnoquoque enim optima eius eſt operatio, quod optimè affectum eſt ergo præſtantiſſimum ex iis, quæ ſibi ſubijciuntur, atque hæc eſſet perfectiſſima, ac iucundiſſima. In omni item ſimili modo intellectione, & contemplatione. Iucundiſſima autem ea eſt, quæ perfectiſſima, at perfectiſſima eius eſt, quod bene affectum eſt erga optimum eorum, quæ ipſi ſubijciuntur. Operationem verò voluptas perficit.* Et in cap. 7. eiuſdem libri. *Exiſtimamus quòd oportere voluptatem felicitati eſſe admixtam. Iucundiſſima autem ex veritatis operationibus ea procul dubio eſt, quæ ſecundum ſapientiam ſit. Philoſophia ergo mirabiles habere & puritate, et nobilitate voluptates videtur.* Hæc de felicitate cõtemplatiua, quæ eſt operatio à prima philoſophia elicita circa primũ intelligibile, & affectabile; ſed voluptas, delectatio, iucunditas ad affectum pertinent; nam, & in 2. Nicom. cap. 4. Voluptas, & dolor inter affectus numerãtur, Quocirca Philoſophus ſcientiã affectiuam, & ſpeculatiuam cõiunxit, vt affectio illa, quæ eſt voluptas, nedum de ſcientia, ſed etiam de re ſcita, ſit comes, & quaſi decor ſpeculationis ſuperexoriens.

Nunc dicam, quare Ariſtoteles non ſeiungit affectiuam à ſpeculatiua; nam præter ſuperius tractatam rationem, quòd ſcientia, niſi ad exteriores actiones, vel factiones ordinetur, eſt ſpeculatiua; quia verò non eſt ſpeculatio ſine coniuncta voluptate ſincera ipſius affectus; propterea non oportuit ſecernere has ſcientias. Præter aliam etiã, quoniam Philoſophus parum diſtinxit inter affectum, & intellectum in ratione principij actiui, vnde ſcientia, quæ non excedit affectum; neque extra intellectũ cedere videri poteſt: ſcientia verò, quę extra intellectum non tenditur, eſt ſpeculatiua. *Num* 36.

Præter has rationes, inquam, eſt alia ratio. Ex 2. phyſ. 29. inter primum mouens, & finem primum ſunt intermedia, quæ ſunt, & efficiens, & finis ad aliud, & aliud; vt inter medicinam ſcientiam, vt primũ mouens, & ſanitatem, vt primum finem: ſunt organa, pharmaca, purgationes. Quando autem ſunt eiuſdem rei plures fines proprij, à principali res denominanda eſt, & quadã ratione ſpecificanda eſt ex 2. de aĩa 49. Ita ſi vna ſcientia plures fines obtinet, à principali denũcupabitur. Hinc in 2. Nicom. cap.

cap. 2. & 10. Nicom. cap. vlt. dicimur, scientiam moralẽ quærere, non vt sciamus, sed vt boni efficiamur; quòd quidem per actiones fit studiosas, & ab actionibus dicetur scientia actiua, non à cognitione cognitiua, neque ab electionibus electiua. Ad propositum, quoniam Aristeteles primatum intellectui concessit, speculationi, non affectioni, propterea speculatiuã dixit esse sapientiam, non affectiuam; quanquam vtroque titulo polleat. Theologi illi verò, & Philosophi præcellentissimi primatũ affectationi, hoc est amori, concesserunt, & imperium voluntati super intellectum; ideò non iniustè à nouo fine inducto, nouam scientiam inducunt; nàm & Aristoteles, si cum eis in minore conueniret, quòd affectatio præcelleret speculationi, cum eis conclusionẽ affirmaret. Verùm in 10. Nicom. cap. 4. primas dedit speculationi, postremas voluptati, & similiter dicendum erit de affectionibus omnibus.

Maneant igitur secundum Aristotelem tria duntaxat sciẽtiæ membra, speculatiuum, actiuum, & factiuum; asseramusque Aristotelis partitionẽ prædictam, neque superfluum quicquam, neque diminutum continere. Possem hic disserere; An speculatiua, & actiua, & factiua distinguãtur ex principio effectiuo, prout in 6. met. 1. & 11. met. sum. 3. cap. 1. distinguuntur. An ex fine, quemadmodum in 2. met. 3. & 3. aïa 49. indicatur: an potius ex obiecto, sicuti secernuntur in 5. ad Eudemum cap. 2. sed cum per hæc omnia Philosophus eas distingui ostenderit, non videtur digrediendum, modò nobis maneat iuuiolata illa distinctio trimembris, cuius veritatem proposueramus vestigare.

VE-

VESTIGATIO PERIPATETICA X.

De primo cognito. Caput Primum.

Præparatio ad veſtigationem peragendam.

Num 1. CVM multę inter Peripateticos, atque præclaræ diſputationes excutiantur, nulla maiorem ferè gignit admirationem, quàm hæc de primo cognito. Cui enim non videatur mirabilis, vel potiùs miſerabilis humanæ mentis imbecillitas, dum animaduertit ſingulos quoſque homines aliquid primum diſcere: ſed illius, quòd quis primùm didicit, omninò neminem recordari? Veſtigarunt hoc primum origine cognitum, primáq; cognitionem noſtram quàm plurimi viri tùm doctiſſimi, tùm ingenioſiſſimi: tantaque contentione veſtigarunt, vt illius obiecti primi veſtigia potiùs deleta, quàm deprehenſa videantur. Sequor nihilominus, & ego aliorum conatus, Ariſtotele duce. Verùm ad tetram huius obliuionis caliginem depellendã nonnulla breuiùs examinanda videntur, vt poſtea liberiore curſu huius difficultatis anfractus, & rupes ſuperare poſſimus.

Eapropter diſtinguo priore loco ex parte obiecti cognoſcibilis, poſteriore ex parte potentiæ cognitiuæ. Cognoſcibilium quædam ſunt ſubſtantiæ, quædam accidentia: & rurſus alia ſunt vniuerſalia, alia particularia. Quæ diuiſio eſt eorum, quę ſunt, eruta ex Ariſtotele Ante Prædicamenta. Potentia cognitiua erit, vel ſenſitiua, vel intellectiua. Senſitiua ſola eſt in omnibus brutis animalibus. Intellectiua ſola eſt in ſubſtantijs à materia ſeparatis. In homine autem (tanquam in nexu incorporeorũ, & corporeorũ entium) vtraque reperitur potentia, ſenſus, & intellectus: vtraque cognitio, & ſenſitiua, & intellectiua, teſte Philoſopho in lib. de ſomnijs cap. 1.

Quoniam verò per aſſertum in 8. phyſ. contex. 58. quod generatione eſt poſterius, naturâ eſt prius, in ijs quæ generationi, & corruptioni ſubſunt: propter hoc ſenſitiua cognitio eſt origine prior in homine, quàm intellectiua: ſed intellectiua eſt prior naturâ, & perfectione.

Quo-

Quocirca exordium nobis faciendum est à cognitione sensitiua, & exquirendum in ea primum cognitum.

Vtrum Homo cognitione actuali sensitiua prius origine cognoscat accidens, an substantiam.
Cap. II.

Num 2. VEstigemus primo loco, an ordine generationis homo cognitione sensitiua actuali prius attingat substantiam, an accidens. Quæ quidem disquisitio decidetur per ea, quæ scribuntur in secũdo de anima textibus 63.64.65. Etenim obiectũ sensibile trifariam distinguitur: sensibile per se proprium, sensibile per se commune, sensibile per accidens. Sensibile per se est, quod verè, & propriè percipitur à sensu; vt color à visu. Sensibile per accidens est, quòd propriè non percipitur à sensu, sed per accidens coniungitur cum sensibili per se; veluti si album sit filius Diatis; album per se videtur: homo autẽ, vel filius nõ videntur, nisi quatenus iunguntur accidentaliter cum ipso albo. Sensibile per se proprium est, quod vno solo sẽsu cognoscitur, vt sonus auditu, color visu, sapor gustu. Sensibile per se commune, quòd pluribus sensibus attingitur. Sensibilia communia numero quinque sunt ab Aristotele posita in loco citato secundi de anima, & in primo capitulo de sens. & sẽs. *Dico autem*, inquit, *communia, figuram, magnitudinem, motum, quietem, numerum*. Quibus locis vnitatem sub numero comprehensam intellexit, nam, in 2. de anima contex. 132. segregauit vnum à numero. Ex his compertum existimo, substantiã esse sensibilẽ per accidẽs, accidẽs esse sensibile per se: quod idẽ hauries ex 2. de aĩa tex. 134.

Ex his declaratum est obiectum sensibile. Nunc declaranda est potentia sensitiua. Quæ duo, obiectum cognoscibile, & potentia cognitiua, sunt duo principia cognitionis producẽdæ. Omnis sensus est exterior, vel interior. Sensus exteriores sunt manifestissimi, & quot, & qui sint: videlicet quinque. Tactus, gustus, odoratus, auditus, visus. Interni sensus latent, nec facilè est assignare quot, & qui sint. Mihi tres sufficient; sensus communis, imaginatiua, quæ, & phantasia, & memoria. De quibus in lib. de Mem. & remin: & in lib. de Som. & vigil. atq; in secundo de Anima. Porrò inter sensus internos, & externos talis est ordo, vt operatio sensus interioris necessariò præsupponat operationem sensus exterioris alicuius. Quamobrem humana cognitio incipit à sensu exteriori, & ascendit ad interiores: à sensibus interioribus obiectũ defertur ad intellectum. Interim quærimus, quisnam sensus primò sentiat, & quodnam sensibile primò sentiatur vt elucescat simul, quænam in nobis sit prima sensatio.

Conclusio prima sit. Accidẽs prius origine est nobis cognitum cognitione actuali sensitiua, posterius cognitum est substantia. *Num 3.*

Quo-

Digitized by Google

Quòniam nihil per accidens eſt prius ijs, quæ ſunt per ſe: vt eſt in ſecundo phys. tex. 66. & 11. met. ſum. 3. cap. vlt. Sed accidens ſentitur per ſe, ſubſtantia ſentitur per accidens, per ſecundum de Anima tex. 64. & 134. Ergo accidens eſt prius cognitum, atq; omninò primum cognitum cognitione actuali ſenſitiua.

Inſuper conſtat ex his, accidens non ſolùm prius, verùm etiam magis eſſe perſpectum ſẽſui, quàm ſubſtantiam. Semper náque propter quod vnũquodquę, & illud magis, 1. Poſt. 15. & 2. met. 4. At accidens eſt notum ſenſui, ſed propter ſe ipſum: ſubſtantia, vel nõ eſt cognita ſẽſui, vel propter accidens eſt cognita: ergo accidens eſt magis cognitum ſenſui, quàm ſubſtantia.

Secunda Concluſio ſit. Tangibile per ſe proprium eſt primum cognitum à nobis cognitione actuali ſenſitiua ordine originis. Sanè cum ſint quinque ſenſus externi, quinque erunt quoque ſenſilia per ſe propria, & quinque ſenſationes proportionales elicitæ à ſingulo ſenſu circa ſuum per ſe proprium obiectum. Inter hæc ordine generationis primus ſẽſus cognoſcens eſt tactus, primum cognitum eſt obiectum tangibile: prima cognitio ſenſitiua in quolibet homine eſt ipſa tactio, ſeu contactus.

Ad hoc oſtendendum accipio ex 5. met. textum 16. cap. de priori talem. *Priores dicuntur paſſiones priorum, vt rectitudo lenitate: ſi enim lineæ per ſe paſſio, hæc verò ſuperficiei.* Similiter in 2. de cælo tex. 8. & 12. Philoſophus aduerſus Pythagoreos docet, rationem ipſius ſurſum, & deorſum, quæ ſpectat ad longitudinem, eſſe priorem ratione dextri, & ſiniſtri, quæ ad latitudinem attinet: quia longitudo eſt prior latitudine. Ex quibus talem ergo propoſitionẽ. Omnis paſſio ſubiecti prioris eſt prior paſſione ſubiecti poſterioris. At verò actus primus eſt quaſi ſubiectum: actus ſecundus aptitudine, vel actu eſt quaſi paſſio, aut actus paſſioni correſpondens; ergo qualis erit ordo actus primi ad actum primum, talis erit ordo actus ſecundi ad actum ſecundum. Nunc autem ſenſus tactus in actu primo eſt omnium ſenſuũ primus ordine generationis: quare & tactiuum eſſe, & tangere erit ordine generationis actus ſecundus primò elicitus; minor eſt Ariſtotelis in 2. de partib. animalium cap. 8. cat. 1129. dicentis. *Animal enim eo definimus, quòd ſenſum obtinet, primumq; eum, qui primus eſt. Tactum autem primum eſſe certũ eſt.* Et meritò quoniam tactus ſpectat ad eſſe animalis: alij ſẽſus ad benè eſſe per 3. de anima 66. & 68. Atqui prius generatione eſt eſſe, quam benè eſſe. Ergo & prius eſt agere ad eſſe conſequẽs, quàm ad benè eſſe. Idcirco tactus prius, quàm alij ſenſus, tangit, ſentit, cognoſcit ſuum obiectum tangibile.

Num 4.

Quia verò primum generationis tempus, partim in matris ventre traducit pàruulus,

partim extrà, poſtea quã exortus eſt ; quid primum cognoſcat, antequam naſcatur, quid poſtea quàm natus eſt, exquiramus; vt primatum cognoſcẽdi tactui, atque tangibili vindicemus. Prius loquamur de paruulo intra matris viſcera cõcluſo. Paruulus in ventre matris vigilat, ergo ſentit. Non ſentit autem, niſi tactu, & obiectum tangibile; igitur primum ſentire eſt tangere, & primum cognitum, ſeu ſenſatum eſt tactile. Prima propoſitio eſt conſequentia, cuius antecedẽs erutum eſt ex Ariſtotele in 5. de generat. animalium cap. 1. car. 1330. de pueris hæc diſſerente. *Intra parentem, cum primum sẽtire caperint, tempus dormiendo ferè totum conſumunt*, & infra. *Veruntamen expergiſci in vtero etiam videntur. Quod tum in diſſectionibus, tum in prole cuipari generis paret: mox obdormiſcunt ſtatim, rurſuſq; dilabuntur*. Conſequentia probatur, quia ſomnus, & vigilia, tanquam priuatio, & habitus opponuntur: ſomnus eſt ceſſatio ſenſationis exterioris, vigilia verò eſt ipſum ſentire, vt aſſeuerauit Philoſophus in primo capite de ſomno, & vigil. & in 2. de anima 9. Igitur paruuli etiam intra parentem concluſi, expergiſcuntur, vigilant, ſentiunt. Secunda propoſitio ex eo patet, quòd puer ventre incluſus, nullo ſenſu ex operantibus circa obiectum diſtans, agit: eo quòd mediũ percipiendorum, vel odoris, vel ſoni, vel coloris interceptum eſt, membranis fœtum circundantibus? niſi vehemens aliqua violentia intercedat; non ergo puer incluſus odoratu, auditu, viſu ſentit. Suffragatur illud, quòd neceſſe eſt, vt fœtus tangat, cum tangibilia proximè habeat coniuncta; ſed guſtare non poteſt, nam per vmbilicum nutritur, atque augetur, ex 7. de Hiſtor. animalium cap. 8. Non ergo lingua, in qua reſidet guſtus, operatur: quare neque odoratu ad ſapores diſcernendos neceſſario. Nec auditus connarum aerem habere poteſt cõtinuum cum aere exteriore, neceſſario ad audiendum, ſicut neque perſpicuum requiſitum ad videndum. Vnde cum hi ſenſus nequeant habere obiectum, aut medium ſufficienter præſens, & approximatum in vtero: neque puer inibi contentus, horum ſẽſuum actibus defungi poteſt. Reſtat, vt prima cognitio, quã infans habet, ſit ſenſitiua tactiua, ſeu ſit ipſum tangere, & primum cognitum ſit aliquod tangibile.

Num 5. Deinceps dicamus de primo cognito ipſi puero in lucẽ emiſſo. Tactus, & guſtus ſunt primi ſenſuum, qui exeant in actũ; id patet. Nam infans ſtatim, ac naſcitur, ſuggit vbera, vt notat Philoſophus in 7. de Hiſtor. animalium cap. 10. Sed guſtus eſt quidam tactus, & guſtus in actu non poteſt eſſe ſine tactu in actu ex lib. 3. de Anima 63. & 64. Suggere autem nõ eſt poſſibile, niſi per tactum, & guſtum.

Præterea pueri naſcentes plorant, ex eodem 7. de hiſtor. cap. 10.

10. id autem faciunt non ob læsionem alterius sensus, quàm tactus ab externo frigore, vel calore: aut à compressione, & extẽsione membrorum in delapsu per meatus geniales. Sed hæc sunt obiecta tangibilia propria, vt calor, vel frigus: aut communia, vt compressio, vel extensio; igitur cum communia sensilia non cognoscantur, nisi beneficio propriorum, fit, vt ipsa tangibilia primitus tactiua cognitione sentiantur.

Amplius, puer enatus potest prosequi, ac fugere obiecta propinqua, et de facto prosequitur, ac fugit, dilatatione, contortione, ploratu. Quare necessarium est celerrimè tactum esse perfectum, cum puer nequeat ab obiectis tangibilibus separari: quibus perimeretur per exuperantiam, nisi ea refugeret. Sed obiecta longè posita neque prosequitur, aut fugit: neque prosequi potest, aut fugere. Cum ergo natura non deficiat in necessarijs, nec redundet in superfluis, per tertium de Anima 45. & lib. de Respirat. cap. 11. velocissimè tactum, atq; gustum absoluit in actu primo, atq; velocissimè perducit ad actum secundum sentiendi. Tardiùs cæteros elaborat sensus; cum enim finis eorum non possit haberi: neque ipsos citò esse, aut agere necesse est. Tactus igitur primùm cognoscit obiecta sua, siue in vigilia, siue in somno: nam, & in somnis pueros, atque adultos quosdam vtcunque sentire, tradit Aristoteles in 5. de generat. animalium cap. primo.

Tertia Cõclusio. Primę qualitates tangibiles actiuę, vt calor vel frigus, primitus ordine originis cognoscuntur à pueris. Etenim ex lib. secundo de gen. & corupt. tex. 8. qualitates tãgibiles sunt aliæ primæ, aliæ secundę. Primę actiuę sunt, calor, & frigus: Primæ passiuæ, humor & siccitas. Secundę sunt, grauitas, & leuitas: durities, & mollities: lenitas, & asperitas, &c. Quamobrem dubitari meritò potest, quænam ex qualitatibus tangibilibus primùm origine percipiatur sẽsu tactus à paruulo, siue intra, siue extra matrẽ. Respondeo, rem esse incertam, alicui nanque potest primò calor occurrere, alicui frigus, atque itidem, & alia qualitates. Cæterùm probabilius est, vt in pluribus primas qualitates actiuas prius agere in tactum, quàm reliquas, quæ harum beneficio agunt. Opitulatur nobis Aristoteles in secundo de partibus animal. c. 2. car. 1118. dicens, *quòd si calidum, atque frigidum tantam recipiunt ambiguitatem, et controuersiam; quid de cæteris arbitrari debeamus? Hæc enim omnium, quæ sensum patiuntur, apertissima sunt.* *Ergo* hęc duo tangibilia omnium sensibilium maximè manifesta, primo sensu, primaq; cognitione sensitiua actuali percipi, vel sola, vel cum alijs qualitatibus cõplicata (vt ex multis fiat vnum totũ sẽsibile confusum) rationabile existimo; præsertim verò calorem in ventre matris tangi à puero, tanquam valẽtius motiuum tactus, & magis approximatum. Extra *Num 6.*

vterum, calorem, vel frigus pro ratione temporis vrgere magis, atque primitus tangi suspicor. Hinc patefactum est, prout licuit, primum secundum originē cognitum homini cognitione sensitiua, & intra, & extra parētis sinum.

Num 7. Postulabit aliquis interea. Si calor, verbi gratia, primùm ab infante ideò sentitur, quia prę sto est tactui: quare nemo recordatur istius tangibilis primitus impressi, & primæ tactionis? Profectò primę impressiones robustiùs adhærent. Nam & Aristoteles in 2. cap. de somniis notat, à muliere purgationes patiente infici speculum: sed speculum vetus facilè abstergi, nouum difficilè, quemadmodum & vestes maximè mundæ, citissimè inquinantur: nec tamen tàm citò eluuntur.

Respondeo, prolata Philosophi doctrina ex lib. de Mem. & remin. cap. 2. ait verò. *Aliis, qui in multo motu, aut propter passionem, aut propter ætatem sunt, non fit memoria: tanquam vtique in aquam fluentem incidēte motu, & sigillo. Aliis autem propterea quòd frigida sunt, sicut antiqua ædificiorum, & propter duritiem accipientis passionem non ingignitur figura. Quapropter & valdè iuuenes, & senes immemores sunt: fluunt enim, illi quidem propter augumentum, hi verò propter decrementum. Similiter autem, & multum veloces, & multum tardi, neutri videntur memores. Illi enim humidiores sunt, quàm oportunum sit, hi verò duriores. Illis igitur non manet phantasma in anima, hęc verò non tangit.* Solutio igitur est ex receptiuo subiecto; speculum enim, & vestis non fluūt, sicut complexio puerorū: hinc in speculo, & veste mundis retinetur imago impressa: in memoria pueri nō retinetur. Multò minus retinetur in memoria ingenioſi, qui duplici humiditate abundat, scilicet communi omnium puerorum, & propria ingeniosorum: cum autem soli ingenioſi quærant primum cognitum à se, illi minus inuenire valent. Præterea intercedunt aliæ causæ, ob quas non recordamur primi cogniti. Vna est ex parte obiecti, quia calor, aut frigus, numerus, vel magnitudo sunt obiecta sēsilia per se: sed primatus est sensile per accidens. Dicit enim, vel relationem primi ad posteriora positiuam, vel negationem relationis ad prius. Itaque manet impressa species caloris, vel numeri: sed non species primatus. Tertia ratio ex multitudine accipitur. Nam in veste facilè discernitur vna macula, & tanquam prima; at si multę incurrant, & diuersæ rationis, & eiusdem rationis, tunc ægerrimè prima discernetur. Ita fit in memoria pueri, in qua propter multitudinem imaginum confunditur memoria primitatis. Sic in adulto perlegente paginam, non manet memoria primæ litteræ visæ, nisi de industria obseruetur. Quarta denique causa est ex obiecto simplici, & mixto, quæ accipitur ex Aristotele in lib. de sens. & sens.

cap.

cap. 8. Non enim occurrit vnũ simplex obiectum sensui : sed vnum totum confusum per accidens ex multis obiectis mixtum, puta, calore, humore, magnitudine, figura, mollitie: quæ omnia, dum sensum mouẽt simul tempore, se inuicem impediunt. Propter hoc pueri à principio concipiunt totum per accidens confusum in patre, vel matre: nec discernentes, vocant alios homines, in quibus inueniunt simile totum confusum, patres; sic fœminas matres.

Num 8. Denique posset obijci, quòd auditus aliquando prius exeat in actum in puero parentis ventre incluso, aut excluso. Nam à magnis sonis aliquãdo fit abortus, & puer aut nasciturus, aut natus intermoritur; ergo audibile, & auditio præueniunt tactum, ac tactionem.

Respondetur cum Aristotele in 3. de anima 67. & 68. omnem exuperantiam obiecti sensibilis destruere suum sẽsum. Quare exuperantia tangibilium per se perimit tactum, atque animal ipsum, quod sine tactu nequit consistere. Exuperantia cæterorum sensilium per se destruit sensus suos, per accidens destruit animal, quatenus iungitur per accidens cum exuperante tangibili. Ita sonus non per se puerum perimit, sed per accidens, vt illic Philosophus. At id, quod est per accidens sẽsatum, non est primò sensatum, imò non est necesse, vt sentiatur; sicuti fortè sonus vehemens non sentitur à puero non nato, licet sentiatur à nato. Ita Philosophus in 2. de cælo 53. in sono tonitrui docet lapides validissimos dissipari, non propter sonum, sed propter motum vehementem. Vnde bombardis grandioribus eiaculatis, terra contremiscit à motu ignis, & aeris quassata, cõcutiuntur domus, mænia corruunt, quanquam ictu pilæ ferreæ non tacta; vt non sit mirum, si tenerrima prolis cõstitutio tanto impetu pulsata dissipetur; nec sentiat; sicut lapides, & mænia ruunt, nec sentiunt.

An homo prius origine cognoscat cognitione intellectiua actuali substantiam, an accidens. Cap. III.

Num 9. ORdinem originis in cognitione sensitiua statuimus, vt sensus prius cognoscat accidens, quàm substantiam, si tamen sensus attingat substantiam. Sequitur, vt aperiamus ordinem originis in cognitione intellectiua respectu eorundem cognoscibilium, hoc est substantiæ, & accidentis. Intellectũ enim humanum intelligere, & substantiam, & accidens est exploratum; patebiq́ue, si consulamus textum Arist: in secundo de anima 146. in quo fundata est celebris illa propositio; quicquid ponit differentiã inter aliqua duo, cognoscit vtrũque sub propria ratione differentiæ assignatæ. Legamus textum. *Neque itaque separatis contingit discernere discernens,*

quòd

quòd aliud ſit dulce ab albo, ſed oportet aliquo vno vtraque manifeſta eſſe; ſic enim, etſi hoc quidem ego, illud autem tu ſentires, manifeſtum vtique eſſet, quòd alia ab inuicem: oportet autem vnum dicere, quòd aliud, aliud enim dulce ab albo, dicit ergo idem: quare, vt dicit, ſic & intelligit, & ſentit. Neque ſatis eſt, ſi vna hypoſtaſis cognoſcat vtrunque per diuerſas potentias, ſed neceſſarium eſt vnam, & eandem potẽtiã cognitiuã cognoſcere vtrũque, & iudicare, quòd vnum non eſt aliud. Ex hoc quippe Philoſophus concludit vnum ſenſum communem, qui diſcernat ſenſilia vnius ſenſus particularis à ſenſilibus alterius ſenſus particularis. Idipſum aſſeruit Stagirites in cap. primo de ſom. & vigil. At verò intellectus noſter differentiam ſtatuit, diſcernitque ſubſtantiam ab accidente: ſi quidem ante prædicamenta Philoſophus diſtinguit ea, quæ ſunt: quòd alia nõ sũt in ſubiecto, alia sũt in ſubiecto: ſubſtãtię nõ sũt in ſubiecto, vt eſt in cap. de ſubſt. accidẽtia in ſubiecto sũt. Inſuper in logica, & in metaphyſica frequẽter diſtinguitur coordinatio ſubſtãtię à coordinationibus accidentiũ. Præterea & ex proprietatibus de ſubſtãtia, & accidẽte cognitis, patet ſubſtantiam, atq; accidens à nobis intelligi; quoniam omnis cognitio alicuius prædicati per ſe ſecundo modo præſupponit cognitionem alicuius ſubiecti, vel prædicati pertinentis ad primum modum per ſe: cui prædicato, vel ſubiecto primi modi attribuitur prædicatum ſecundi modi. Nos autem cognoſcimus de ſubſtantia plures proprietates per ſe ſecundo modo inexiſtentes, ſed à proprietatibus accidentis diuerſas: vt puta, cognoſcimus *Primitatem, quia* per 7. met. 4. ſubſtantia eſt primum omnium entium, accidentia ſunt poſteriora. Hinc & primitas in quiditate, ac definitione ipſi ſubſtantiæ aſcribitur in 7. met. 15. & 16. ſubſtantia nanque habet quid, & definitionem ſimpliciter, & primò; accidens ſimpliciter, non primò, ſed conſequenter. Cognoſcimus *ſeparabilitatem*, nam ſubſtantia poteſt manere ſine accidentibus, quãtum eſt ex ſe, & non è contra, per eundẽ 7. met. 4. & 12. met. 3. Cognoſcimus *independentiam* ſubſtantiæ ab accidentibus, dependentiamque accidentium à ſubſtantia ſuſtentante, & ſubiecta ex 7. met. 8. Cognoſcimus *cauſalitatem*: ad cauſandũ enim accidens non neceſſariò requiritur aliquod accidẽs actu præexiſtere, nam ſubſtantia cauſaret accidentia per 7. met. 32. Cognoſcimus proprietates à Philoſopho traditas inter explicandum prædicamentum ſubſtantiæ, quarum aliquæ accidentibus non congruunt: vti prima, *in ſubiecto non eſſe*, vti tertia *ſignificare hoc aliquid, vel quale aliquid*; quocirca incunctanter eſt aſſerendum ab intellectu noſtro, & ſubſtantiam, & accidens intelligi: nam per ſe ſpeculatio de ſubſtantia ab intellectu inſtituitur, ex 12. diuinorum primo, & 4. met. 2. ſenſus

fus autem vel non ſeſe ad ſubſtantiam rei profundat, vel ſi ad eam pertingit, per accidens pertingit; quòd obliquè innuitur 2. poſter. 31. quòd ſubſtantia, & ipſum quid eſt, non mõſtratur ſenſu, aut digito.

Num 10. Deinde eſt obſeruandus ordo cognitionum ſecundum generationem, vel originem; ordo etenim cognitionum poteſt accipi vel ex ordine obiectorum cognoſcibilium, vel ex ordine potentiarum cognoſcentium: nam ex cognoſcente, & cognito paritur cognitio. Priore modo cognoſcibilitas ſubſtantię eſt prior naturaliter cognoſcibilitate accidentium. De quo ordine accipienda eſt ſententia Ariſt. in ſecundo met. cont. quarto *vt ſecundum eſſe vnumquodque ſe habet, ita etiam ſecundum veritatem: atque* etiam ſecundum cognoſcibilitatem. Quapropter ſi aliquis intellectus in cognoſcẽdo ſeruat ordinem naturalem obiectorum intelligibilium, ille prius intelligit ſubſtantiã, quàm accidens. Poſteriore modo in nobis euenit, quia naturalis ordo potentiarum cognitiuarum eſt, vt prius exeat in actum circa obiectum potentia inferior, poſtea ſuperior: atque inferior potentia obiectum à ſe cognitum deferat ſuperiori cognoſcẽdum. Idcircò in homine ſenſus ſemper primò cognoſcit obiectum ſenſibile, deinde illud ſenſatum offert intellectui. Tunc intellectus faciens, præſente obiecto ſenſato, producit ſpeciem intelligibilem obiecti, mox idem faciens intellectus cum obiecto intelligibili in ſpecie producit intellectionem abſtractiuam: nã ad intuitiuam nõ concurrit ſpecies intelligibilis.

Hinc in homine duo diſtinguũtur ſtatus, ſtatus ſcientiæ, & ſtatus ignorantiæ: ſtatus ſcientiæ eſt, in quo homo eundem ordinem ſeruat in cognoſcendo, quẽ ſeruat natura obiectorum in eſſendo, vt ſcilicet eadẽ ſint priora, & natura, & nobis. Qui ordo per 6. Topicorum loco 18. ſeruatur à nobis inſtructioribus factis. Status ignorantiæ eſt, in quo homo ſequitur ſenſum intelligendo, omnis quippe noſtra cognitio eſt à ſenſu originaliter, non formaliter. Siquidẽ intellectus, poſtea quàm ſenſuũ miniſterio aliqua ſenſilia cognoſcit, ſuapte virtute, & virtute obiecti cogniti multa incomplexa apprehendit non peruia ſenſui; complexa facit, concluſiones deducit, quæ complexa ſiue ſint propoſitiones, ſiue cõcluſiones ſub ſenſum non cadũt Illudq; ratum eſt apud omnes, ſtatum ignorantiæ in nobis eſſe priorem ſtatu ſcientiæ: & cognitionem confuſam præcurrere ante cognitionem diſtinctam intellectiuam, de quibus cognitionibus, & ordine earum infra copioſiùs enarrabo.

Concluſio nunc prima exiſtat. *Subſtantia* non cauſat immediatè in noſtrum intellectum corpori iunctum neq; ſui ſpeciem intelligibilem, neque ſui actualem intellectionem; probatur, quoniam ſi ſubſtantiã ſui ſpeciem immediatè imprimeret, atque ſui intellectionem *Num 11.*

in

in intellectum, & non mediantibus accidentibus ſenſui expoſitis, ergo poſſemus omnẽ ſciẽtiã de ſubſtantiis naturalibus, atq; ſupranaturalibus cõſequi ſine ſenſu: conſequens eſt abſurdum, authore Ariſt. in tertio animaſtico tex. 39. *& ob hoc qui non ſẽtit aliquid, nihil vtique addiſcet, aut intelliget; & cum ſpeculetur neceſſe eſt ſimul phãtaſma aliquod ſpeculari.* Quibus conſona habes in primo Poſt. contex. 134. & in primo cap. de Memoria, & reminiſce. Connexio oſtenditur; quoniam actiuo, & paſſiuo naturalibus, approximatis, diſpoſitis, & nõ impeditis, neceſſariò ſequitur actio: quia non dependet, niſi ab eis, tanquam à cauſis prioribus in exiſtendo, lege 9. methaph. 10. & 12. At verò actiuum naturale reſpectu ſpeciei intelligibilis eſt intellectus faciens cum obiecto intellectili; itemque reſpectu actus, qui eſt intelligere, intellectus faciẽs eſt actiuum cum obiecto, vel præſente in ſe, vel in ſpecie intelligibili: ergo hiſce poſitis, nullo accidente, vel ſenſu deſiderato, erit intellectio, & ſcientia de ſubſtantia, quæ ponitur ab aduerſario eſſe immediatè intelligibilis.

Rurſus ſpeculabitur quis ipſam ſubſtantiam ſine phantaſmate: quia quod imprimit ſui ſpeciem, vel cognitionem in potentiam cognitiuam, eſt per ſe cognoſcibile ab illa potentia; ſubſtantia ſanè eſt per accidens ſenſibilis, non per ſe à ſenſu exteriore, ergo ſpecies, vel cognitio ſubſtantiæ non imprimitur in ſenſum exteriorem: quare neque in phantaſiam, quæ eſt motus à ſenſu exteriore, videlicet ſecundum actum facto iuxta 2. de anima 161. & cap. primo de ſom. & vigil. ergo iam ſpeculabitur quis abſque phantaſmate, quod Ariſt. negat, non modò de ſubſtantijs in magnitudine, verùm etiam de ſubſtantijs à magnitudine ſeiunctis ex primo cap. de Mem: & reminiſcentia.

Tertiò, quicquid per ſui præſentiam immutat intellectum, dum eſt præſens, illius abſentia natutaliter intelligitur, dum eſt abſens. Textum ad id refero ex ſecũdo de anima 103. viſus enim quia eſt cognitiuus luminis, dum eſt lumen præſens: eſt cognitiuus tenebrarum quoque dum lumen eſt abſens; ſimiliſque eſt ratio intellectus & viſus, vt eadem potentia, & præſentiã, & abſentiam obiecti percipiat.

Iam verò ſi alicui dormituro præſens, & agnita fuerit aliqua ſubſtantia, illoque dormiente, ſẽſim auferatur: cum euigilauerit, nõ percipiet ſolo intellectu abſentiam, ergo neque præſentiam ſolo intellectu & intelligibili obiecto intelligebat, ſed mediantibus accidentibus illius ſubſtantię per ſenſum externum atque internum ſenſatis, & abſentia, & præſentia ſubſtantiæ diſcernitur. Idipſum erit, ſi dormienti apponatur tacitè ſubſtãtia aliqua, neque enim poſt, ſomnum illa eſſe præſens intelligitur, niſi per ſenſum accidentia talis ſubſtãtiæ deprehẽdãtur.

Secunda concluſio ſit. Intel-

Num 12.

Digitized by Google

lectus noſter prius origine intelligit accidens, quàm ſubſtantiã: quod nanque poteſt immutare intellectum ad ſui ſpeciem, vel cognitionem, prius cognoſcitur eo, quòd non poteſt immutare, niſi per ſpeciẽ alterius immutãtis: sẽper .n. propter quod vnumquodque, & illud magis, atque etiam prius, quia cauſa eſt cauſato prior. At ſenſibile accidens per ſeipſum immutat sẽsũ, & per ſui ſpeciem in imaginatione immutat intellectum ad ſui ſpeciem intellectilem, & intellectionem: ſubſtantia verò non immutat, niſi ſolùm per ſpeciem accidentis immutantis, iuxta concluſionem, & probationem præcedentem: ergo ſubſtantia non eſt primò cognita ab humano intellectu, ſed accidens aliquod eſt primò cognitũ; quæ concluſio cõmunis omnium eſt, vt in ea non ſit valde laborandum.

Ita ex Philoſopho in 7. primę philoſophiæ tex. 10. facilè colligimus. *Quæ*, inquit, *ſingulis nota, & prima, ſæpenumero parum nota ſunt, & parum, aut nihil entis participant. Attamen ex eis, quæ parum nota, ſibi tamen nota ſunt, conandum eſt cognoſcere, quæ ſimpliciter nota ſunt.* Accidens autem parum eſt notum ſimpliciter, modicumque de ente participat: ſubſtantia eſt ſimpliciter ens, & ſimpliciter nota, ergo ſingulis nobis non eſt primò nota, ſed ferè poſtrema eſt.

Cæterùm textus primi de cælo 32. facit obicem huic rei. Docet illic Philoſophus, duos cęlos non moueri motibus contrariis, nam ſi mouerentur æqualibus viribus, neuter motus eſſet. Si alterum vi potentiore rotaretur, debilioris motio non eſſet; igitur colligamus ex hoc tex. regulam talem. Quando circa idẽ paſſum duo actiua concurrunt, quorum alterum ſit maioris virtutis, actiuum potentius inducit ſuum effectum in paſſum, & impedit actionem debilioris. At verò tùm ſubſtãtia, tùm accidens ſunt per ſe intelligibilia, & in ratione obiecti ſunt actiua reſpectu intellectionis imprimendæ in poſſibilem intellectũ, vt in paſſum commune: ſubſtantia item eſt robuſtius intelligibile, & actiuum, dat nanq; & eſſe, & agere accidentibus: inſuper non poteſt accidens approximari noſtro intellectui, niſi beneficio ſubſtantiæ, in qua inhæret, quapropter in diſtantia æquali appropiant ſemper; igitur ſubſtantia primitus cum intellectu coagente, & cum intellectu poſſibili coniungetur, ſuamque primò intellectionem progignet, impedita operatione accidentis intelligibilis.

Hoc argumentum poſtulat cauſam, quare approximatis accidente, & ſubſtantia, vt obiectis ad intellectum: ſubſtantia non intelligitur, cum ſit per ſe intelligibilis. Nam ſi non ſentitur non mirum: aut enim non eſt ſenſibilis, aut non eſt per ſe ſenſibilis.

Reſpondetur, agens quandoque eſſe in potentia remota, quandoque in potentia proxima, prout omnes notant in 9. met. tex. 10. & 12. atque 8. phyſ.

8. quando agens non solùm est absolutè, sed est cum omnibus conditionibus desideratis ad agendum, ita vt nihil addi, detrahi, immutari oporteat, tunc est in potentia proxima; si qua desit conditio, non erit in potentia proxima, sed remota: tumque vt sic, non operabitur, sed prius ex potentia remota reducetur ad potẽtiam proximã, deinceps operabitur: substantia, & accidens sunt vtiq; actiua in intellectum, sed accidens est in potentia proxima ad mouendum sensum, & medio sensu ad mouendum intellectum: substantia est in potentia remota, vnde posterius intelligetur.

Num 13. Causa est, vel ex ordine potentiarum, vel ex ordine obiectorum: ex ordine potentiarũ, quando enim plures potentiæ sunt subordinatæ, inferior ministrat obiectum superiori. Accidens propterea per sensum offertur intellectui, substantiæ nequaquam; idcircò prius intelligitur accidens, & per cognitionem accidẽtis intellectus in substantiæ notitiam deducitur; quare accidens est in potẽtia proxima in priore naturæ signo, quàm substantia.

Ex ordine obiectorum quoq; ratio illius potentiæ remotæ, & proximæ sumi posse videtur: substantia nanque, vt intima residet, sed extrinsecus accidentibus ornatur: nam sunt extranea à ratione substantiæ, ex cap. de substantia in prædicamentis. Si de Sorte assignes hominẽ, intranea profectò assignas: si album, extranee assignabis. Cũ igitur totum ex substantia, & accidente coniungitur cum altero toto ex substãtia, & accidente: fit coniunctio alieni ad alienum, extranei ad extraneũ, primoque sese coniungunt quo ad extranea, quàm quo ad intranea; ita quando ignis actione reali agit in lignum, prius communicat illi materiæ formas externas caloris, siccitatisque, posterius formã ignis substantialem. Pariter quando agit actione intentionali, ac spirituali in cognoscentem, cum sit cõiunctio extranei ad extraneum, prius videtur rationabiliter cõmunicare cognitionem accidẽtium, quàm intimæ substantiæ suæ. Propter quod etiam natura sagax in homine mensurans potentias ex obiectis, in parte hominis exteriore collocauit sensus receptiuos cognitionis accidentium: vt prima cõiunctio cognoscibilis, & cognoscentis fieret secundum externa, relinquens posteriore in loco communicationem intimam substãtiæ intelligibilis cum substantia intelligente. Ex quibus rationibus rursum aperitur, quòd substantia non est statim in potẽtia proxima intelligibilis, sed post intellectionem accidentis. Quare autem idem de substantia in brutis cognoscentibus, de accidentibus in separatis intellectibus non asseratur, alterius est inquisitionis. Nunc de primo cognito ab homine indagamus, de quo assertum protitum est, omnis nostra cognitio ortum habet à sensu.

Ex his videtur solutũ, quod pro-

proponebatur argumentum.
Nam ſi duo agentia ſint in potentia proxima ad agendum in paſsum, & alterum ſit robuſtius, robuſtius vtique præueniet actionem debilioris. Si autem robuſtius non ſit in potentia proxima, ſed debilius: nil inconuenit, ſi debilioris operatio præueniat operationem potentioris. Ariſtoteles profectò loquebatur in primo de cælo tex. allegato de agentibus exiſtentibus in potentia proxima: nos autem oſtendimus ad mouendum intellectum noſtrum primitus accidens eſse in potẽtia proxima, non ſubſtantiam: quocirca & accidens primum eſse à noſtro intellectu cognitũ, non ſubſtantiam.

Num ſenſus actuali cognitione prius origine cognoſcat ſingulare, num vniuerſale? Cap. IIII.

Num 14. PRimam diuiſionem obiectorum cognoſcibilium, in ſubſtantiam, & accidens, contulimus ad cognitiones actuales, & ſenſitiuam, & intellectiuam. Conſequens eſt, vt ad eaſdem cognitiones comparemus ſecũdam diuiſionem cognoſcibilũ, quæ fuerat per vniuerſale, & ſingulare; eamque comparationem prius exerceamus in ordine ad cognitionem ſenſualem. Principiò diſtinguamus cum Ariſtotele in primo Poſt. 182. ſenſum, & ſentire; ſenſus eſt potentia, & actus primus: ſentire eſt operatio, & actus ſecundus. De quibus ad rem noſtram præclarè ſcribitur in memorando illo cõtextu 182. primi Poſt. *Neq; per ſenſum eſt ſcire, ſi enim eſt ſenſus huius, & non huius cuiuſdam: ſed ſentire neceſſarium eſt hoc aliquid, & alicubi, & nunc: vniuerſale verò, quod eſt in omnibus, impoſſibile eſt ſentire: non enim eſt hoc, neque nunc, neque enim eſſet vtique vniuerſale, quod enim ſẽper, & vbique, vniuerſale eſſe dicimus. Quoniam igitur demonſtrationes quidem vniuerſales ſũt, hæc autem non eſt ſentire: manifeſtum eſt, quod neque ſcire per ſenſum eſt. Sed planum, quòd & ſi eſſet ſentire triangulum, quòd duobus rectis æquales habet angulos, quæreremus vtique, & non, (quemadmodum dicunt non nulli) ſciremus; ſentire quidem enim neceſſe eſt ſingulare, ſcientia verò eſt in cognoſcendo vniuerſale. Quare & ſi ſupra Lunã eſſemus, & videremus obiectam terram, nõ vtique ſciremus cauſam defectus: ſentiremus enim nunc, quòd deficit, & nõ propter quid omnino. Nõ enim erat ſenſus ipſius vniuerſalis, ſed ex eo quòd ſpeculamur hoc pleruñque contingere, vniuerſale vtique venati, demonſtrationem habemus: ex ſingularibus enim pluribus, vniuerſale manifeſtum eſt. Vniuerſale autem honoratum eſt, quoniã ſignificat cauſam, quare de talibus vniuerſalis notitia honoratior eſt ſenſibus.* Hactenus Ariſtoteles. Ex quo textu colligimus, diſtinctionem obiecti, ſingularis, & vniuerſalis. Singulare tribus conditionibus indicatur: hæ ſũt, *Hoc*, *Hîc*, *Nunc*. Singulare nanque eſt *hoc aliquid*, quia eſt ens demonſtratum, atque ſi-

gnatum, & non ineſt pluribus. Eſt *hic*, nempe in vno loco ſignato, non in pluribus. Eſt *nunc*, videlicet in tempore determinato, non extra illud. Quæ tres conditiones nuncupantur conditiones materiales, & indiuiduãtes. Vniuerſale autem eſt in omnibus, vbique, & ſemper: nimirum quoniam vniuerſale eſt indeterminatum ad omnia ſingularia, ad omnia loca, ad omnia tempora, in quibus natura, ſeu quiditas aliqua vniuerſalis eſſe poteſt.

Num 25. Poſt hęc ſtatuitur duplex cõcluſio. Prima, ſentire neceſſarium eſt ſingulare, & impoſſibile eſt ſentire vniuerſale. Secũda, ſenſus eſt *Huius*, non *huius cuiuſdam*: ideſt ſenſus habet pro obiecto *hoc*, non autẽ *hoc aliquid*; et ſententia cõcluſionis eſt, quòd ſenſus eſt de obiecto vniuerſali, non de ſingulari. Neque dictũ in eodem textu relato nos turbet, cum dicitur. *Non enim erat ſenſus ipſius vniuerſalis*. Hoc enim dictum eſt de ſenſu actu, quòd eſt ſentire, quia sẽſus actu nõ eſt obiecti vniuerſalis. Quomodo autem accipiantur ſenſus actu, & potentia, lege in 2. de anima 53. & 156.

Conſentit Philoſophus in 2. poſt. textu 106. *Sentitur*, inquit, *ſingulare: ſenſus verò ipſius, vniuerſalis eſt, vt hominis, ſed non Callia hominis*.

Annecto è 2. de anima textus 59. & 60. quibus Ariſtoteles patefacit diſcrimen ſenſus ab intellectu. Propterea quòd obiectum ſenſus eſt extra ſenſum: quia obiectum ſenſile eſt ſingulare: obiectum intellectus eſt intra animam, quia vniuerſale. En textum. *Differt autem, quia huiuſmodi actiua operationis extra ſunt, viſibile, & audibile: ſimiliter autem reliqua ſenſibilium. Cauſa autem, quoniam ſingulariũ quidem ſecundum actum ſenſus, ſcientia autem vniuerſalium; hæc autem in ipſa quodammodo ſunt anima. Vnde intelligere in ipſo eſt, cum vult: ſentire autem non eſt in ipſo, neceſſarium enim eſt eſſe ſenſibile. Similiter autem, & hoc ſe habet in ſcientijs ſenſibilium, & propter eandem cauſam, quia ſenſibilia ſingularium ſunt, & exteriorum*. Igitur ſentire eſt de obiecto exteriori, & ſingulari: intelligere habetur tàm in ſcientia vniuerſalium, quàm in ſcientia ſingularium; ſed tamẽ ipſum intelligere appropriatè eſt de vniuerſali, & intra animã quieſcente.

Huc referi poteſt illud primi phyſicorum 49. *Vniuerſale ſecundum rationem notum eſt, ſingulare autem ſecundum ſenſum. Ratio enim vniuerſalis eſt, ſenſus autem particularis*. Quod ita intelligo, vt ſenſus præcisè ſit de particulari: ratio ſit, & de vniuerſali, & particulari; prout modò oſtendimus, ex citato textu 2. de anima, in quo de eiſdem ſenſibilibus ſingularibus haberi dicitur, & ſenſus, & ſcientia. Quocirca intellectus eſt vniuerſalium, & ſingulariũ ſimul; ſenſus verò ſecundum actum eſt ſingularium duntaxat.

Adhuc ſentire circa ſingularia verſari probemus ex prin o ca-

capite primi libri 1. primæ Philoſophiæ. *Præterea*, textus habet, *ſenſum nullum putamus, ſapientiam eſſe, tametſi ſingulariũ ha maximè proprie cognitiones ſunt; de nullo tamen dicunt propter quid, vt propter quid calidus ignis, ſed quod calidus*. Quibus conſentanea ſunt conſcripta in primo poſt. 183. Vniuerſale ſiquidem honoratum eſſe aſſeritur, quia docet propter quid. Deniq; & in primo de cælo 92. ait *quoniam igitur cælum ſenſibile eſt, ſingularium vtique erit*. Licet igitur ſenſus potentiâ reſpiciat vniuerſale indeterminatum, & in potentia ad omnia ſingularia, ſicut & ſenſus potẽtiâ indeterminatè omnia illa ſingularia poteſt attingere. *Sentire* tamen actu non eſt, niſi de obiecto ſingulari. Sed in obiecto ratio ſentiendi eſt natura cõmunis, vt albedo: conditio obiecti ſenſibilis, ſine qua non fit ſenſatio circa tale obiectum, eſt ſingularitas, per quam albedo eſt hæc, & hîc, & nunc. In quo apparet priuilegiũ intellectus, qui poteſt intelligere naturam communem, & cum cõditionibus indiuiduantibus antea memoratis, & ſine illis.

Veruntamen animus poſt iſtorum conſiderationem quatitur dubiis. Nam ſi ſentire eſt ſingularium ſolummodo, ergo incaſſum quærebamus, an prius ſentiretur ſingulare, quàm vniuerſale: cum nunquam vniuerſale ſentiatur. 1. *Num* 16.

Si etiam impoſſibile eſt ſentire obiectum vniuerſale: quonam pacto ſenſus potentiâ eſt obiecti vniuerſalis, cum ad actũ impoſſibilem non ſit potentia? 2.

Amplius, quia diſtinximus ſenſum actu, & ſenſum potentiâ; atque ſubiecimus ſenſum actu circa ſingulare tantùm, ſenſum potentiâ circa vniuerſale; non ne fruſtra erit potentia ſentiendi vniuerſale, ſi nunquã actu ſenſerit vniuerſale? Fruſtra quippe eſt calceamentum, cuius non eſt calceatio, primo cæli 32. 3.

Ariſtoteles in grauiſſimis quibuſque difficultatibus recurrere ſolet ad duas diſtinctiones, quibus tanquam ſacris anchoris Peripatetica doctrina aduerſus omnes procellas ſolidetur. Prior diſtinctio eſt per actum, & potentiam. Poſterior diſtinctio eſt in per ſe, & per accidens. Cũ autem in ſupradictis dubijs perturbetur diſtinctio ſenſus per actum, & potentiam; recurrere nos oportet ad alteram diſtinctionem, quæ in per ſe, & per accidens traditur. Ita facit Ariſtoteles in 13. met. cap. vltimo. *Verùm per accidens videt viſus colorem vniuerſalem, eò quòd hic color, quem videt, color eſt: & quod grammaticus hoc A ſpeculatur. A eſt.* Hac authoritate fulti exoluemus primũ: ſentire quidem eſt vniuerſalium, & ſingulariũ; ſed ſingularium per ſe, vniuerſalium in ſingularibus ſenſatis incluſorum, per accidens. Vltra pergo, iuxta præſcripta in 11. met. ſum. 3. cap. vltimo. *Nihil per accidens eſt prius his, quæ ſunt per ſe*: ſentire eſt ſingularium per ſe, vniuerſalium eſt per accidens; Quare ipſum ſentire

prius

prius est de singulari, & cognitio actualis sensitiua est de singulari tanquam de primo cognito.

Exoluemus dubium secundum. Cum enim vniuersale aliquo modo sentiatur, puta per accidens: sensus potentiâ non est ad impossibile omnibus modis.

Exoluemus tertium dubium. Nam frustra non est, quod reducitur ad actum; sensus verò est potētiâ respectu vniuersalis; sed in omni sensatione, qua singulare per se sentitur, sentitur quoque vniuersale contentum in singulari sensato. Datur nāque aliquid per accidens, quod necessariò interuenit: vt priuatio est principium per accidens, sed in omni fieri, vel interire compositi intercipitur. Vniuersale accidens sentitur per accidens vtique. Sed hoc non obstante, vniuersale semper sentitur in singulari sensato per se.

Num 17. Cæterùm dubito, ne textus citatus ex 13. met. nos potius difficultatibus illiget, quàm exoluat.

Primò quidem, quia si sentire est per se obiecti singularis, per accidens vniuersalis: & similiter speculari per se est huius A. per accidens ipsius A. vniuersalis; ergo sentire, & intelligere habebūt idem obiectum per se, & idem obiectum per accidens. Ergo sentire, & intelligere erūt idem actus; sensus, & intellectus eadem potentia. Cum ab obiectis distinguantur actus, & ab actibus potentiæ, prout statutum est in 2. de anima 33.

Secundò, Cuilibet potentiæ sēsitiuæ assignatur triplex obiectum, vt auditui *sonus*, tanquam obiectum per se primum, *vox*, tanquam per se non primum; *Cithara*, tanquam obiectum per accidens. Si itaque sentire est per se singularium, per accidens vniuersalium: sequitur, vt per se potentia suum obiectum per se primum, vel non percipiat, vel per accidens percipiat: quod est maximè incommodum.

Tertiò. Si speculari per se est singularium, per accidens vniuersalium. Ergo scientia erit per se de singularibus, per accidens de vniuersalibus; cuius oppositum in Analyticis sancitum est, vt primo Post. 63. & 182. atque 7. met. 53. Id quod Syrianus Aristoteli exprobrauit scribens aduersus 13. Diuinorum.

Quartò. Si sensus, seu per se, seu per accidens sentit vniuersalia: certè vniuersalia non erunt in sola anima intellectiua, quæ tamen sola affirmatur esse locus specierū, 3. de anima sexto, & in qua sola collocatur vniuersale in 2. Animastico 60. Neque enim intellectus faciens, dum producit speciem intelligibilem ipsius vniuersalis repræsentatricem, producit speciem eam extra mittens in sēsum externum, vel internum; sed eam producit in intellectum possibilem, cuius est omnia fieri 3. de anima 18. Neque sensus interior, vel exterior potest sentire species incorporeas, & in subiecto incorporeo inexistentes, ideſt in possibili intellectu. Ergo sensus nō pertinget ad vniuersale, neque

in

in ſpecie aliqua, quæ ſit recepta in ſenſu, neque in recepta in intellectu.

Quintò. Cum ſenſus, & recipiat ſpeciem obiecti ſenſibilis, & iudicet obiectum; affirmabimus ne, quòd ſenſus potentiâ eſt de vniuerſali in ratione recipiẽtis ſpeciem: non autem eſt ſenſus in actu in ratione iudicantis obiectum vniuerſale? Differũt hæc, nam recipere ſpeciem eſt commune, & ſubiecto viuenti, vt oculo, & non viuenti, vt medio aeri. Iudicare eſt in viuente ſolùm, vt in ſubiecto. Recipere ſignificat rationem potentiæ paſſiuæ, iudicare rationẽ potentiæ actiuæ. Dicemus igitur à ſenſu actu ſola ſinguiatia iudicari: ſed vniuerſalia recipi in ſenſu potentia, an aliter?

Num 18. Ad has obiectiones diluendas præmitto textus citati difficultatem eſſe maximam, quoniam in eo ſoluit Ariſtoteles maximã dubitationem, illã ſcilicet, quæ inter Platonicos, & Peripateticos grauiſſima eſt, verum ad ſcientiam de vniuerſalibus habendam ſit ponendum vniuerſale ſeparatum cum Platone, an non ponendũ cum Ariſtotele. Lege textum. *Quòd autem omnis ſcientia vniuerſalium ſit, quæmobrem neceſſe ſit, tum entium principia vniuerſalia eſſe, vùm nõ eſſe ſeparatas ſubſtantias; hoc plus quam alia prædicta, maximè dubitationem habet.* Super hoc textu legi poſſunt Philoponus, & Scaynus, eorumque expoſitiones examinari. Ego in maximis dubitationibus, atque difficultatibus dicam, quod videtur: peritiores iudicabunt. Primo recito textum. *At quodam quidem modo verum, quod dicitur eſt, quodam autem modo non verum. Scientia nanque ſicut, & ipſum ſcire, duplex eſt: quorum aliud potentiâ, aliud actu eſt. Potentia igitur cum ſit tanquam materia ipſius vniuerſalis, ac indefinita, vniuerſalis, indefinitique eſt: actus verò determinatus, & determinati, cuiuſque alicuius ſit. Verum per accidens videt viſus colorem vniuerſalem, eoquod hic color, quem videt, color eſt: & quod grãmaticus hoc A. ſpeculetur, A. eſt. Nam, ſi neceſſe eſt principia vniuerſalia eſſe, neceſſe eſt illa quoque, quæ ex iis vniuerſalia eſſe: quemadmodum in demõſtrationibus eſt. Quod quidẽ ita eſt, nihil erit ſeparatum, ne ſubſtantia quidem. Sed conſtat, quòd quodammodo quidem ſcientia vniuerſalis eſt, quodammodo verò minimè.* In hac authoritate abſtruſſimum eſt percipere, quid intelligitur per ſcientiam, potentiâ, & per ſcientiam actu. Secundò cur ſcientia potentiâ non habeat cognoſcibile determinatum, & ſeparatum: ſcientia verò actu habeat. Tertiò, quomodo ſcire ſit, & ſentire per ſe de ſingulari, per accidens de vniuerſali.

Ad hoc dico, duplicem eſſe intellectionem, vnam intuitiuam, *Num* 19. alteram abſtractiuam. Intuitiua eſt de re exiſtente, vt exiſtens eſt, præſente, vt præſens intellectui, vel ſenſui. Abſtractiua eſt, quæ abſtrahit ab exiſtentia, & nõ exiſtentia, præſentia, & non præſentia. Si quidem talis cogni-

gnitio potest haberi de re, siue illa sit, & præsens sit: siue neq; sit, neq; præsens sit. Exemplũ accipiamus in medico, prius in vniuersali tractante de corpore sanabili, de sanitate, de pharmacis, vt medijs ad sanitatem. Hic medicus cõsiderat indeterminatè de corpore, siue istud particulare corpus sanabile sit, siue nõ sit. Cõsiderat quippè vniuersale, quod est indeterminatũ ad omnia singularia, loca omnia, tempora omnia, in quibus sanabile corpus potest reperiri. Qua propter per se cognoscit principia vniuersalia, per se educit cõclusiones vniuersales. Qualis scientia præcipuè spectatur in libris Post. Per hanc medicinã theoricam, quatenus talem, medicus nihil operatur, neque requirit aliquod corpus sanabile actu existens, vel actu præsens, quod in actu essendi sit separatũ à cæteris singularibus corporibus. At si medicus posterius operari velit, si vti expertus operatur: necesse est, vt descendat ad singularia, eaque cognoscat. & ipse medicus sit agẽs singulare, requirat passum singulare, puta corpus Calliæ: exerat actionem singularem, inducat, vel educat in hoc corpus Calliæ formam sanitatis singularem, atque compositum singulare producat, puta *Calliam sanum*. Hęc secunda cognitio de corpore sanabili singulari, de sanitate singulari, de pharmacis singularibus est medicina practica, omnino, est cognitio intuitiua. Has cognitiones protulit Aristoteles in 1. met. cap. 1. dum poneret discrimen inter artificem, tradentem scientiam de vniuersalibus, & expertum habentem scientiam de singularibus. Vnde & affirmabat expertum certiùs operari, quàm artificem. Sed legamus textum. *Causa est quòd experientia singularium, ars autem vniuersalium cognitio est. Actiones autem, ac generationes omnes circa singularia sunt. Non enim hominem, nisi per accidens sanat, qui medetur, sed Calliam aut Socratem, aut alium quempiam eorum, qui sic dicuntur, cui accidit hominem esse. Si quis itaque rationem absque experientia teneat, & vniuersale quidem cognoscat, quod autem sub eo particulare est, ignoret, sæpenumerò errabit à sanando: id enim magis sanabile est, quod singulare est.* Similiter de prudentia vniuersali, ac de prudentia particulari proditum est in 6. Nicom. c. 8. Nam ad actionem non est satis cognoscere vniuersalia, quoniam actiones sunt circa particularia.

Num. 20. Verùm quoniam scientiæ tres sunt, speculatiua, actiua, factiua. Istæ discriminantur 6. met. 1. & 11. met. sum. 3. cap. 1. in ordine ad obiecta singularia. Quoniam actiuæ, & factiuæ, vniuersales, si redigãtur ad actũ, ipsę producunt suum obiectum: & coniungitur scientia vniuersalis cũ particulari. Quę quidem scientiæ sunt per se de singularibus, per accidẽs de vniuersalibus: nam operationes sunt per se circa singularia, ergo & cognitiones, quæ dirigunt operationes, sunt per se circa singularia. Sed scientiæ speculatiuæ aliter

ter ſe habent; neque enim operantur ad productionem ſui obiecti; vt Ariſtoteles intelligẽs cælum, vel terram: non fecit cẽlum, & terram. Itaque ſpeculatiuæ nõ dant eſſe obiecto ſuo, ſicuti dant actiuæ, & factiuæ. Nihilominus ſi ſpeculatiuus optat ſcientiam intuitiuã (quæ eſt de obiecto actu exiſtente) neceſſe eſt, vt ſub vniuerſali indeterminato deſcendat ad determinatum ſingulare, alioquin facilè errabit, vel ignorabit; ſicuti ſcriptum eſt in primo Poſt. 101. Cũ nãq; ſpeculatiui ſciãt in vniuerſali ipſum propter quid, ignorãt ipſum quòd: quia ipſum quòd in particulari exercetur. Hic *n.* inquit Philoſophus, *ipſum quòd ſenſitiuorum eſt ſcire, ipſum verò propter quid Mathematicorum. Hinanque habent cauſarũ demonſtrationes, & plerunque non ſciunt ipſum quòd; Quemadmodum qui vniuerſale ſpeculãtur, multoties non nulla ſingularium neſciunt, quia non aduertunt.* Quod ipſum euenìſſe ſibi Themiſtius in 1. Poſt. c. 30. fatetur, qui per ſcientiã muſicam ſciebat propter quid ſuprema chorda eſſet conſona cũ media, ſed propter inexperientiã muſicæ vocalis non poterat percipere illam conſonantiam. Patet per iam dicta, quòd ſciẽtia abſtractiua eſt de re vniuerſali, & poſſibili eſſe: ſcientia intuitiua eſt de re ſingulari, & actu exiſtente. Idẽ habemus 9. met. 7. Vbi diſcrimen indicatur inter non entia: Quædam enim nec actu ſunt neque poſſunt eſſe; quædam actu non ſunt, ſed eſſe poſſunt. Diſcriminat Ariſtoteles hæc nõ entia, quæ ſunt potentiâ, & non actu. Quia his non entibus homines communiter attribuũt duo prædicata, ſcilicet eſſe intelligibilia, & eſſe deſiderabilia: non attribuunt ipſum moueri, ſcilicet, quia motus eſt actus entis actu exiſtentis in rerum nãtura. Quam ob cauſam concludimus omnem ſcientiam abſtractiuam haberi de ente potentiâ, nec requiri ad eam obiectum actu exiſtens, aut ſingulare ſeparatum ab aliis ſingularibus: quamuis ſcientia intuitiua hoc requirat.

Poſt hæc declarata, regrediamur ad vltimum textum 13. Met. *Num.* 21. Diſtinguitur ſcientia, quoniam alia eſt ſcientia potentiâ, & alia actu: quæ denominatio eſt extrinſeca ratione obiecti habentis eſſe in potentiâ, vel in actu. Et per ſcientiam in potentia intelligitur cognitio abſtractiua, per ſcientiam in actu cognitio intuitiua. Deinde obiectum in potentia nõ habet actum determinantem: quocirca neque actu exiſtit, vt ſic, in aliquo ſingulari: ſed eſt indeterminatum ad omnia ſingularia, & quæ exiſtant, & quæ non exiſtant, quare eſt vniuerſale. Obiectum in actu eſſendi, cum actum habeat, ex neceſſitate eſt determinatum obiectum, & ſingulare; nam actus eſt determinatus, & ſingularis determinati. Quamobrem tale obiectum, vel eſt ſubſtantia, & hoc aliquid: vel ſi fuerit accidens, eſt in ſubſtantia, & hoc aliquo; & ex conſequenti eſt ſingulare

ſeparatum ab aliis ſingularibus. Conſpicuum itaque eſt, quòd ſcientia abſtractiua, ſeu ſcientia potentiâ non requirit obiectum per ſe exiſtens, ſeparatum à ſingularibus, quale Plato opinabatur: ſed obiectum potentiâ, quod poteſt exiſtere in ſingularibus. Vnde conſpicua quoque eſt differentia inter ſcientiam potentiâ, & actu; cum ſcientia potentiâ ſit per ſe de vniuerſalibus, vt patet ex definitione, & demonſtratione, non per ſe de ſingularibus. Sciẽtia actu eſt per ſe de ſingularibus, per accidens de vniuerſalibus. Sicuti eſt ſcientia grammatici ſpeculantis hoc A. vel quod vult facere, vel quod fecit: vult enim facere vnum A. ſingulare, non intendit facere in actuali exiſtentia ipſum A. vniuerſale: cum impoſſibile ſit, vt vniuerſale habeat exiſtentiâ, niſi exiſtant omnia ſua ſingularia, quæ ſunt infinita. Sed infinitum potentiâ datur, actu nõ datur.

Veniamus nunc ad ipſum sẽtire. Senſitiua cognitio exterior eſt cognito intuitiua, & producitur ab obiecto actu exiſtẽte, & poſito extra ſenſum, iuxta textum 59. 2. de anima. Et ipſum obiectũ ſenſibile ſine cõcurſu potentiæ ſenſitiuæ agentis producit ſpecies ſenſibiles: mox cum ſenſu iudicante producit ſenſationem, ſiue ipſum ſentire, & ob id ſentire eſt perſe circa ſingulare, per accidens circa vniuerſale.

Num 22. Reuertamur iam ad reſoluẽdas quinque difficultates, quæ nobis obſtiterant. Prima tollitur, quoniam cognitio intuitiua tùm in ſenſu, tùm in intellectu eſt per ſe de ſingulari actu exiſtente, per accidens de vniuerſali: qualis etiam eſt ſcientia actu in grammatico ſpeculante vnum A. Sed cognitio abſtractiua per ſe eſt de vniuerſali, per accidens de ſingulari; non igitur erunt idem ſenſus, & intellectus, ſed diuerſi: cum intellectus per ſe attingat vniuerſale, ſenſus minimè.

Secunda tollitur. Quoniam aliter ſpectatur vniuerſale, & ſingulare in ſcientia potentiâ, aliter in ſcientia actu. Scientia potentiâ attendit per ſe vniuerſale; vnde & ponit vniuerſale, vt obiectum per ſe primum, ſingulare non per ſe omnino, ſed quodammodo: quia ponit eſſe obiectum per ſe, non primum. Scientia actu per ſe attẽdit ſingulare, per accidens vniuerſale: ſenſatio verò ſenſus exterioris eſt cognitio intuitiua, et quaſi ſcientia actu.

Tertia tollitur. Nam ſcientia potentiâ, eſt per ſe de vniuerſalibus, per accidens de particularibus: ſcientia actu è contra. De prima in Analyticis. De ſecunda in 13. met. cap. vlt. differit Ariſtoteles: quod minus benè Syrianus obſeruauit.

Quarta tollitur. Quia ſenſus per ſe ſentit ſingularia, cum ſenſatio ſit cognitio actu. Non attingit autem ſenſus vniuerſalia ſeparata per intellectũ, quæ appellantur vniuerſalia actu, & poſt multa: ſed attingit per accidens naturam communẽ exiſten-

ſtentem cum ſingularitate, & exiſtentia in ſingulari. Hæc natura communis appellatur vniuerſale potentiâ, & vniuerſale in multis.

Quinta tollitur. Senſus nanque tàm in ratione recipientis, quàm in ratione iudicantis requirit actualem exiſtentiã obiecti ſingularis: igitur per ſe de ſingulari eſt, per accidens de vniuerſali, cum ſenſatio ſenſus exterioris ſit cognitio actu.

Hactenus iſta, ex quibus iſta concluſio ſubducitur, vt ſenſus actu, ſeu ſentire ſit prius de ſingulari, quod per ſe ſentitur, quàm de vniuerſali, quod per accidens ſentitur: & per conſequens affirmãdum eſt, primùm cognitum ſenſui noſtro eſſe ſingulare, non vniuerſale.

Adijcio dictis, ſcientiam potentiâ, & actu, non eſſe idem cum ſcientia in habitu, & in actu illo ſecundo, qui eſt conſiderare. Nam ſcientia potentiâ eſt, & in actu primo (ſiue ille ſit intellectus cum ſpecie, ſiue etiam cum habitu ex actibus acquiſito) & in actu ſecundo conſiderandi. Siquidem de vniuerſalibus obiectis, quæ nec actum eſſendi, nec determinatum ſingulare exigunt ad hoc, vt ſciantur: habentur & ſpecies & actus, & habitus ex actibus derelictus. Similiter ſcientia actu de ſingularibus obiectis, (quæ, vt ſciãtur, requirunt actũ eſſendi, & ſingulare determinatum) poteſt haberi, tùm in actu, tum in habitu experti. Itidem exiſtimo ſcientiam potentiâ, & actu non eſſe idem cum tribus membris poſitis ſecundo priorum cap. 26. Hæc ſunt ſcire, vt vniuerſali, vt propria, vt agere. Nam ſcientia vt agere habetur, quando maior, & minor in forma ſyllogiſtica coniunctim intelliguntur; ſed iſta coniunctio habetur etiam in demonſtrationibus de vniuerſali, de quo eſt ſcientia potentiâ, non actu. Hæc laboriоſiſſima ſunt & laborioſę potentiorum contemplationi offerenda. Nos cæpta proſequemur.

Vtrum humanus intellectus ſecundum ordinem originis prius cognitione actuali intelligat ſingulare, vel vniuerſale?
Cap. V.

Num. 23.

COmparatione facta cognoſcibilium ſingularis, & vniuerſalis ad ſenſum: proximũ eſt facere comparationem eorũdem ad intellectum; atque inueſtigare, num ſingulare prius origine intelligatur à nobis, nũ vniuerſale. Qua in re præſupponẽdũ eſt, ab intellectu cognoſci & vniuerſale, & ſingulare; quod quidem præſuppoſitũ nũc breui probabimus, prolixiorem diſputationem in aliud reijciẽtes tempus. Tametſi verò Io: Ca non. primo phyſ. q. 2. Sueſſan. in primo metaph. Diſp. 11. & Zabar. in lib. de ord. intelligen. cap. 2. & ſeq. viri clariſſimi, diſputationem hanc integram, *Vtrum intellectus cognoſcat ſingulare*, non ſint veriti inferere in quæſtionem de primo cognito; nos tamen cum Burleo, atque Tatareto in Prolog. Phys. pau-

cis ostendemus istud supposituꝫ. quamuis nec in animo sit multis agere circa principale quęsitum capitis præsentis.

Singulare autem, atque vniuersale intelligi ab intellectu nostro declarabo ex tribus operationibus intellectus. Circa terminos simplices dico, diffinitionem esse terminum incõplexum, diffinitum esse terminum incomplexum, per primũ Post. 14. & 2. post. 16. Atqui Aristoteles in primo de Interpret. c. 5. diffiniuit vniuersale, & singulare scribens. *Quoniam autem sunt hæ quidem rerum vniuersales, illæ verò singulares (Dico autem vniuersale, quod in pluribus prædicari natum est. Singulare verò quod non: vt homo quidẽ vniuersalium est, Callias verò eorum, quæ sunt singularia) necesse est quoque enuntiare, quòd inest aliquid, aut non, aliquando quidem alicui eorum, quæ vniuersalia sunt, aliquando autem eorũ, quæ singularia sunt.* Qua in authoritate declaratur nobis vniuersale, & singulare pro secunda intentione, cum diffiniuntur: & pro prima intentione, quando diffinitiones applicantur ad hominem, & Calliam. Si ergo Aristoteles simplici apprehensione intellexit hominem, & Calliam, vniuersale, & singulare, quando hæc diffiniuit; si intellexit, quando res in communi diuisit per singulare, & vniuersale; igitur ab intellectu nostro potest vtrũque intelligi; Quinimò in prędicamentis termini simplices positi sunt ex cap. 5. ante prædicam; sed in prædicamentis quædam dicuntur de subiecto, vt vniuersalia: quædam nõ dicuntur de subiecto, vt singularia. Insuper substantia prima, & secunda distinguuntur præcisè per hoc, quòd prima est singularis, nec enim dicitur de subiecto, secunda verò vniuersalis, vt species, vel genus. Qui igitur percipit distinctionem substantiæ primæ, & secundæ, is intelligit vniuersale, & singulare. Postremò in primo Post. à tex. 138. ad 154. diffusèostenditur in omni prædicamento dari statum, & sursum ad prædicatum supremũ, & deorsum ad subiectum vltimum. Prædicatum primum tale est, vt nil de illo prædicetur; subiectum vltimum tale, vt de nullo prędicetur. Subiectum vltimum est singulare, prædicatum primum est vniuersale, ergo vtrumque à demonstratore intelligitur.

Secunda operatione intellectus componit, vel diuidit simplices terminos ex 3. de Anim. 21. Hac operatione constat ab intellectu enuntiari, quòd prædicatum inest, aut non inest alicui vniuersali, vt animal inest, vel non inest homini: aut etiam enuntiari, quòd prædicatum inest, aut non inest alicui singulari, vt homo inest, vel non inest Calliæ: per locum præcitatum primo de interpret. cap. 5. & 9. metaph. 21. Profectò secunda operatio intellectus præsupponit primam, quare non est possibile vel constituere enuntiationem, vel iudicare illius veritatem, aut falsitatem, nisi præ- *Num 24.*

in-

intellectis terminis : non poteſt itaque intellectus componere, vel diuidere ſingularia, & vniuerſalia, niſi vtraque intelligat; componit autem, & diuidit, ergo intelligit vtraq; Inſuper enũtiatio ſingularis vel fit ab intellectu ſolo, vel à ſenſu ſolo, vel ab vtroque, vel à neutro. Si à ſolo intellectu, ergo intellectus enuntians iſtam, *Callias eſt homo*, intelligit & prædicatum vniuerſale, & ſubiectum ſingulare: ſi à ſolo ſenſu, iam ſecunda operatio intellectus conueniet ſenſui, quod eſt abſurdum. Item ſenſus erit potentia circa veritatem complexi: cum tamẽ in primo de Anim. 23. intellectus ponatur eſſe potentia circa verum. Ad hæc, ſenſus cognoſcet ipſum vniuerſale, quod cõponit cum ſingulari: ſed ex 1. poſt. 182. impoſſibile eſt ſentire ipſum vniuerſale. Si & ſenſus, & intellectus ſimul conſtruant illam ſingularem, ita vt ſẽſus cognoſcat Calliam, intellectus hominem: neutra potentia poterit vel coniungere, vel ſeiungere prædicatum à ſubiecto: cum per ſecundum de aĩa 146. & c. vlt. de ſens. & ſens. eadem potentia debeat dicere hoc eſſe illud, vel non eſſe. Si denique neque ab intellectu, neque à ſẽſu erigatur enuntiatio ſingularis, igitur præter ſenſum, & intellectum dabitur tertia vis cognoſcens, quod reluctatur Ariſtot. de Inſomn. cap. primo.

Tertia operatio intellectus eſt diſcurſus à notis ad ignota. Diſcurſus præcipuè ſpectatur in in ſyllogiſmo, & in demonſtratione. Syllogiſmus autem, & vniuerſalia, & ſingularia requiriit ex primo prior. ſect. 2. cap. primo. Id quod patet, nam in omnibus figuris requiruntur propoſitiones aliquę vniuerſales, & concludunrur concluſiones aliquæ particulares. Itemque ex primo poſt. 160. duplex reperitur demonſtratio, vniuerſalis, & particularis. Iam poſco, numquid ſenſus ſolus diſcurrat à præmiſſis in ſyllogiſmo ad cõcluſionem? At hoc fieri non poteſt, quia ſenſus non poteſt cognoſcere terminos vniuerſales, aut enuntiationes vniuerſales, vt paulo ante dixi. An intellectus cognoſcet terminos, & enuntiationes vniuerſales: ſenſus verò terminos, & enuntiationes particulares? Primò quidem, ſi hoc detur, concedemus ſenſum poſſe ratiocinari, nam ſyllogiſmus, & ratiocinatio idẽ ſunt, differunt idiomate; etenim ſyllogiſmus græcanicum eſt vocabulum, ratiocinatio latinum; ratiocinatio autem eſt actus ſecundus elicitus à ratione, ſenſus non eſt ratio, ergo ſenſus non ratiocinatur, vel ſyllogizat. Deinde concedemus dari ſyllogiſmũ, cuius cõcluſionem neque ſenſus, neque intellectus, poſſit colligere, vt iſtam, *Callias eſt riſibilis*, quia ſenſus ſingulare cognoſcet, intellectus vniuerſale, neutra potentia eliciet totam concluſionem. Tertiò concedemus aliã eſſe potentiam, quæ cognoſcit præmiſſas, & aliam, quæ infert concluſionem; nam in *Darapti & Felapton* intellectus vniuerſa-

sales propositiones intelliget, sensus conclusiones singulares sentiet; quod est absurdū, quasi possit fieri syllogismus ita, vt ego agnoscam propositiones, sed non conclusionem; tu autē cognoscas conclusionem, non cognoscas propositiones.

Postremò in 4. met. 5. disertè ait Philosophus. *Et philosophi est de omnibus posse speculari, si enim non Philosophi, quis erit qui considerabit, si idem Socrates, & Socrates sedens?* Igitur speculatio metaphysica est de Socrate, hoc est de substantia singulari, ac de sessione Socratis, quę est accidens singulare: atque etiam est de identitate, vel non identitate inter substātiam singularem, & accidens singulare: quæ identitas in 5. met. 16. traditur. Iam verò speculatio metaphysica est meré opus intellectus, igitur intellectus intelligit singularia accidentis, & substantiæ, nec non, & illorum identitatem, atque diuersitatem. Quare ex 2. de anima 146. cum intellectus ponat conuenientiam, & differentiam inter vniuersale & singulare, vtrunque cognoscet. Hæc de præsupposito.

Num 26. Nunc ad quæsitum respondemus, Singulare prius ordine originis cognosci cognitione actuali intellectiua à nobis, quā vniuersale. Probo assertum ex primo post. 12. *Dico*, inquit Philosophus, *ad nos quidem priora & notiora, quæ sunt propinquiora sensui: simpliciter autem priora, & notiora, quæ longius; sunt autem longissimè quidem ipsa maximè vniuersalia, proximè verò ipsa singularia.* Singularia sunt proxima sensui, & propter hoc sunt prius nota nobis. Quo in textu distinctio est inter sēsum, & nos intelligentes; sensus est mensura illorum, quæ sūt priora, & notiora nobis; nos verò intelligentes sumus mensurati: si ergo singulare, quia proximū sensui, est prius notum intellectui, vniuersale autem remotissimum à sensu, est minus notum nobis intelligentibus, conspicuè cognoscitur prius à nobis intelligi singulare, quàm vniuersale.

Item inductio ex primo Top. cap. 10. *est à singularibus ad vniuersalia accessio. Est autem inductio verisimilior, & clarior, & secundum sensum notior, & pluribus communis.* Ergo singularia, à quibus fit inductio, sunt notiora secundum sensum, atq; ideò secūdum intellectum, qui sequitur sensum, hoc est secundum nos. Ita quoque in primo post. 22. distribuitur demōstratio, quòd alia est ad nos, alia simpliciter: demonstratio quoad nos dicitur notificare, *quo modo inductio facit notū*: igitur singularia sunt prius nota, secundum nos, quàm vniuersalia.

Vt autem hęc res clarius probetur, obseruo in 2. post. cap. vlt. nos doceri, quo ordine fiat in anima vniuersale, & incomplexum, & complexum. Vniuersale incomplexum fit, quando aliquod singulare obijcitur animæ, vt Callias homo: tunc etenim fiet vniuersale in anima. Siquidem intellectus ministe- *Num 27.*

rio

rio ſenſus cognoſcens Calliam hominem, tanquã totum confuſum: poſterius ipſe intellectus confuſum iſtud diuidit in partes, ſeù principia conſtituentia *Calliam hominem*, reſoluitq; in *hominem*, & in *Calliam*; ſimiliter *Sortem hominem* prius intelligit tanquã totum, deinde diuidens reſoluit in principia, quę ſunt *Sortes*, & *homo*. Tertiò animaduertit iſta duo tota, *Calliam hominem*, & *Sortem hominẽ* conuenire in *homine*, qui eſt vnũ in multis, atque tunc intellectus intelligit ipſum hominem, non conſideratis Callia, & Sorte, neque differentijs eorum, per quas differunt. Similiter intellectus aſcendit à ſpecie ad genus, conſiderans nanque *tale animal*, vt *rationale* animal, atque *tale animal* vt *irrationale animal* tanquam duo tota, reſoluit in partes, & contemplatur *animal* vniuerſale, non conſideratis *rationali*, vel *irrationali*, homine, vel bruto. Hoc pacto procedit intellectus vſque ad generaliſſimum, vel ad ens.

Vniuerſale complexum, circa quod in primis verſantur omnes habitus intellectuales, fit in anima, quando intellectus præſupponens multas ſenſationes de eodem, multas memorias ex ſenſationibus, multa experimenta ex memorijs, cognoſcit: quòd hoc prædicatum particulare ineſt huic ſubiecto particulari, atq; ita dicit intellectus de multis particularibus, & per inductionem concludit ex particularibus concluſionem vniuerſalem. Textus eſt luculentus in primo met. c. primo. *Fit autem ars, cum ex multis experimentalibus conceptibus vna de ſimilibus vniuerſalis opinio fiat. Opinari etenim, quòd Callia hoc morbo laboranti hoc conducit, ſimiliter Socrati, ac ſigillatim alijs multis, experientia: quòd autem omnibus huiuscemodi ſecundum vnã ſpeciem determinatis hoc morbo laborantibus conduxit, vt putà pituitoſis, aut bilioſis, aut febre ardente febricitantibus, hoc arti, proprium eſt.* En quo pacto fiat inductio; incipit etenim à propoſitionibus ſingularibus in ſubiecto, & ſingularibus in prędicato: quibus ſatis enumeratis, in concluſionem ex vniuerſali ſubiecto, & prædicato conſtantem deſinit: deſinit autem in ſubiectum, & prędicatum vniuerſale, ſed vnius ſpeciei ſpecialiſſimę, vt quòd *omnibus bilioſis prodeſt Rhubarbarum.* Iſta de duplici progreſſu à ſingulari ad vniuerſale traduntur in ſecundo poſt. tex. 104. & 106.

Nunc concluſionem noſtram roboremus, atque indicemus prius ſingulare incomplexum cognoſci, quàm vniuerſale incõplexum, incluſum in ipſo ſingulari. Philoſophus in primo Phys. tex. 3. *Sunt autem*, inquit, *primò nobis dilucida, & manifeſta confuſa magis: poſterius autẽ notę fiunt principia, & elementa diuidentibus hęc.* Cõparatis autem ſingulari vt *Callia homine*, & vniuerſali, vt *Homine*, clariſſimum, eſt quòd ſingulare eſt totum confuſum magis, quàm vniuerſale, quod eſt vna pars incluſa in illo ſingulari; ſicut in *Num* 28.

hoc

hoc toto *Gallio* homine, sunt duæ rationes, humanitas, & Gallietas (vt ita loquar) in Homine est sola humanitas; igitur prius est nobis dilucidum, & manifestum singulare, quàm vniuersale.

Secundò, ex eodem tex. argumentor; In resolutione intellectuali totius in sua principia cõponentia prius necessum est cognosci totum confusum, posterius per diuisionem, siue resolutionem totius in sua principia, necesse est, vt innotescant principia. At in progressu à singulari ad vniuersale fit resolutio ipsius totius, quod est singulare in sua principia, quorum vnum est ipsum vniuersale, alterum est differẽtia indiuiduãs: igitur prius cognoscitur in tali resolutione ipsum totum singulare, quàm vnum eius principium, vt vniuersale. Id verò liquidius patebit, si attenderimus ordinem, quo vtitur intellectus in resoluendo toto, & in separandis partibus. Intellectus nanque eatenus intelligit vnũ in multis, quatenus mouetur ab obiectis; cum ex se sit veluti tabula rasa, in qua nihil est pictũ. Quare si vnum singulare tantum intelligit, potest resoluere illud singulare in partes: sed inde non cognoscet alteram esse communem huic, & alteri: reliquam partem esse propriam huic singulari. Si autem intellectus plura singularia perceperit, tunc ex virtute obiectorũ cognitorum deprehendit in hoc toto *Callia homine*, & in illo toto *Sorte homine*, duas partes, vnam communem multis, scilicet *hominem*, in qua multa ipsa conueniunt: reliquam partem propriam in hoc toto, & propriam in altero toto: qui progressus conformis est regulę traditæ in primo Top. cap. vlt. dum iubemur considerare differentias rerum, & similitudines earum. nam illud commune, in quo res sunt similes, est genus, vel aliud vniuersale. Tũc adijcio ad argumentum. Non est necessarium, vt quando intellectui obijcitur vnum singulare vnius speciei, statim etiam obijciatur alterum eiusdẽ speciei: quin potius rarò id euenit, sed semper, vel sæpè prius intelligitur vnum singulare, & post aliquod tempus intelligitur alterum; vt ego semel vidi leonẽ singularem in hac inclyta sapiẽtum matre Patauio: sed nondũ vidi alium leonem in eadem vrbe. Vniuersale autem, quod est commune vnum in multis, non potest intelligi, nisi post ipsa multa singularia, quibus est commune. Igitur vniuersale multò posterius intelligitur, quàm intelligatur primum singulare, in quo vniuersale includitur.

Corollarium. Abstractio est duplex, altera per resolutionem totius in sua interna principia: atque in hac non est possibile cognoscere principium, quod abstrahitur, non præcognito toto, à quo fit abstractio: iuxta 3. tex. 4. Phys. supracitatum, & iuxta tex. eiusdem lib. 65. cum hominis musici ratio resoluitur in rationem hominis, & musici.

Altera

Altera abſtractio eſt per ſeparationem rei à re, quæ non ſit pars, vel totum; in hac abſtractione poteſt cognoſci id, quod abſtrahitur, ignorato illo, à quo fit abſtractio; quēadmodum, ſi cui offeratur ſaccarum primitus cognoſcendum; in ſaccaro quidem ſunt albedo, atque dulcedo: ſed viſus, & intellectus viſum ſequēs, cognoſcent albedinem, non cognoſcent dulcedinem. Talis eſt abſtractio mathematica 2. phys. 18. Geometer enim conſiderat magnitudinem, non conſiderat ſubſtantiā, vel materiam, vel motum, quæ ſunt coniuncta cum magnitudine. In re noſtra vera eſt illa propoſitio, in abſtractione vniuerſalis, prius cognoſcitur illud, à quo fit abſtractio, quàm cognoſcatur illud, quod abſtrahitur: ſed à ſingulari fit abſtractio, et vniuerſale eſt illud, quod abſtrahitur, ergo prius intelligitur ſingulare.

Num 29. Tertiò. In potentijs cognitiuis ſubordinatis, quod primò eſt cognitum à potentia inferiori, illud offertur cognoſcendum primò potentiæ ſuperiori. Sēſus eſt potentia cognitiua ſubordinata intellectui, ſenſusque offert, vt cognitum, ipſum ſingulare ſolùm, non vniuerſale: ergo intellectus prius intelligit ſingulare. Maior prob. primò ex ratione actualitatis; quod enim inter obiecta eſt magis actuale, magis, & prius agit in potentiam cognoſcentē; atqui ſingulare non ſolùm fulget in ſpecie phantaſtica, verùm etiā in actuali notitia imaginatrice: vniuerſale in ſpecie phantaſtica eſt, ſed eſt in potentia remota, cum ſit vniuerſale inuolutum conditionibus indiuiduantibus, ergo ſingulare duplici actualitate prædituum, prius intelligetur, quàm vniuerſale exiſtens ſub oppoſito vniuerſalitatis. Secundo ex proportione. Quia enim ſenſus per ſe cognoſcit accidens, per accidens ſubſtantiā, ideò intellectus primò ordine originis intelligit accidens: à ſimili ergo ratione, quia ſingulare per ſe ſentitur, vniuerſale per accidēs: fiet, vt intellectus prius origine intelligat ſingulare, poſterius vniuerſale.

Quartò, ſi ſingulare oblatum à ſenſu non intelligitur in principio, ergo nunquā intelligetur. Conſequens eſt abſurdum; probatur conſequentia. Singulare totum vel intelligitur virtute ſua, vel virtute vniuerſaliū cognitorum. Si primum detur, argumentor; quando actiuum naturale ſufficiens approximatur paſſiuo, naturaliter ſequitur actio: ſed obiectum ſingulare ab initio habet virtutem actiuā naturalem ſufficientem, & approximatam in phantaſmate ipſi intellectui, ergo cum intellectu faciente producet actionē intelligendi in intellectum poſſibilem; non poteſt dici ſecundum, quòd enim eſt potentia omnia ſingularia, & ad omnia indifferens, non magis ducit in cognitionem vnius, quàm alterius, & conſequenter in nullius cognitionem ducit, ergo vniuerſalis cognitio non habet virtutem deducendi ad cogni-

tionē illius singularis primò oblati: igitur nec propria, neque aliena virtute obiectiua singulare illud intelligetur vnquam

Confir. declarando, quid sit habere virtutem producendi cognitionem alterius. Illud enim cognitum habet virtutem producendi cognitionem alterius, quòd per necessariam consequentiam infert alterum: iuxta doctrinam primi prior. sect. 2. cap. 1. quando quæritur mediū & pro medio inueniendo regula exhibetur de inueniendis antecedente, & consequente. Exemplum; sit positus homo, benè sequitur, ergo animal, ergo substantia. Sed si ponas substātiam, non sequitur, ergo animal, ergo homo. Igitur homo cognitus habet virtutē producēdi cognitionem de animali, de substantia; & non è conuerso. Nā vniuersale continet potestate passiua tantùm inferiora: ideò non habet virtutem actiuam, quæ producat notitiam inferiorum. Iam verò si offertur singulare intellectui, & illud intelligatur, intellectus per necessariam consequentiam inferet omnia vniuersalia in quid, vel quale quid conuenientia eidem singulari: sed si cognouerit aliquod vniuersale, nunquā vt sic, habebit virtutem sufficiētem, quæ per necessariam consequentiam inferat singulare. Ergo singulare vel propria virtute primum intelligetur, vel nulla virtute poterit intelligi.

Num 30. Iam vertamur ad vniuersale complexum, atque ostendamus prius cognosci singulare complexum. Impossibile est cognoscere conclusionem, nisi præcognitis præmissis, ac terminis præmissarum ex primo post. ca. 1. id quòd speciatim affirmatur tex. 1. de Inductione, *Qua monstrat vniuersale per id, quod manifestum sit singulare*; ergo non potest colligi cōclusio vniuersalis per ipsam inductionē, nisi fuerit præcognitæ actu aliquæ propositiones singulares, & præcognita fuerint quędā singularia incomplexa, tanquam termini propositionum singularium; igitur prius cognita sūt singularia complexa, & incomplexa, quàm sint cognita vniuersalia complexa.

Secundò. In omni cognitione scientifica, vel vniuersales conclusiones, vel vniuersalia principia reperiuntur: vniuersales cōclusiones tanquam mediatę cognoscuntur demonstratiuè per principia immediata, principia immediata cognoscūtur per inductionem ex singularibus, ex 2. prior. cap. 29. & secundo post. cap. vlt. & primo metaph. cap. 1. Imò in primo post. totus textus 134. dicit esse impossibile assequi principia vniuersalia sine inductione, & inductionē sine sēsu: vnde cōcluditur deficiente sensu, deficere quoq; sciētiā sensibiliū illius sēsus. Totus textus consideretur: decerpo pauca. *Impossibile autem vniuersalia speculari nisi per inductionem &c. Inducere autem non habentes sensum impossibile: singularium namque sensus est, nō enim contingit accipere ipsorum scientiam: neque enim, ex vniuersa-*

uerſalibus ſine inductione, neque per inductionem ſine ſenſu. Ergo prius neceſſe eſt cognoſcere ſingularia, poſterius deducere vniuerſalia.

Denique. Illud, quod poteſt eſſe ſine altero intellectum, & non è contra, eſt primò intellectum; patet poſt prædicam. in cap. de priori: vt quia, ſi duo ſũt, neceſſariò etiam eſt vnum, & non è conuerſo, vnũ eſt prius. Idem habes in 5. met. 16. At verò vniuerſalis affirmatiua eſt totum, particularis eſt pars; & particularis poteſt eſſe vera, etiã ſi vniuerſalis ſit falſa: vniuerſalis non poteſt eſſe vera, ſi aliqua eius particularis eſt falſa; ergo veritas enuntiationis particularis poteſt eſſe ſine veritate enuntiationis vniuerſalis, & nõ è contra; igitur veritas, & cognoſcibilitas enuntiationis particularis eſt prior. Exemplum: hæc particularis. *Quidam homo eſt doctus*, eſt vera: cuius vniuerſalis, *Omnis homo eſt doctus*, eſt falſa. Sed ſi ex ſuppoſitione concedamus hanc vniuerſalem eſſe veram, per regulam ſubalternarum, & per dictum de omni, etiam particularis illa eſt vera. Similiter dicẽdum eſt de iudicio, ſiue de intellectione adhæſiua iſtarum enuntiationum. Non enim poteſt aliquis concedere tanquam veram enuntiationem vniuerſalem, & ſimul ponere tanquã falſam illius particularem; quia ſi hæc affirmatiua eſt falſa: tunc negatiua, *Quidam homo non eſt doctus*, erit vera, quamobrem in eodem intellectu erunt duo aſſenſus reſpectu duorum contradictoriorum, quaſi duo contradictoria ſint vera, quòd eſſe impoſſibile oſtenſum eſt in 4. met. 9. Igitur qui cognoſcit vniuerſalem, vt veram, neceſſariò etiã iudicat tanquam veram omnem particularem illius vniuerſalis. Qui autem iudicat particulare tanquam veram, non neceſſariò tenetur iudicare vniuerſalẽ tanquam veram. Quare & ex parte obiecti cognoſcibilis, & ex parte intellectus cognoſcentis, particularis enuntiatio eſt prior, quàm vniuerſalis: cum valeat eſſe prius vera, & prius iudicata vt vera ipſa particularis, quàm ipſa vniuerſalis.

Hinc poſſumus arguere ſic pro ſingulari incomplexo. Cuiuslibet propoſitionis prius notæ, termini quoque ſunt prius noti; ſed propoſitio ſingularis, eſt prius nota, quàm vniuerſalis, ergo termini propoſitionis ſingularis erunt prius noti: tales termini ſunt ſingularia incõplexa, ſaltem quantum ad rationem diſtinctiuam propoſitionis ſingularis, & vniuerſalis; ergo prius noti ſunt termini ſingulares incomplexi. Qui plura cupiat, adire poteſt Ioan. Canon. Gualt. Burl. Petr. Tar. Iacob. Zabar. apud quos etiam leget argumenta nobis aduerſantia: quæ cum procedant ex rationibus proprio Marte inuẽtis, à nobis non referuntur; vnũ ab authoritate Ariſt. ex primo phys. 49. allatum ab ipſis, & exactè dilutum; à nobis hoc eodem cap. depulſum eſt.

Opiniones de magis, vel minus vniuerſali in ratione primi cogniti, & neceſſaria quædam proponũtur. Cap. VI.

Num 31. TAndem peruenimus ad graniſſimam, & obſcuriſſimam controuerſiæ noſtræ partem: qua indagamus inter vniuerſalia, quod nam ſit primò cognitum ab intellectu noſtro, magiſne vniuerſale, an minus, ſecundum ordinem originis, ſeù generationis. Quæ pars duabus de cauſis eſt accuratius attendenda: prima eſt magna neceſſitas, nam ſcientia ſimpliciter eſt de vniuerſalibus, ſicuti eſt etiam intellectus, ſiue obtutus principiorum. Magis autẽ eſt neceſſarium cognoſcere id, quod immediatius ſe habet ad habitus præſtantiores mentis, quales ſunt, ſapientia, intellectus, ſcientia. Secunda cauſa eſt obſcuritas præcipua; nam ſingularia, cum ſẽſui ſint obuia, intellectui noſtro ſunt magis perſpecta; ſed vniuerſalium cognitio intellectui eſt reſeruata, neque cum ſenſu commercium habet; ideoque & intellectui noſtro à ſenſibus promenti ſciẽtiam, vniuerſalia difficilius innoteſcunt. Quæramus ergo, an prius generatione intelligamus actuali notitia minus vniuerſalia, vel potiùs magis vniuerſalia. In præſenti diſceptatione tres apparent ſententiæ primæ. Doctoris Angelici, quæ magis vniuerſale primò intelligi ait; ſecunda Doctoris ſubtilis, quæ minus vniuerſale; tertia media Marci Antonij Zimaræ, qui modò magis vniuerſale, modò minus vniuerſale prius intelligi affirmat, prout hoc, vel illud magis ſenſui appropiat. Quoniam autem Doctoris ſubtilis opinio mihi videtur Ariſtotelis magis conſentanea, iſtam pro viribus ſectabor. Obſeruo interea Doctorem ſubtilem agitauiſſe hanc diſputationem in primo met. quæſt. vlt. quo in loco ſecundum viam communem locutus eſt, prout annotauit Sueſſanus in primo metap. diſput. 11. Agitauiſſe in primũ ſent. diſtinc. 3. quæſt. 2. ſecundum propriam inuentionem, nec omninò exactè. Agitauiſſe in librum de anima quæſt. 16. & ſecundum propriam opinionem, & quantũ capio, exactiùs.

Num 32. Portò magnum diſtinctionũ apparatum cõgerunt viri docti ad caliginem propoſitę quæſtionis excutiendam: vt videre eſt in Raguſeo diſp. Peripat. 2. c. 6. Pererio lib. 3. naturalium c. 13. Io: Bap: Contareno quæſt. Peripat. 2. cap. primo, & limatiùs, atque ſubtiliùs in Ioan: Canonico primo phyſ. quæſt. 2. art. 2. Sed præter illas antiquiores diſtinctiones, Iacobus Zabarella in lib. de ordine intelligendi cap. 11. Raguſeus diſput. 2. cap. 8. Contarenus quæſt. 2. cap. primo, neceſſariã arbitrantur diſtinctionem de cognitione actuali, quòd altera ſit originalis, altera ex habitu. Originalis eſt, cum actu apprehendimus aliquam rem, antea nobis prorſus ignotam. Ex habitu eſt, cum actu apprehendi-

di-

dimus rem aliquam antea cognitam, de qua ex iteratis actibus habitum contraxerimus.

Veruntamen, vt sentio, liberè, hæc actualis cognitio procedens ex habitu non est ad rem; quoniam cognitio ex habitu nõ est prima, neque simpliciter respectu omnis obiecti, neque secundum quid respectu alicuius obiecti. Primum quippe est, quo non est aliud prius: ergo prima cognitio actualis est, quę nullam priorem cognitionem habuit in eodem intellectu. Cognitio autem ex habitu necessariò priorem habuit cognitionẽ actualem aliam, ex qua frequẽtata tùm dispositio, tùm habitus est genitus. Præterea ex eodem habitu potest frequenter elici actualis intellectio eiusdem rationis circa obiectum eiusdem rationis: vt ex grammatico habitu potest quis speculari ipsum A, per 13. met. cap. vltimo, & 2. de anima 56. ergo ex tot actibus, quomodo assignabimus primum elicitum ordine generationis? Nam prima actualis cognitio in intellectu vno numero, est vna numero. Qui tamen volet primum cognitum ex habitu nosse, audiet Raguseũ asserentem, primum cognitum cognitione actuali ex habitu esse minus vniuersale, vt puta specialissimum, deinceps verò ordinatè esse cognita magis vniuersalia. Audiet Cõtarenum in cap. 2. negantem, nec malè; tùm quia voluntas potest intellectum ad vnum quodlibet ex obiectis repræsentatis in singulari occurrente determinare; tùm quia intellectus ab vno habitu potentiùs mouebitur cum vniuersali vno, quàm cum alio: vt grammaticus potius considerabit litteram in communi, quàm mutam.

Proderit tamen nobis admonitio Zabarellæ, ne permittamus vel nobis, vel alijs facultatem loquendi de alia cognitione, quàm de originaria. Quã mobrem duæ distinctiones mihi necessatiò præmittendæ videntur. Prior est de cognitione actuali, quarum alia est originaria, reliqua est collectitia. Posterior distinctio est de cognitione confusa, & distincta. Loquimur nanque de cognitione originaria, & prima, ante quam nulla cognitio in vno intellectu præfuit; eritque duplex cognitio prima, & originalis, vna confusa, & vna distincta. Collectitia verò fit ex cognitione aliqua præexistente in intellectu aliquo signato, & applicatur ab intellectu alicui obiecto occurrẽti de nouo: hæc non est ad propositum, quia nõ est prima cognitio actualis neq; in ordine distinctè cognoscẽdi, neq; in ordine cõfusè cognoscẽdi. Erit tamen etiã cognitio collectitia nobis consideranda diligenter, ne nobis imponat, vt multis fortasse imposuit. Optarem equidem primo loco Aristotelis dicta proferre, quibus doceamur, quodnam vniuersale primò à nobis intelligatur via originis: quod intelligenti has distinctiones, & properanti gratius foret. Sed qui veloci, ac docto est ingenio, ita vt distinctio-

Num 33.

ctiones has duas intelligat, is tranſuolet ad caput vndecimũ. Nos methodo ipſa compulſi prius declarabimus has diſtinctiones, deinde ad quæſitum ſoluendum properabimus.

Declaratur diſtinctio cognitionis actualis per originariam, & collectitiam. Cap. VII.

Num 34. PRiorem diſtinctionem cognitionis actualis intellectiuę, per originariam, & collectitiam explicemus. Originaria eſt, quæ in eodem numero intellectu nullam actualem cognitionem præſupponit, ſed omnes alias intellectiones eiuſdem intellectus ordine generationis præcedit. Hæc originaria cognitio duplex eſſe poteſt, vna eſt ſimpliciter originaria, altera eſt originaria de hoc obiecto. Originaria ſimpliciter eſt, ante quam omninò nulla, & de nullo obiecto præceſſit intellectio in eodem intellectu. Talis eſt ſtatus intellectus ſinguli in ſingulo homine à primo generationis momento; ſic enim innaſcitur intellectus in nobis, vt ſit ad inſtar tabulæ raſæ, in qua nihil eſt pictum. Cum ergo primo ordine generationis aliqua cognitio imprimitur, ante quã nulla omninò præceſſerit, illa cognitio eſt originaria ſimpliciter, atq; cognitum per illam originariam cognitionem eſt ſimpliciter primum cognitũ ordine originis: iſtudque eſt primum cognitum, quòd inquirimus. Originaria de hoc eſt, quando aliquod obiectum de nouo fit præſens, de quo quidem obiecto nulla præceſſit cognitio in eodem intellectu. Veluti ſi de nouo nobis obniam ſit aliqua res, quam nunquam antea cognouerimus, vti buccinus, vel tarandus. Cognitio collectitia eſt, quæ de obiecto recens oblato habetur, ſed beneficio alicuius præexiſtẽtis cognitionis, de nouo applicatæ ad hoc nouum obiectum. Cognitio iſthæc poteſt explanari per dicta in 2. Prior. cap. 26. & 1. poſt. contex. 3. Declaremus ex primo poſter. Intellectus aliquis præſciuit iſtam vniuerſalẽ, *omne triangulum habet tres angulos æquales duobus rectis*: quare idem intellectus præcognouit, & prædicatum, & ſubiectum eiuſdem propoſitionis. Abſconditum eſt aliquid in ſemicirculo, ſed illud abſconditum ignoratur. Verùm detecto ſemicirculo, ſtatim hoc ſingulare exiſtens in ſemicirculo, & viſione, & intellectione incomplexa apprehenditur; ſtatim cognoſcitur, *Hoc exiſtens in ſemicirculo eſſe triangulum*; & ſimul cognoſcitur, quòd *Hoc exiſtẽs in ſemicirculo habet tres æquales duobus rectis*. Maior terminus, & medius erant præcogniti: præcognita quoque erat maior propoſitio. Senſu videtur ſingulare exiſtens in ſemicirculo, illudque ſingulare repente intelligitur ab intellectu, qua ſimplici apprehenſione cognoſcitur minor terminus; cui mira celeritate intellectus applicat medium, & conficit hanc minorem; *Hoc exiſtens in ſemi-*

cir-

circulo est triangulum, atque intellectus simul colligens conclusionem, applicat maiorem terminum minori, enuntiãs sic, *Hoc existens in semicirculo habet tres equales duobus rectis*. Cognitio de conclusione, & cognitio de minore propositione sũt collectitiæ ex præexistenti cognitione trianguli, & æqualitatis trium angulorum ad duos. Sed cognitio noua de hoc singulari existente in semicirculo est simplex apprehensio istius singularis: quæ simplex apprehensio est prima cognitio, & originaria, non simpliciter, sed de hoc obiecto. Dico autem de hoc obiecto singulari, nam vniuersalia inclusa in hoc singulari præcognoscebantur, & recognoscuntur in hoc, atque per secundam operationem intellectus, vel per tertiam applicantur ad ipsum singulare nouum.

Num. 35. Hinc enitescit exemplum Auicennæ de piso è longinquo, quod affertur ad inuestigandũ primum cognitum cognitione originaria simpliciter, nihil cõficere: sed esse de cognitione collectitia receptum. Cum enim quippiam appareat eminus positũ, statim dicimus illud esse ens, substantiam, corpus. Postea magis determinantes enuntiamus esse viuens, esse animal: mox hominem, ac tandẽ Socratem. Nullum enim singulare potest occurrere sensui, & per sensum intellectui: in quo singulari non sint plura vel magis, vel minus vniuersalia. In tali progressu intellectus procedit à magis vniuersalibus ad minus vniuersalia; sed ea cognitio est collectitia, non originalis. Nam intellectus antea præcognouerat ens, substantiã, corpus &c. Quæ recognoscit, & applicat.

Amplius cum sint tres operationes intellectus, simplicia apprehendere, componere, ac diuidere, & discurrere; prima cognitio actualis originalis, nõ est secunda, uel tertia operatio intellectus, sed prima, scilicet, apprehensio simplex obiecti incomplexi. At in cognitione ista collectitia intellectus mira celeritate format propositiones, ac discursus imperceptibiles, hoc modo. Quod uidetur est ens, est substantia, est corpus; hoc obiectum distans uidetur: ergo est ens, substãtia, corpus. Quod mouetur à se est uiuens, est animal: hoc obiectum distans mouetur à se; ergo uiuens, & animal. Quod recta statura incedit, est homo; hoc obiectum recta statura incedit (ut sensus renuntiat) ergo homo. Postremò, quòd his accidentibus uestium, staturæ, incessus, præditum est, est Socrates: hoc obiectum est tale, igitur est Socrates. Profectò si homo uidens attendat, deprehendet se habere tres terminos, *Ens*, *Visum*, *hoc obiectum*. Et hoc obiectum in sensum, & in intellectum progignit cognitionem incõplexi, qua cognoscitur tertius terminus, scilicet *hoc obiectum*. Quæ cognitio incõplexa huius obiecti est originaria *de hoc*. Illi obiecto deinde applicat intellectus cognitiones præhabitas, & for-

format cognitiones nouas de minori propoſitione, & de concluſione; quas cognitiones dixi eſſe collectitias ex præcognitis, & hoc nouo obiecto.

Tertiò, conſtat iſtam cognitionem non eſſe primam; quia prima cognitio originalis eſt à ſenſu: vnde quod primitus offert ſenſus, illud primitus intelligitur ab intellectu. Senſus autem habet pro per ſe obiectis accidentia, non ſubſtantiam, nō ens: quod excedit obiectum adęquatum omnium ſenſuum; ergo prima cognitio originaria noſtra in intellectu eſt de accidente per ſenſum oblato, puta de calore, candore, dulcedine. At illa obiecta, quæ applicata ſunt, ſunt ex prædicamento ſubſtantiæ, aut etiam tranſcendentia, ad quæ ſenſus non pertingit, vel per accidens pertingit. Vix autem fieri poteſt in homine adulto, vt obiectum aliquod primò occurrat, cui nō ſtatim intellectus aliquam ex cognitionibus antea conquiſitis applicet; nihil etenim eſt occurrens, quod non ſit vel ſubſtantia, vel accidens, atque ideò ens. Hac diſtinctione adhibita patēter conſtiterit plura Petrij, Raguſei, ac Zabarellæ argumenta concidere: loquuntur nanque de collectitia cognitione, cum de originaria loqui conſtituiſſent. Ita illis euenit, quando dicunt à nobis eſſe cognitum ens, quia familiarius nobis ſit, vt potè, quod crebrò, & in pluribus occurit. Sed quando ita fiat; cognitio entis crebrò habita, & in pluribus recognita eſt collectitia, non originaria. Illa verò eſt cognitio originaria, quæ ſemel habetur, & in vno cognito, ſed ita, vt nullius cogniti alia cognitio ipſam præceſſerit. Si enim ens eſt familiare intellectui, ergo ſæpè fuit ens pertractatum ab intellectu, & non primò habetur in multis occurrentibus; perſcrutari autē oportet in primo obiecto ſenſibili oblato intellectui, vtrum intellectus intelligat actu prius, vel magis, vel minus vniuerſale. quod enim primò ſeſe inſinuat, videtur eſſe ſpecialiſſimum: vnde ſi quis primitus ignem vrentem tetigerit, fugiet ſecūdò cōtactum, non propter familiaritatem entis, ſed propter ſpecialitatem caloris. Ergo calorem primò ſenſit, & intellexit.

Cauendus autem eſt error in cognitione collectitia. Quando enim præcognita huic obiecto occurrenti applicantur, facillimè illabitur deceptio conſequē tis. Siquidem per 2. prior. cap. 26. & 2. magnotum moralium cap. 6. car. 219. poteſt aliquis pręcognoſcere maiorem, & errare in concluſione. Sciat quiſpiam, omnem mulam eſſe ſterilem, neque coniungat rectè minorem ſub maiore, imò non conſideret maiorem. Tunc ſit obuia mula, ventre obæſo, & inflato; ſuſpicabitur quis, mulā eſſe pręgnantem: ſic arguens; pręgnantes ſunt inflato ventre; hæc mula eſt inflato ventre, ergo pregnans, quod argumentū fit, quando eadem accidentia inueniuntur in duobus ſubiectis, nam accidentia vnius præ-

Num. 36.

co-

cognita in vno ſubiecto, & repenta in alio ſubiecto, inducunt intellectum ad falsò credendū, quòd vnum obiectum ſit aliud. Exemplum eſt in 2. Prior. cap. 34. cum per ſecundam figuram arguitur ſic. Pallor ineſt prægnanti, pallor ineſt huic mulieri, ergo hęc mulier eſt prægnãs. Ita ſi tibi offeratur piſcis ignotus, ſtatim interrogatus, quid hoc eſt? Reſpondebis eſſe animal, eſſe piſcem. Atque ſi accidentia ſint in hoc piſce, qualia vidiſti in alio piſce, antea noto: ſtatim, applicando præcognita, dices hunc piſcem nouellum eſſe illum præcognitum. Vt quoniã prænoſcis collectionem accidentium exiſtentem in anguilla: & nunc piſcis captus offeratur, in quo ſimilia conſpicias accidentia: credes hunc piſcem eſſe anguillam. Re vera tamen piſcis erit congrus, anguillæ perſimilis. Hic error incurrit in mentem excellentiſſimi Raguſei, vt legere eſt in diſput. 2. ſua cap. 15. properauit etenim applicare præcognita, & voluit non peritus piſcium iudicare de piſce. Piſcatores interim aſſueti deſcernere accidentia anguillę ab accidentibus congri illum docuerunt. Idem euenit in pueris ex primo Phys. 5. quãdo puer vocat omnes viros patres, omnes fœminas matres: tunc non habet primum cognitum, aut primam cognitionem. Didicit iam puer ſonos *pater*, *& mater*, & didicit proferre illos. Cognouit antea totum confuſum accidentium patris, collectum ex ſtatura, veſtibus, blanditijs, & cęteris: didicit conferre vocem ſignificantẽ ad hoc totum confuſum ſignificatum: quamobrem ſi alter vir occurrat valde diſſimilis, non vocabit patrem: ſi vir ſimilis, vocabit patrem: neque enim adhuc diſcernit vnum totum accidentale ab alio toto accidẽtali. Sed poſterius reſoluens totum in partes componentes, notat in patre quædam accidentia, in alijs non reperta: quo facto determinatè vocat hunc patrẽ, non alios. Hic error puerorum naſcitur ex applicatione præcognitorum accidentium patris ad alium virum, qui non eſt pater. Sic dico de matre. Quod ſi animum aduertamus ad obiectum nouum, & conſideremus, quid ſit per ſe ſenſatum, & quid ſit in intellectu noſtro, moto à sẽſatione illius ſenſati ſimplici apprehenſione cognitum: fortaſſe faciliùs inueniemus primum cognitum prima intellectione originaria. Hoc nos monuit Ariſtoteles in 2. de anima 63. docens, ſenſum non decipi in obiecto per ſe proprio: decipi autem in applicatione proprij ſenſati ad ſenſata per accidens. *Sed*, inquit, *vnuſquiſque iudicat de his, & non decipitur, quòd color ſit, neque quòd ſonus: ſed quid ſit coloratum, aut vbi: aut quid ſonans, aut vbi*. Hæc autem applicatio fit ab imaginatione, & ab intellectu, ſequentibus ſenſum externum. Quocirca obiectum incomplexum à ſenſu repræſentatum primò, & ab intellectu apprehenſum non eſt cum applicatione, neque cum

deceptione. Illud igitur primũ cognitum requiramus. Hac de cognitione originaria, & collectitia, atque de fraude in applicatione præcognitorum ad nouum cognitum pluribus diuiſe non piguit, dummodo ad veritatem aſpirantibus prodeſſe poſſimus.

Diſtinguitur cognitio actualis in confuſam, ac diſtinctam.
Cap. VIII.

Num. 37. POſterior diuiſio cognitionis actualis per confuſam, & diſtinctam nobis fit obuiam, quam declarabimus cum Ariſtotele in primo phyſ. dicente. *Fiunt autem hoc idem quodãmodo & nomina ad rationem: totum enim quoddam, & indiſtinctè ſignificant, vt circulus: definitio autem ipſius diuidit in ſingula.* Ex iſto textu diſcimus cognitionem confuſam eſſe, quando aliquod totum cognoſcitur, ſicut exprimitur per nomen; diſtinctam verò quando idem concipitur, ſicut ſignificatur per definitionem. Nomẽ quippe ſignificat totum, & indiſtinctè: definitio totum diuidit in ſingula principia rei definitæ, vt puta diuidit in genus, & differentiam. Porrò lex naturæ eſt inuiolabilis, vt in nobis de toto prior ſit cognitio confuſa, quàm diſtincta, quandoquidẽ natura ſolet facere tranſitum ab extremo ad extremum per medium: vt à non eſſe animalis per ſomnum, quaſi per medium tranſitur ad eſſe animalis completum in actu ſecundo, prout in 5. de generatione animal. cap. primo legimus. Medium autẽ inter puram ignorationem, & diſtinctam cognitionem eſt cognitio confuſa; quare incipit intellectus noſter à cognitione confuſa, & in cognitionem diſtinctam deſinit. Decet enim inchoatum conſummare ſecundũ proverbium ex primo met. ſummæ prima cap. 2. Ita cum domus nobis occurrit, vno intuitu totam domum confuſè cognoſcimus: poſt hac ſingulas partes perluſtramus, oſtia, parietes, ambulacra, ſcalas, cubicula &c. quibus ſingulis cognitis reuertimur ad cognitionem domus totius literatam, ſed diſtinctam. Cauſam verò, cur cognoſcere confuſè totum eſt prius, quàm cognoſcere diſtinctè, acutiſſimè Scotus retexuit in primo diſt. 3. q. 2. Quia ſcilicet, non poſſumus ſimul primò habere multos actus multorum cognitorũ; ad habendam autem notitiam diſtinctam de vno toto, vt circulo, vel domo, neceſſarium eſt habere multas actuales cognitiones diſtinctas, tot, ſcilicet, quot ſunt principia conſtituentia totum. Sed ad habendam cognitionem confuſam ſufficit vnus actus terminatus ad totũ. Igitur primitus habetur vna intellectio confuſa de toto: deinde per reſolutionem inquirimus principia cõponẽtia vſq; ad prima, & irreſolubilia in priora. Cognitis omnibus principijs diſtinctè, tunc totum principiatum diſtinctè eſt cognitum. *Sicenim cognoſcere compoſitum arbitramur, cum cognoſcimus, ex quibus*

Digitized by Google

quibus, & quot ſit primo phyſ. 15. Si nanque mihi homo ſit obuius, vnum hominem vna cognitione confuſa apprehẽdam: qui homo, ſi diſtinctè ſit intelligendus, præſupponit cognitiones ordinatas ſecundum naturalem ordinem obiectorum componentium hominem: videlicet vnam de ente, aliam de modo entis, qui eſt *per ſe*: vnam de ſubſtantia, aliam de differẽtia corporei: vnam de corpore, aliam de animato: vnam de viuente, aliam de ſenſitiuo: vnã de animali, aliam de rationali. Quibus omnibus probè perſpectis, colligam vna cognitione definitiua ſingula principia ſic. *Ens, per ſe, corporeum, animatum, ſenſitiuum, rationale*; Ex iſta intellectione definitiua, naſcitur alia intellectio diſtincta de homine definito. Concludamus igitur illud eſſe primum cognitum cognitione originaria, quòd eſt primum confuſè cognitum.

Num 38. Quia diuiſa eſt cognitio per confuſam, & diſtinctam: operæ pretium eſt diſtinguere etiã cognitum per confuſum, ac diſtinctum. Confuſum eſt totum quòd plures habet partes, in quas diuidatur vt in principia: diſtinctũ, quod caret partibus: confuſum quidem ſi vno actu intelligitur, non præcognitis ſingulis partibus, confuſè cognoſcitur; ſi præcognitis omnibus, diſtinctè percipitur. Diſtinctum verò diſtinctè tantùm cognoſci poteſt, quia non habet partes, ſecundum quas partim ignoretur, partim noſcatur.

Veruntamen quia confuſum diximus eſſe totum, ſciendum eſt, totum eſſe duplex, totum actuale, ac totum potentiale. Totum actuale eſt, quod intrinſecè conſtituitur ex partibus, quas actu continet; totum potentiale eſt, quòd intrinſecè cõſtituit partes, in quibus eſt, & in eis continetur. Vt homo habet rationem vtriuſque totius. Si conſideres hominem, vt conſtitutum interne ex animali, & rationali actu contentis, eſt totũ actuale. Si vt internè conſtituit Sortem, vel Calliam, quos poteſtate continet, & in quibus actu continetur, eſt totum potentiale. Hic attentiùs annotare oportet in coordinatione prædicatorum, & ſubiectorum, vniuerſaliſſimum prædicatum, quod eſt ens, ſecundum rationẽ totius actualis eſſe partem tantũmodo, non eſſe totum: quia non conſtituitur ex partibus, in quas poſſit reſolui. Sed ſpecialiſſimum inter vniuerſalia eſſe totum actuale duntaxat, non partem, quia ſub ſpecialiſſimo nullum vniuerſale continetur, vel conſtituitur. At ſecundum rationem totius potentialis, ens eſt totũ ſolummodo, ſpecialiſſimum eſt pars tantùm. In hoc ratio controuerſiæ viget inter Thomiſtas, & Scotiſtas. Scotiſtæ volunt primum cognitum eſſe confuſiſſimum illud, quod habet rationem totius actualis, vt eſt ſpecialiſſimum. Thomiſtæ volunt, vt primò cognitum ſit illud confuſiſſimum, quod habet rationem totius potentialis, vt ens. Quamobrem duplex

erit cognitio confusa, prior, qua cognoscitur totum actuale indistinctè per nomen, cui opponitur cognitio distincta per definitionem. Posterior, qua cognoscitur totum potentiale, in quo omnes partes subiectiuę potentiâ continentur.

Num 39. Hinc apparet Scotum in primo dist. 3. quæst. 2. posuisse duplex totum, actuale, & potentiale; at non posuisse duas cognitiones confusas; cum tamen in 3. Prologi G. affirmauerit cognoscere hominem, vt est animal, esse cognoscere confusè. Cur ergo Doctor subtilis istam cognitionem confusam de toto potentiali non attulit? Cur non quęsiuit, an cognoscere confusè totum actuale sit prius, quàm cognoscere, confusè totum potentiale? Profectò cum asserit in primo dist. 3. quæst. 2. K, ens cognosci distinctè tantùm, quia est irresolubile in plures conceptus: loquitur de cognitione distincta, vt opponitur cognitioni confusę primo modo. Sed ens non concipi confusè tanquã totum actuale, aduersarij concedent. At obiicient ens cognosci confusè secundo modo, quia est totum potentiale, imò confusissimum in ratione talis totius: atque ob id primò cognitum cognitione confusa secundo modo, quæ dicetur esse cognitio originaria.

Nec solum insufficiens videtur Scotus omittens cognitionem confusam de toto potentiali: verùm & potest refutari, dum ait, specialissimum esse primum cognitum inter vniuersalia. Propterea quòd primum cognitum à nobis non est cognitum distinctissimum, & distinctissimè. Sed specialissimum est distinctissimum omniũ vniuersalium, & remotissimum à confusione potentiali, quia ipsum specialissimum habet vltimam actualitatem inter vniuersalia. Item specialissimum est cognitũ distinctissimè, quia non habet partes subiectiuas alterius, & alterius rationis scięntificè cognoscibiles, vnde Plato iubebat sciętias in specialissimis quiescere; ergo specialissimũ nõ est primò cognitum à nobis cognitione actuali originaria.

Respondetur pro Scoto ad rationes, quæ sunt obiectæ. Cap. VIIII.

Num 40. DVobus modis possumus satisfacere ijs, quę aduersus Scotum allatę sũt, obiectionibus. Primus modus est supplendo ex alijs locis à Scoto scriptis, quæ desunt in primo dist. 3. quęst. 2. Licet enim ibi non plenè enarrauerit duplex genus obiecti confusi, neque duplex genus cognitionis confusæ: in qnæstione tamen 16. super libros de anima vtrumque id prędstitit. Distinguit enim confusum actuale, vt est homo, & confusum potentiale, vt est animal in comparatione ad hominem & brutum, tanquã ad partes sub animali distinctas. Distinguit item duplex genus cognitionis confusæ, scribens: *Cognoscere autem confusè, est cognoscere, quid dicitur per nomen,*

vel

vel cognoſcere in ſuo vniuerſali tantum. Sed cognoſcere quid diſtinctè eſt cognoſcere id per propria principia poſita in ſua definitione. Quapropter cognoſcere confuſè eſt bifariam, primò quidem cognoſcere totum, non cognoſcendo vlla principia interna eius; ſecũdò autem cognoſcere totum, cognoſcendo eius principia cõmunia tãtùm: nam quando cognoſcuntur ipſius totius omnia principia interna, tùm communia, tùm propria: tunc profectò totum ipſũ diſtinctè cognoſcitur.

Nunc tempus eſt ſoluendi vnum argumentum Aquinatis, & Raguſei tale. Homo prius confuſè cognoſcitur, quàm diſtinctè; ergo prius cognoſcitur ens, quàm homo. Antecedens probatur, nam cognoſcere confuſè eſt medium inter puram ignorantiã, & cognitionẽ diſtinctã de homine. Cõſequẽtia probatur, quia cognoſcere ens eſt cognoſcere hominem confuſè.

Reſpondetur, cum duplex ſit genus cognitionis confuſæ: prima cognitio originalis eſt illa cognitio confuſa, qua cognoſcitur homo, vt totum, & indiſtinctè, ſicuti ſignificatur per nomen ex primo Phys. §. Secunda cognitio confuſa eſt, qua partes ſubiectiuæ in toto potentiali confuſè intelliguntur; ſed in ea ipſa cognitione confuſa (ſi tamen confuſa dici meretur) incipit cognitio diſtincta, & quiditatiua partium. Concedo igitur vtranque cogoitionem confuſam eſſe priorem, quàm ſit cognitio diſtincta de homine. Verùm inter confuſas prior eſt illa, qua homo apprehẽditur, vt totũ, & indiſtinctè, quàm illa cognitio confuſa, qua apprehenditur diſtinctè prima pars quiditatiua hominis. Nunc Scoti, verba refero. *Verũ enim eſt, quòd cognoſcere aliquid confuſè ſcilicet minus vniuerſale, eſt medium inter puram ignorãtiam, & cognitionem eius diſtinctam: & ſic cognitio alicuius confuſa prior eſt cognitione eiuſdem diſtincta. Sed propter hoc non ſequitur, quòd cognitio confuſi, ideſt magis vniuerſalis, ſit prior cognitione diſtincta, ideſt minus vniuerſalis, niſi loquendo de cognitione diſtincta, vt dictum eſt. Imò eſt fallacia conſequentis a pluribus cauſis veritatis ad vnam. Cognitio enim confuſa alicuius minus vniuerſalis eſt, vel quando cognoſcitur tantùm de ipſo quid eſt, quod dicitur per nomen: vel quãdo cognoſcitur in ſuo vniuerſaliori, vel confuſo. Non ſequitur igitur; cognitio confuſa minus vniuerſalis eſt prior tempore, quàm cognitio eius diſtincta: igitur cognitio ſui vniuerſalioris, vel magis confuſi eſt prior.* Hactenus Scotus. Exiſto Scoti loco integram habemus doctrinam de cognitione confuſa & quod vtraque confuſa cognitio præcedit cognitionem diſtinctam obiecti minus vniuerſalis; ſed ex cognitionibus confuſis priorem eſſe illam, qua totum actuale apprehenditur ignoratis omnibus partibus quiditatiuis: poſteriorem eſſe illam, qua pars prima quiditatiua apprehenditur, vel plures partes quiditatiuæ

Num 41. ue ſed communes.

Corollarium, hinc educo aduerſus Raguſeum. Ens communiſſimum neutro ex his modis confuſæ cognitionis poteſt cognoſci confuſè. Non priori modo, quia cognitio confuſa prior eſt de toto cum ignoratione partium, in quas reſoluitur quiditatiuè; ens autem non habet principia, ſuè partes internas quiditatiuas, in quas reſoluatur; ergo non poteſt cognoſci confuſè propter ignorationem partium. Non poſteriori modo, quia cognoſcere confuſè modo poſteriore eſt cognoſcere inferius in ſuo vniuerſali: At ens non habet ſupra ſe aliquid vniuerſale, in quo vniuerſali cognito, ipſum ens confuſè cognoſcatur; ergo neque ſecundo modo poteſt cognoſci ens confuſè.

Nunc audiamus iudicij Raguſei diſput. 2. c. 10. ſcribentis. *Aliud eſt intellectum concipere ipſum ens, & aliud eſt intellectum concipere aliquid ſub ratione entis. Admitti quidem poteſt, dum intellectus concipit ens, illud ipſum diſtinctiſſimè cognoſcere ea ratione, quam ſubtiliter Scotus adduxit. At verò dum intellectus aliquid concipit ſub ratione entis, non illud quidem diſtinctè, ſed confuſè intelligit; quia cognoſcere aliquid diſtinctè, non eſt illud ſub communiſſima ratione cognoſcere, cuiuſmodi eſt ratio entis: ſed ſub propria, vel ſpecifica ratione.* Hæc ille.

Sed non ſatis ad Scotum reprobandum fecit. Aliud quippe eſt intelligere ens, aliud eſt intelligere aliquid ſub ratione entis. Ex hoc dicto Raguſei ſequitur, quòd ipſum inferius confuſè intelligitur in ſuo vniuerſali: ſed non ſequitur, quòd ipſum ens vniuerſale confuſè intelligatur.

Id magis eluceſcet, ſi quæramus cauſam, quare inferius dicitur cognoſci confuſè in ſuo ſuperiori. Cognitio confuſa eſt, qua cognoſcitur totum, ſeu principiatum cum ignoratione principiorum, vel omnium, vel quorundam. *Vnde tunc arbitramur cognoſcere vnumquodque*, ſcilicet ſimpliciter, *cum cauſas primas cognouerimus, & principia prima, & vſque ad elementa.* Cum primo phys. primo & primo poſt. 7. Et comparando magis, ac minus vniuerſale, quòdo minus vniuerſale, quod eſt totum, cognoſcitur, tria membra naſci poſſunt. Primum, quo cognoſco, verbi gratia, circulũ præciſè vt totum, & indiſtinctè, ignoratis omnibus principijs. Secundum, quo cognoſco circulum eſſe ens, vel ſub ratione entis. Tertium, quo cognoſco circulum eſſe ens in alio, quale linea terminatum, vt ſit figura plana, vna circunferentia comprehenſa, à cuius medio omnes rectæ ad circunferentiam ductę ſunt æquales. Hæc tertia cognitio, qua cognitione definitiua reſoluo circulum in ſingula principia ſua, eſt diſtincta: quoniam etiam ex confeſſione Raguſei cognoſco circulum ſub ratione cõmuni, & propria. Prima cognitio eſt omnino confuſa, cum ignorem omnia principia. Secunda cognitio eſt confu-

ſuſa reſpectu tertiæ, ſed tamen reſpectu primæ magis recedit à confuſione, & accedit ad diſtinctionem: quia magis appropinquat ad cognitionem diſtinctã, qui cognoſcit aliquod principium circuli, quàm qui nullum. Quocirca cognoſcendo circulũ eſſe ens, cognoſco ipſum ens diſtinctè, & incipio habere cognitionem diſtinctam de circulo, cum cognoſcam principium circuli quiditatiuum ſimpliciter primum. Ideò cognitio entis potius eſt diſtincta etiam in ordine ad inferiora, cum in cognitione entis initium ſumat omnis diſtincta cognitio inferiorum. Poterat quidem Raguſeus indicare quandam cognitionem entis confuſam, ſed nos id infrà præſtabimus, ille quod facere inſtituerat, non præſtitit.

Num. 41. Duo nobis in controuerſia ſunt adhuc circa cognitionem confuſam, & diſtinctam. Quorum primum eſt defendere deſcriptionem cognitionis confuſæ, atque diſtinctæ aduerſus Pererium. Reliquum eſt, ex duabus confuſis cognitionibus oſtendere priorem eſſe illam, qua cognoſcitur totũ ignoratis omnibus partibus, quàm ſit illa, qua cognoſcuntur quædam partes. Hoc enim Scotus aſſeruit, ſed nobis, ne forte negetur, probandum erit.

Pererius ergo in lib. 3. natural. cap. 13. ad 9. ait. *Si hæc ratio valeret, concluderet ens non diſtinctè poſſe concipi à nobis; nam cum diſtinctè cognoſci oppoſitum ſit ei, quòd eſt confuſè cognoſci ſi confuſè cognoſci eſt apprehendi aliquod ignoratis partibus, et principiis eius; ergo diſtinctè cognoſci erit rem intelligi, cognitis partibus, & principiis eius. Quare cum ens non careat partibus, & principiis, quemadmodum propter hoc non poteſt ſecundum Scotiſtas cõfuſè cognoſci: ita quoque propter eadem nec diſtinctè cognoſci poterit.*

Reſpondeo, Scotiſtæ ſuam deſcriptionem acceperunt ab Ariſtotele in primo phyſ. 5. Indiſtinctè cognoſci eſt cognoſci totum, ſicut ſignificatur per nomen: ergo ex oppoſito cognoſci diſtinctè, eſt ſicut ſignificatur per definitionem in ſingula prædicata quiditatiua diuidentem. Ex quo patet, quòd cauſa cognitionis confuſæ eſt ignoratio principiorum: cauſa cognitionis diſtinctæ eſt cognitio principiorum omnium. Vnde autẽ Pererius conſarcinauerit ex tot fragmentis illam ſuam definitionem cognitionis confuſæ, viderit ipſe. Quare cum Ariſtotele, vbi adeſt hæc cauſa cognitiones indiſtinctæ, adeſſe poteſt cognitio indiſtincta: vbi cauſa non adeſt, neque cognitio indiſtincta adeſſe poteſt. Si enim affirmatio eſt cauſa affirmationis & negatio negationis, per primum Poſter. 99. Contemplemur hoc in complexis. Quando in primo Poſter. 7. dicitur. *Scire ſimpliciter eſt cognoſcere cauſam, propter quam res eſt*: non debes inferre, prima principia non poſſe cognoſci confuſè, nec diſtinctè. Non confuſè, quia cognoſcere confuſè eſt cognoſcere rem, ignorata cauſa eius; ſed

sed prima non habent causam, ergo nequeunt confusè cognosci. Non etiam distinctè, quia cognoscere confusè, & distinctè apponuntur: & sicut cognoscere confusè est cognoscere rē, & non cognoscere causam, propter quam res est; ita distinctè cognoscere est cognoscere rem, & causam, propter quā res est. Sed principia nō habēt causā, ergo nō possūt cognosci distinctè. Imò secūdū argumentationē Pererii ducimur in errorem ab Aristotele refutatum primo post. cap. 3. dicentium, nihil posse sciri à nobis simpliciter, quia principia non sciuntur simpliciter. Quamobrem hæc illatio est cauillatio; siquidem cognitio confusa effectus est solùm ob ignorationem causæ; sed distincta cognitio ex duplex, vna ex cognitione causæ, & hæc per aliud emendicata, effectui competit post, & per cognitionem causæ. Altera est cognitione sui per semetipsum, quia ipsum nō habet causam: & ista cognitio est simpliciter melior, quàm scientia per causam. Hæc melior dispositio primis principiis complexis congruit, nam principia sunt per se nota: conclusiones per aliud sunt cognitæ, quo ignorato possunt esse cognitæ, sed indistinctè. Ita in re nostra com posita, seu tota cognoscuntur confusè, solum propter ignorantiam principiorum: distinctè autem cognoscūtur principiata per cognitionē principiorum. Imprincipiata per se ipsa cognoscuntur distinctè, quæ cognitio melior est. Concedenda verò est, ne procedamus in infinitum diuidendo in singula. Itaque ignoratio causæ potest negari ab aliquo per duas causas, vel per cognitionem causæ, vel per cognitionem rei nō habentis causam; at argumentum Pererij est cum decipula consequentis à propositione habente duas causas veritatis ad vnam illarum; cum ergo ens non sit resolubile in partes, & principia non poterit esse cognitum confusè ob ignorationem principiorum, neque distinctè ob cognitionem principiorum internorum, sed per semetipsum distinctè cognoscetur, & erit principium cognoscendi omnia principiata distinctè.

Num 41. Iam instat secundum. Probemus ex duplici cognitione confusa, priorem esse illam, qua totum cognoscitur, vt significatur per nomen sine cognitione vllius partis, vel principi: posteriorem esse illam, qua cognoscitur totum per cognitionem alicuius principij vniuersalis. Cum enim ponimus ignorare principia circuli vel omnia, vel quædā: prior est ignoratio omnium, quàm quorundam; nisi aliquis cogatur, postquam cognouit vnum principiū circuli, obliuisci illius principii, vt posterius possit habere ignorationem omnium principiorum; quod est ridiculum.

Sanè Aristoteles primo phys. 5. primo loco ponit cognosci cōfusè circulum, vt per nomen indicatur; secundo cognosci definitionem circuli resoluentem

in

in ſingula principia circuli; ergo cognitio circuli, & veluti principij ſui pertinet ad ſecundam cognitionem, quæ diuidit in ſingulum principium.

Secundò, circulus, qui eſt ſpecies ſpecialiſſima, aut prius concipitur in ſe, aut prius concipitur in ente; ſi primitus in ente, ergo prima cognitio noſtra non eſt de vno ſolo obiecto incomplexo, ſed potius de duobus, ideſt, de circulo, & de ente, in quo circulus cognoſcitur. Atqui prima cognitio originalis eſt apprehenſio ſimplex de vno incomplexo in ſe, non de duobus, quorum vnum ſit complexum cum alio; quemadmodùm cum dico, *circulus eſt ens*; tunc enim cognoſco circulum in ente confuſè, quando ipſi circulo applico rationem entis. Ergo prima cognitio non eſt, qua cognoſco circulum eſſe ens. Si verò dicatur ſolùm ens primo apprehendi, nullo inferiorum apprehenſo, planè prima originalis cognitio erit de ente in ſe: ergo prima cognitio originaria erit cognitio diſtinctiſſima omnium, quæ haberi poſſunt ab intellectu noſtro, quòd eſt abſurdum; nam ordo confuſè cognoſcendi eſt nobis origine prior ordine diſtinctè cognoſcendi. Conſequentia patet, quoniam non poteſt quicquam intelligi in reſpectu, vel ſub reſpectu ad aliud, niſi prius naturâ cognoſcantur, & ipſum, & aliud; ergo neque ens poteſt cognoſci in reſpectu ad inferiora, vel ſub reſpectu potentiæ ad inferiora, niſi præcognoſcantur aliqua inferiora. Nulla ergo cognitio de ente, vt eſt totum potentiâ contentum in partibus, primò habebitur, ſed præcisè de ente in ſe, quòd eſt prorſus irreſolùbile in partes, & principia, atque adeò ſimpliciter ſimplex, & ſolummodo diſtinctè cognoſcibile. *Num.* 44.

Duæ ſunt hâc ratione breues. Omnis cognitio complexa de ente cum aliquo, præſupponit cognitionem vtriuſque incomplexi: ergo complexa non eſt prima. Omnis cognitio in reſpectu ad aliud præſupponit cognitionem vtriuſque extremi illius reſpectus; ergo cognitio de ente, vt reſpicit inferiora, & cognitio inferiorum, vt reſpiciunt ens, non eſt prima; igitur prima cognitio, qua cognoſcimus circulum, nõ eſt cognitio entis, vt eſt principium circuli, vel circuli, vt eſt principiatus ab ente: ſed eſt cognitio de circulo præcisè, & ob id confuſè.

Sic primo phyſ. 3. aſſerunt confuſa magis primò nobis eſſe dilucida: poſterius ex diuiſione cõfuſorum innoteſcere principia, & elementa; igitur primò nobis circulus eſt dilucidus, **poſterius innoteſcunt principia interna eius, cuiuſmodi eſt ens, & qualitas. Ergo cognitio cõfuſa ſine vllo principio eſt prior nobis, quàm cognitio alicuius principij, quod per diuiſionem poſterius fit notum.**

Respondetur alio modo ad obiectiones capitis octaui. Cap. X.

Num. 45. SEcundus modus respondendi ad obiectiones, quæ cõtra Scotum fiebãt in calce octaui capituli est cõcedere, cognosci à nobis ens confusè, & rationem reddere, propter quã Scotus meritò non tractauerit de cognitione confusa entis, aut cuiusuis totius potentialis, siue totius vniuersalis. Primò quidem ens potest cognosci trifariam: vna cognitio est, qua cognoscitur ens in se, & absolute; posterior, qua cognoscitur in respectu ad priora naturâ, tanquam ad principia; tertia, qua cognoscitur, vt est principium posteriorum, atque in ordine ad partes subiectiuas, ad quas est in potentia. In prima cognitione ens cognoscitur distinctè per semetipsũ, & non per aliud: sed reliqua tota vniuersalia, seu potentialia, vt cognoscuntur absolutè & in se, veluti substãtia, aut animal: qualitas, aut rectilineum cognoscuntur confusè, propter rationem, quàm sumus iam iam dicturi. In secunda cognitione ens cognoscitur, sed cũ non habeat aliquid prius naturâ, neque partes, aut principia, ex quorum ignoratione confusè cognoscatur, adhuc ens cognoscitur non confusè, sed distinctè. Cætera verò, quæ obtinent rationem totius potentialis, cognoscuntur confusè hac secunda cognitione, quia constant ex partibus, & principijs, quibus ignotis, & ipsa tota confusè cognoscuntur. Quanquam rigorosè loquendo in ista consideratione potius debeant appellari tota actualia, quæ habeant principia interna, partesque internas priores: quàm tota potentialia, quæ sunt principia, & partes internæ inferiorum, respectu quorum dicuntur tota. In tertia cognitione ens, & quodlibet vniuersale dicitur confusè cognosci, quatenus est totum potentiâ, habens partes subiectiuas, in quibus totum ipsum continetur. Idcirco Doctor subtilis in primo dist. prima quæst. 2. E. affirmat commune indiuisibile distinctè cognosci, etiam si nõ sint cognita illa, quibus est commune: commune diuisibile verò confusè cognosci, nisi ea, quibus est commune, cognoscantur. Hoc pacto ens, vt est potentiâ ad substantiam, quantum, quale, & cætera inferiora, est commune diuisibile in istis: at istis ignoratis, confusè apprehenditur sub ratione totius potentialis. Hoc membrum cognitionis nõ attulit Raguseus, quando volebat asserere ens confusè cognosci; sed dixit ens cognosci vel in se, vel aliud in ente. Sed ens neutro istorum modorum confusè cognoscitur, prout capite præcedenti dictum est. In isto tertio cognitionis modo Thomistæ pedem figũt, contendẽtes ipsum ens esse primò cognitum à nobis ordine cognitionis confusę originariæ. In isto Scotistæ insistere debẽt, probaturi talem entis cognitionem, quate-

tenus eſt potentiale totum, non eſſe primam. Ego duo peragã, primum, oſtendam talem cognitionem totius potẽtialis cõparati ad partes ſubiectiuas, ſecundum Ariſtotelem non eſſe confuſam, ſed diſtinctam: quare ſi propriè loqui velimus, non dicemus totum potentiale cognoſci confusè. Secundum, dato, quòd totum potentiale cognoſcatur confusè, vt comparatur ad partes ſubiectiuas, ad huc iure à Scoto fuiſſe talẽ cognitionem prætermiſſam in tractatione de primo cognito cognitione confuſa originali.

Num 46. Quod attinet ad primum, cognitionem, qua cognoſcitur totum potentiâ, vt animal, in ordine ad differentias, quas poteſtate habet, & ad ſpecies, vel indiuidua, quæ poteſtate conſtituit, non eſſe confuſam, probo. Primò ex Ariſtotele 2. phys. 5. docente, circulum indiſtinctè cognoſci per nomen, diſtinctè cognoſci per definitionẽ in ſingula principia circuli diuidentem. Sed circulus eſt ſpecialiſſimum, & vt cognoſcitur indiſtinctè non comparatur ab Ariſtotele ad hunc, vel illum circulum ſingulares, puta ad circulum aureum, vel ligneũ: ſed cõparatur circulus ad genera, atque differentias, ex quibus conſtructa eſt definitio. Circulus autem, vt comparatur ad circulos ſingulares inferiores, habet rationem totius potentialis: vt comparatur ad principia definitiua genus, ac differentiam, habet rationem totius actualis præciſè; igitur ſignificari, & intelligi indiſtinctè à Philoſopho poſitum eſt præciſè in ratione totius actualis. Extendere autem rationem intellectionis indiſtinctę ad totum potentiale, videtur mihi ex noſtris eſſe placitis, non ex placitis Ariſtotelis. Quare & Scotus aduerſus Henricum loquens, conceſſit cõmune diuiſibile cognoſci confuſè, hoc enim ſufficit aduerſus Henricum ita ſentientẽ; alioqui proprijs in locis primo diſt. 3. quęſt. 2. & quæſt. 16. de anima ſuſtinet talem cognitionem pertinere ad ordinem cognitionis diſtinctæ: quo in ordine procedimus à magis cõmunibus ad minus communia, ex 1. phys. 57. ac tertio phys. 2.

Quocirca textus quartus primi phys. de quo infra, dicens, *Num 47.* ex vniuerſalibus ad ſingula procedere oportere, quia vniuerſale eſt totum quoddam; intelligi debet de vniuerſali comparato ad ſuperiora, & principia, non ad inferiora, & principiata. Quod patet, nam initio textus quinti ſcribitur, *patiuntur autem hoc idem quodãmodo & nomina ad rationem: totum enim quoddã, & indiſtinctè ſignificant, vt circulus: definitio autem ipſius diuidit in ſingula.* Sicut ergo circulus eſt totum quoddam, ſic etiã eſt vniuerſale: à cognitione circuli procedimus ad ſingula, ſic à cognitione vniuerſalis procedere oportet ad ſingula. Græcè nanque eadem eſt vox in textu quarto *ex vniuerſalibus ad ſingula* & in textu 5. *diuidit in ſingula* Quanquam Latinè quidam trãſferant *ſingularia*, ſed vtrobi-

que eſt Græcè eadem vox, & vtrobique eſt eodem modo in Latinũ interpretanda. Quare vtrobique ſignificat non inferiora ad vniuerſale, aut definitum, ſed ſuperiora, & principia ſingula. Id etiam oſtendunt illa verba *patiuntur hoc idem & nomina ad rationem*: hoc eſt *idem commune* eſt in vniuerſali, dum procedimus ad ſingula principia, vel partes contentas: & in nominibus, dum procedimus à nomine ad definitionem, & ſingula prædicata definitiua. Nec aliter poteſt intelligi; quoniam in textu 2. proponit Philoſophus à notioribus nobis eſſe procedendum ad notiora naturâ, & ſimpliciter: non dixit ad ignota nobis procedendum, quia poſſemus procedere à principio nobis noto ad principiatum nobis ignotum, vt ſi ex albedine nobis cognita, procedamus ad cognoſcendam ſpeciem albedinis in oculo receptam. At hoc eſt contra mentem Philoſophi, qui cum dixiſſet in textu primo, eſſe primùm dicendum de principijs naturalibus, poſt hac de principiatis, quod ſpectat ad ordinem cognitionis diſtinctæ; ſtatim tranſit ad methodum, qua nos poſſimus principia cognoſcere; ſtatuitque regulam, à nobis notioribus procedendum eſſe non ad quæcunque ignota nobis: ſed ad illa ignota nobis, quæ ſunt notiora naturâ, & ſimpliciter. Sub iſta regula tanquam propoſitione maiore adiungit minorem. *Sunt autem primò nobis illuſtria, & manifeſta cõfuſa magis: poſteriùs autem ex his nota ſiunt elementa, & principia diuidendo hæc.* Relinquum nobis colligendam concluſionem, ergo ex confuſis magis per diuiſionem procedere oportet ad principia, & elementa. Cum iſta concluſione aliam per particulam collectiuam coniungit. *Quapropter ex vniuerſalibus ad ſingula procedere oportet.* vbi debes ſubintelligere minorem: ſed vniuerſalia ſunt confuſa magis, ex quorum diuiſione innoteſcunt principia ſingula & partes contentę in vniuerſalibus; ergo ex vniuerſalibus ad ſingula procedere oportet. Quamobrem ab vniuerſalibus, tanquá à nobis notis, procedendum eſt ad ſingula, tanquam ad priora, & notiora ſimpliciter, tanquã ad principia, & partes contentas. Nunc autem ſi à toto vniuerſali, & potentiali pergas ad inferiora, & ad partes ſubiectiuas, procedis ad poſteriora naturâ, ad principiata, ad continentia ipſum totum vniuerſale, ad externa, non ad interna principia; igitur ad mentem Ariſtotelis debemus intelligere progreſſum eſſe faciendum ab vniuerſalibus, vt definitis, ad ſingula principia, & elementa, hoc eſt ad ſuperiora non ad inferiora: ad priora, & principia non ad poſteriora, & principiata, qualia ſunt inferiora vt homo, & brutum reſpectu animalis. Animal quippè eſt prius naturâ, quàm homo, vel brutum: eſt principium vtriuſque ſpeciei: eſt in quid contentum à ſpeciebus, ac elementum ſpecierum.

ma-

tanquam principium definiens ſpeciei, 6. Topicorum loco 18. non ergo cognitio ipſius vniuerſalis, vt eſt totum potentiale, ſed vt eſt totum actuale, ponitur eſſe cognitio confuſa. Sic nanque totum ſecundum ſenſũ eſt notius, ſicuti totum ſecundũ intellectum: atqui totum ſecundum ſenſum eſt totum actuale in illo primo phys. igitur totum ſecundum intellectum, quod eſt totum vniuerſale. Sic enim Ariſtoteles loquitur de vniuerſali eo loci, ſicuti nos cum ipſo dicimus, de vniuerſali eſſe definitionem, demonſtrationem, ſcientiam: quæ habentur de vniuerſali, non in comparatione ad poſteriora, & inferiora; nam definitionem animalis per hominem, & brutum nemo tradit, niſi deſipiat: neque paſſio demonſtrabilis de animali poteſt demonſtrari de homine, & bruto; niſi ſophiſtico modo, primo poſt. 41. neq; ſcientia de ſuperioribus per inferiora traditur.

Num 48. Reuertamur ad probandum propoſitum. Quando pergimus à prioribus naturâ ad poſteriora, à communibus ad propria: tunc ſumus in ſtatu ſcientiæ, & illum ordinem ſeruamus in cognoſcendo, quem ſeruat natura in eſſendo. At in hoc ordine primum cognitum eſt vniuerſale, vt ens, quatenus eſt principium poſteriorum, ergo cognoſcere totum vniuerſale, vt eſt totum potentiâ, & principium inferiorum, eſt cognoſcere diſtinctè totum potentiale, non confuſè.

Tertiò, in primo poſter. 5. & 6. diſcimus, quonã modo cognoſcamus ipſum binarium per demonſtrationem, concludentes omnem binarium eſſe parem, & quonam modo cognoſcamus hunc binarium ſingularem, oculatum tamen. Illam concluſionem *omnis binarius eſt par*, ſimpliciter cognoſcimus: binarium ſingularem nõ ſimpliciter, ſed vniuerſaliter quoniam in vniuerſali cognoſcitur. Et in eodem primo poſter. 170. demõſtratio vniuerſalis eſſe potior ſingulari oſtenditur: quoniam dũ habemus vniuerſalem, omnis triangulus habet tres &c. cognoſcimus potentiâ, quòd æquicrus habet tres, etiam ſi ad huc non cognoſcatur æquicrus actu. Sed concluſio habita per demonſtrationem vniuerſalem eſt ſcita ſimpliciter, particularis eſt cognita potentiâ, igitur quando cognoſcitur totum vniuerſale, in quo continentur inferiora poteſtate, ipſum ſimpliciter cognoſcitur, quare, & diſtinctè: ſolùm inferiora dicuntur cognoſci potentiâ in illa ratione communi. Eapropter, & ens, & qualitas, & figura ſimpliciter, ac diſtinctè cognoſcuntur, etiam quando comparantur ad inferiora, quæ potentiâ cognoſcuntur in ſuperiori.

Quòd ſpectat ad ſecundum, oſtendere deſidero iſtam cognitionem confuſam totius potentialis (quamuis minus verè dicatur confuſa) meritò fuiſſe à Scoto prætermiſſam: eò quod Scotus loquitur de cognitione actuali originaria. Conſidera-

Num 49.

tur

tur itaque ens ſecundum actualitatem ſuam, & ſecundum potentialitatem ad inferiora. Primo modo non poteſt cognoſci ens, niſi diſtinctè, vt ſupra dixi, ergo talis cognitio non eſt originaria, quia non eſt confuſa. Secundo modo non poteſt cognoſci, niſi poſt cognitionem modorum, aut differentiarum diuidentium, atque etiam ſpecierum, & ſingularium includentium ipſũ és in quid: propterea quòd potentia non eſt ratio cognoſcẽdi, neque poteſt cognoſci, niſi per actum 9. met. 20. ſed potentialitas entis terminatur ad actum, qui eſt vel modus, vel differentia diuidens, & ad totũ actuale conſtitutum ex ente, vt prædicato dicente quid, & ex modo, vel differentia, vt ex prędicato dicente quale; ergo prius neceſſe eſt cognoſcere actuali cognitione aliqua inferiora ente, ex quorum cognitione poſſit cognoſci potentia ipſius entis ad illa, & alia inferiora. Cum itaque talis cognitio entis tanquam totius potentialis nõ poſſit haberi à principio cognitione originaria, iure Scotus neglexit talem tractationem.

Alia quoque ratio afferri poteſt, ob quam Scotus non attulit cognitionem cõfuſam totius potentialis, & diſtinctam huic oppoſitam. Quoniam cognitio ſcientifica eſt ſimpliciter diſtinctæ, in qua tamen conſiderantur prædicata quidditatiua, ſeu primi modi per ſe, & demonſtrantur propria, quæ ſunt ſecundi modi per ſe, vt ſcilicet, ex definitione paſſiones demonſtrentur iuxta 4. phys. 31. ſed in proceſſu ſcientifico primi, vel ſecũdi modi, ideſt, in definitione, atque demonſtratione, non cõſiderantur inferiora ad ſubiectum, imò ſi hoc fiat attribuetur, & definitio, & paſſio non ſubiecto primo, & vniuerſali, ſed ſubiectis, quæ accidunt; neque enim per ſe primo, vel ſecundo modo inferiora inſunt ſuperiori, fieretque error vniuerſalis ex primo Poſt. 37. &c. Si igitur cognitio ſcientifica eſt de ſubiecto vniuerſali, etiam non conſideratis inferioribus, apparet, quòd confuſio potentialis, quæ ineſt ipſi vniuerſali, non violat cognitionem ſimpliciter diſtinctam: Ideò ſcilicet, quia ipſum vniuerſale ſcitur diſtinctè per ea, quæ ſibi actu conueniunt, non per ea, quæ potentiâ ſunt, nam & hæc relatio potentiæ eſt ad poſteriora, & principiata. Res autem per priora ſimpliciter innoteſcit.

Denique ſi conſideras confuſionem potentialem, & actus diſtinguentes ipſam; veliſque ad cognitionem diſtinctam totius vniuerſalis cognoſci omnes partes infimas eius: rem impoſſibilem quæris. Nam ad cognoſcendum ens diſtinctè, prænum 50. cognoſcenda tibi erunt omnia generaliſſima, ſubalterna, ſpecialiſſima, ſingularia, ſiquidem & ſingularitas eſt vltimus, ac determinatiſſimus actus (niſi ſuppoſitalitatẽ poſitiuam ponas) Nullus autem intellectus finitus nouit, aut noſſe poteſt omnia ſingularia prętérita, prę-

ſen-

ſentia, futura: fortè neque omnes ſpecies, ſi poſſunt in infinitum multiplicari, vt ſpecies numerorum, figuratum, ac diuiſionum continui. Quin etiam ſi cognitionem partium potentialium requiras ad cognitionem diſtinctam vniuerſalis, nunquã cognoſces vniuerſale diſtinctè, quanquam cognoſcas per definitionem diſtinctè, quod eſt cõtra Ariſt. primo phys. 5. Dicito enim, homo eſt ſubſtantia, corporea, animata, ſenſitiua, rationalis. Tunc ſecundum admirandum iſtud poſitum, non cognoſces vllam diſſinitionis partem diſtinctè, niſi prius cognoueris omnes inferiores ſpecies ad ſubſtantiam, puta omnes ſpecies intelligentiarum: omnes ſpecies corporum, omnes ſpecies viuentium, omnes ſpecies animalium, omnes ſpecies, aut ſingularia rationalium. Qui, error Speuſippi videtur fuiſſe, depulſus ab Ariſt. 2. poſt. 76. dicente ſic. *Nihil oportet definientem, & diuidentem omnia ſcire entia, quamuis impoſſibile dicunt aliqui &c.* Quod & robuſtè & diffusè refellit. Quapropter meritò iſta confuſio, diſtinctioque negligitur à Scoto, vt pote accidentaria, & quæ nunquam poteſt ad diſtinctam oppoſitam peruenire. Eligitur verò cognitio diſtincta, & confuſa ſecũdum totum actuale ſolũmodo: nam à tali confuſa ad diſtinctam progreſſus eſt poſſibilis.

Num 51. Per hanc doctrinam tollitur vnum argumentum contra Scotum militans. Quod tale eſt. Quod non eſt ſeparabile à confuſione eſt magis confuſum, quàm quod eſt ſeparabile. Atqui totum potentiale non eſt ſeparabile in cognoſci à confuſione, quoniam ſingularia, quæ ſunt partes ad infinita incidunt, iuxta primum Poſt. tex. 167. in infinita verò impoſſibile eſt pertrã ſire cognoſcendo: totum actuale poteſt eximi à confuſione, quia principia per ſe componẽtia totum ſiue ſenſibile, vt materia, & forma, ſiue intelligibile, vt genus, & differentia, nõ procedunt in infinitum 2. met. cap. 2. ergo totum potentiale eſt magis confuſum, ergo & primò notum iuxta 1. phyſ. 3.

Reſpondetur negata maiore, quoniam confuſio maior, vel minor non attenditur à ſeparabilitate, vel inſeparabilitate; ſed ab actualitate rei cognoſcibilis, actus enim ſeparat, & diſtinguit 7. met. 49. Igitur quia totum actuale eſt verè, & ſimpliciter totum, ipſum totum actuale eſt ſimpliciter confuſum, & ſimpliciter primò notum. Totum potentiale eſt totum per intellectum, totum ſecundum quid, & quaſi metaphoricum, (vnumquodque enim eſt ſimpliciter tale, quia eſt actu tale, non quia potentiâ) ea propter totum potentiale nec verè totũ, nec verè confuſum eſt. Quamobrem cognitio verè diſtincta, vel confuſa exploranda eſt ex toto actuali, non ex potentiali: & primum notum nobis erit illud, quòd eſt primum totum actuale cognitum à nobis. *2. phyſica 12.*

Ad extremum. Eadem ſunt prin-

principia eſſendi, & cognoſcẽdi: ſicut nanque res ſe habet ad eſſe, ſic ad cognoſcibilitatem ſe habet. Potrò ens vniuerſale nõ habet ſuã entitatem ab inferioribus, imò eſt priùs naturã eius: idem dico de quocunque ſuperiore reſpectu inferiorum: igitur ſiue poſteriora illa cognoſcãtur, ſiue ignorentur, nihil hoc refert ad cognitionem confuſã, vel diſtinctam ipſius ſuperioris. Quare ens vniuerſaliſſimum cognoſcetur diſtinctiſſimè, ſine comparetur ad priora, quę non habet: ſine ad poſteriora, quæ nullam enti cognoſcibilitatem, vel cognitionem à parte rei tribuunt, ſed neque adimunt. Solum relatio poſſibilitatis in ente fũdata erit ignota, niſi præcognitum ſit fundamentum, ac termini, hoc eſt inferiora. His præmiſſis Ariſtotelicam opinionem proferamus.

Ariſtotelis ſententia profertur, ea eſt ſpecialiſſima inter vniuerſalia eſſe primum à nobis cognitum. Cap. XI.

Num 32. DVm intellectus noſter à ſenſu procedit, & à ſingulari ſenſato ad obiectum vniuerſale conſcendit in prima cognitione originaria: non omnia vniuerſalia ſimul intelligit, ſed ſpecialiſſimum; illud verò (cum Scoto adijciam) ſpecialiſſimum primò cognoſcitur, quod efficacius mouet ſenſum. Interea triplex conditio ſupponitur ad hoc vt ſingulare ſenſibile exactè ſenſum moueat. Prima vt potentia ſenſitiua ſit recte diſpoſita, ſecunda vt medium ſit debita diſtantia & oportunè ac commodata ad ſenſationem. Tertia vt obiectum ſenſibile ſit ſufficienter motiuum. His quippe conditionibus obſeruatis ſenſus circa proprium ſenſibile ſuper erit verus. Hanc autem eſſe Ariſtotelis ſententiam, ex Ariſtotelis authoritatibus primùm oſtendam: de hinc rationibus & Scoti, & meis eandem corroborabo.

Igitur Ariſtoteles frequenter diſtinguit, ea quæ ſunt notiora naturã, ſeu ſimpliciter ab his, quæ ſunt notiora nobis. Ita in 1. poſt 12. & 96. in 7. met. to. in 1. Eth. cap. 4. & ſæpius. Opportuniora quædam loca pro mam, aliis relictis.

Primus eſt in 1. poſt. 12. Dicens, inquit, *aduersus quidem priora, & notiora, quæ ſunt propinquiora ſenſui: ſimpliciter autem priora, & notiora, qua longius. Sunt autem longiſſimè quidem ipſa maximè vniuerſalia, proximè verò ipſa ſingularia.* Similis ſenſus habetur in 8. Top. tex. 6. Hîc noto eſſe totidem ſingularia, quot vniuerſalia in vno particulari; ſit exempli cauſa hic ordo vniuerſalium; ens, qualitas, paſſibilis qualitas, tangibilis qualitas, prima qualitas, calor. In vno ſingulari ſenſato ad ſunt ſingularia iſta, hoc ens, hæc qualitas, hoc paſſibilis qualitas, hæc tangibilis qualitas, hæc prima qualitas, hic calor; & quem ordinem habent vniuerſalia inter ſe, eundem ſeruant in vno ſingulari. Itaque aduerſarij dicunt primo ab intellectu cognoſci

ſci ſingularia maximè vniuerſalium, quia etiam ſingularia maximè vniuerſalium ſunt propiora ſenſui: nihilque hanc authoritatem concludere pro ſpecialiſſimo. Quapropter ommittamus conſiderationem de ſingularibus. Ariſtoteles ait. Maximè vniuerſalia eſſe à ſenſu maximè remota, ergo minus vniuerſalia ſunt minus remota, ergo minimũ vniuerſale eſt minimè remotum à ſenſu. At vniuerſalia illa ſunt nobis notiora, quæ minus diſtant à ſenſu, prout aperte ait textus; minimum verò inter vniuerſalia eſt ſpecialiſſimum, ergo ſpecialiſſimũ eſt nobis prius, & notius ex omnibus vniuerſalibus.

Num 53. Secundus locus eſt huic affinis in 1. met. ſum. 1. cap. 2. *Ferè autem, & difficillima cognitu ſunt hominibus ea, quæ maximè vniuerſalia ſunt, ſi quidem remotiſſima ſunt à ſenſibus.* Ergo minus vniuerſalia erunt facillima, nam & ſenſui ſunt proxima; ſpecialiſſimum autem eſt vniuerſalium minimum.

Tertius locus eſt in 1. phyſ. 57. iuncto etiam 3. phyſ. 2. *Secundum naturam eſt communia primum dicentes, ſic circa vnumquodque propria ſpeculari.* Sed ordo cognitionis ſecundum naturam, & ſecundum nos ſunt ſibi inuicem oppoſiti, ex 1. poſt. 12. primo phyſ. 2. ac 7. met. 10. ergo minus cõmunia ſunt priora, & notiora ſecundum nos. Commune minimum eſt ſpecialiſſimum. Ergo primum ſecundum nos.

Quartus locus eſt in 2. prior. cap. 29. cui de Inductione, titulus apponitur. Syllogiſmus ibi dicitur eſſe naturâ prior, & notior, eo quòd ab vniuerſalibus ad minus vniuerſalia procedit: vt patet per dictum de omni, & de nullo. Nobis autem notior inductio, quæ à ſingularibus ad vniuerſale ſcandit: vnde & aſſeritur inductio eſſe inſtrumentum ad propoſitiones immediatas notificandas. Idem de inductione leges in 1. poſt. 21. & 134. Et in primo top. cap. 10. Eadem autem ratio eſt inductionis, ſiue à ſingularibus ad vniuerſale ſit, ſiue à minus vniuerſalibus ad magis vniuerſalia: imò in dicto cap. 29. 2. prior. & cap. 10. 1. topic. Inductiones fiunt in ſpecialiſſimis ad genera aſcendendo.

Quintus locus. In 2. poſt. 82. docetur conſtructio definitionis methodo reſolutiua, præcipiturq; vt primò ſpecialiſſima, ſecundò ſubalterna definiãtur. *Facilius autem eſt ſingulare definire, quàm vniuerſale; quapropter oportet à ſingularibus ad vniuerſalia tranſire.* Intelligit autem per ſingularia iuxta cõmunem interpretum explanationem ipſa ſpecialiſſima.

Sextus locus in 6. top. loco 18. lẽgẽdus eſt accuratè totus. Hęc excerpo. *Si quidẽ oportet per genus, & differentiam definire eũ, qui benè definit: hæc autem ſimpliciter notiora, & priora ſunt ſpecie: interimit enim genus, & differentia ſpeciem, quare priora hæc ſpecie. Sunt autem notiora, nam ſpecie quidem nota, neceſſe eſt genus, & differentias cogno-*

ſci; qui enim hominem cognoſcit, & animal greſſibile cognoſcit: at genere, & differentiæ notis, non neceſſe eſt, & ſpeciem cognoſci, quare ignotior ſpecies. Itaque genus, & differentia sũt ſimpliciter notiora, & priora, quàm ſpecies; ergo ex oppoſito ſpecies eſt notior, & prior nobis. Id quòd clareſcit, quãdo ait, ſpecie cognita, etiam genus, & differentias cognoſci, hoc enim dictum eſt de cognitione diſtincta, ſecundum quã ſpecies eſt minus nota; nã aliãs confusè noſci prius ſpeciem definitam, quàm ſit cognita definitio in 1. phyſ. 5. liquidò patet. Patet inſuper ad cognitionem diſtinctam (qualis eſt definitiua) non requiri cognitionẽ inferiorum, quod pro Scoti doctis ad nũ. 47. ſuperius confert.

Num 54. Tandem in 1. met. cap. 1. & 2. poſt. cap. vlt. ordo noſtræ originalis cognitionis traditur, quomodo, ſcilicet, ex cognitione ſenſitiua gignatur intellectiua. *Opinari etenim, quòd Callia hoc morbo laboranti hoc conducit, ſimiliter Socrati, ac ſingillatim aliis multis, experientiæ: quòd autem omnibus huiuſcemodi ſecũdũ vnam ſpeciẽ determinatis hoc morbo laborantibus conducit &c. hoc artis proprium eſt.* Cernis arbitror à ſingularibus, non maximè vniuerſalia, ſed determinatum vniuerſale ſecundum vnam ſpeciem colligi.

Sed in 2. poſt. cap. vlt. tex. 106. tam lucidè ponitur ſententia Scoti, vt nil lucidius. *Cum enim ſteterit indifferentium vnũ, primum quidem in anima vniuerſale eſt (ſentitur etenim ſingulare, ſenſus verò ipſius vniuerſalis eſt, vt hominis, ſed non Callia hominis.) Rurſus in his ſtatur, quouſq; ad impartibilia ſteterint, et vniuerſalia, vt tale hoc animal, quouſq; animal, et in hoc cõſimiliter.* Singularia sũt multa, & differentia inter ſe: ſed vniuerſale eſt vnũ, & indifferẽs ad illa multa; iuxta illud, participatione ſpeciei, plures homines ſunt vnus homo. Cum igitur à ſenſu fiat permanſio ſenſati in anima, quando in anima ſteterit vnum indifferens ad multa, tũc primitus fit vniuerſale in anima; rurſus ex vno vniuerſali, & alio vniuerſali differentibus fit aliud vnum, & indifferens ad duo vniuerſalia. Exemplum eſt. Callias homo ſentitur, & Socrates homo ſentitur, ab his in anima fit *homo*. Deinceps cũ homo ſit hoc tale animal, brutum hoc tale animal, tertio fit animal, quòd eſt vnum in ipſis. Clariſſimè nos ducit in primaria, & originali cognitione à ſpecialiſſimo ad genus, vt ab homine ad animal; ante quam cognitionem nihil ſciebamus.

Id probo, quoniam Ariſtoteles illic aduerſus Platonem diſputat volentem, habitus principiorum inexiſtere in nobis: Ariſtoteles verò negat in nobis tales habitus inexiſtere, cum naſcimur; ſed per ſenſum ait ingenerari de nouo; declaratque modum generationis in tex. 103. Sed clarius in tex. 106. quia verò principia ſcientiæ ſunt vniuerſalia, docet, quomodo notitia vniuerſalium terminorum ge-

ne-

neretur; & primò quidem ponit in ſenſu, ipſum ſentire Calliam, ſecũdò primum indifferẽs in anima ponit hominem, qui eſt *tale animal*, tertiò animal gigni aſſeuerat, ac ita deinceps. Ergo cognitio originalis, & ex nullo habitu, vel actu præcedente in anima eſt de ſpecialiſſimo.

Argumenta ex Authoritate contra Scotum ſoluuntur.

Cap. XII.

Num 55. CContra hanc ſententiam in primis affertur textus quartus primi phys. notiſſimus: *Quapropter ex vniuerſalibus ad ſingula procedere oportet.* Quæ verba pugnant ex diametro cum ſupradictis ex 2. poſt. 8a. Concluſio autem 4. textus deducitur ex ſecundo 1. phys. ſecundum formam ſyllogiſticam hoc pacto. A nobis notioribus procedendum eſt ad notiora naturâ: ſed magis vniuerſalia ſunt notiora nobis, minus vniuerſalia, ſiuè ſingula ſũt notiora naturâ; ergo à magis vniuerſalibus ad minus vniuerſalia, ſeu ad ſingula procedere oportet. In qua minore propoſitione ſententia directè oppoſita Scoticæ aſſeueratur.

Reſpondet Scotus, quòd ſicut duplex eſt totum, ſcilicet vniuerſale, & eſſentiale, ita vtrũque in ſuo ordine eſt primum. In ordine confuſè cognoſcendi primùm eſt totum eſſentiale, in ordine diſtinctè cognoſcendi primum eſt totum vniuerſale. Cæterũm ad ordinem, ordo confuſè cognoſcendi eſt prior ordine diſtinctè cognoſcendi; & ideò primum in cognitione confuſa eſt ſimpliciter primum cognitum, quale eſt ſpecies ſpecialiſſima, quæ eſt primum totum eſſentiale, ſeu actuale in ſerie prædicamenti repertum. Ariſtoteles autem in tex. 4. loquitur de cognitione diſtincta, quæ ab vniuerſalibus incipit. Neque illa concluſio tex. 4. probatur per ſecundum contextum, ſed per dicta in tex. 4. ſicut expoſui textum. Atque Raguſeus fatetur illam concluſionem tex. 4. eſſe de cognitione diſtincta. Sueſſan. 1. met. q. 11. idem aſſerit qui & Thomam Aquin. affirmat intelligendum eſſe de cognitione definitiua; at hæc diſtincta eſt.

Num 56.

Secundò arguitur ex primo phys. 5. exemplo de pueris, qui primò appellant omnes viros patres, & omnes fœminas matres, poſterius autem determinant, ergo in prima cognitione confuſa actuali prius cognoſcũt magis, quàm minus vniuerſale.

Reſpondet Scotus concedendo ſpeciẽ ſpecialiſſimam prius concipi, quàm ſingulare, ſed eadem ſpecies etiam intelligitur ante genus. Et quidem Ariſtotelem non intelligere, quòd à pueris cognoſcatur vniuerſale, argumento eſt, quod Sueſſan. loco citato obſeruat, & hædos primum ſequi omnes capras: ſic dico de agno ſequente oues, qui poſterius determinatè matrem propriam determinant. Agnus verò, aut hædus profectò

ctò vniuersalia non intelligunt; quare neque de pueris idem cõcedere necesse est.

Hic vrget contradictio, quoniam Scotus in 1. met q. vlt. & 7. met. q. 15. nec non & Scotistæ ferè omnes asserunt, prius cognitũ esse singulare à nobis, quã vniuersale. Scot. verò in 1. d. 3. q. 2. O. concedit specialissimum cognosci prius, quàm singulare.

Respondet Bargius duplex esse singulare, vagum, & signatum. Prius vagum cognoscitur, quàm species, vt in metaphysica dicitur. Species quoque cognoscitur ante, quàm singulare signatum, quemadmodũ in primo sent. Doctor subtilis asseruit.

Num 56. Tametsi verò in primum phys. exponens proœmium fusè prosecutus sim prędictas expositiones Scoti; cẽseo dari posse aliam etiam expositionem valdè diuersam, textui tamen magis accomodatam. Igitur in tex. 2. proponit Aristoteles methodum inuestigandorum principiorum, scilicet à notioribus nobis ad notiora naturâ proceden dum. Sunt autem primò nota nobis confusa magis, ideſt tota actualia physica, per quorum diuisionem innotescunt principia interna. Ita etiam in textu tertio loquitur de resolutione compositi sensibilis in sua principia elementaria. Quia verò prętet totum sensibile datur totum intelligibile, quod est vniuersale; ideò etiam docet vniuersalia, tãquam tota actualia, esse resoluenda in singula sua principia elementaria. i. intrinseca. Neque enim ait, procedẽdum ab vniuersalibus ad singularia (quamquam Mercenarius id sit arbitratus in dilucidationibus) sed ad singula, hoc est, ad singula principia componentia ipsum totum vniuersale, quod etiam est actuale. Si quidem homo, vt definitur, non est singulare, sed vniuersale: neque vt definitur dicit respectum ad singularia, sed ad *singula* principia interna. Igitur sicut in tex. 3. dictũ est de toto secundũ sensum, ita in 4. dicitur de toto secundum intellectum. Probo hanc expositionem. In tex. 3. Philosophus affert exemplum ad explananda proximè dicta, dicens. *Sustinent autem hoc idem, quodammodo & nomina ad rationem. Hoc idem* patiuntur nomina comparatione definitionis, quod patitur totũ vniuersale ad resolutionẽ in singula: nomina enim totũ, & indistinctè significant, sicut ipsum vniuersale est totum. Definitio autem diuidit in singula, sicut processus ab ipso vniuersali est ad singula. Eadẽ *singula* significantur in cõclusione, ab vniuersalibus ad singula: & in exemplo definiti, & definitionis. At in definitione non imus ad singularia, sed ad singula principia interna definiti. Cum ergo & exemplum dicat *idem* inueniri in nomine vniuersalis, quod in ipso vniuersali: & vtrobiq; detur processus *ad singula*, & eodem vocabulo idem significatur, restat, vt vniuersale, tanquã totum actuale, resoluere debeamus

mus in ſingula principia, vt hominem in animal, & rationale, ſic enim per *diuiſionem* in tex. 3. & 5. nominatam, etiam in 4. inueniemus partes internas, & ſingula principia componentia. Hinc fit, vt in toto ſenſibili, & intelligibili cognitione confuſa actuali à toto confuſo ad ſingula principia gradiendũ ſit. Ita etiam Pſellus ex Græcis, & Piccolomineus ex Latinis, per *ſingula* intellexerunt ſimplicia principia, & elementa. Qua data explanatione innumeræ difficultates, & contradictiones apparentes ſedantur; quas & ego in expoſitione attuli, & Vicomercatus nõ tacuit. Tota enim contentio verſatur ex illa propoſitione deducta per ſecundum textum. A notioribus nobis eſt procedendum ad notiora naturâ. Sed vniuerſalia ſunt nobis notiora, ſingula ſunt notiora naturâ, ergo ab vniuerſalibus ad ſingula eſt procedendum: non quidem ad inferiora, ſed ad ſuperiora, quæ ſunt principia, & elementa ipſius vniuerſalis.

Iam fiat ſyllogiſmus. A notioribus nobis ad notiora naturâ tranſeundum: vniuerſalia ſunt notiora nobis, ſingula principia, elementaque vniuerſaliũ ſunt notiora naturâ, ergo ab vniuerſalibus ad ſingula tranſeundum eſt; quòd planè verißimum eſt, & omnem tollit cõtrouerſiam.

Num 57. Aduerſarij tenentes, quòd à magis vniuerſalibus oporteat ad minus vniuerſalia incedere, in argumento Philoſophi faciunt ſecundam minoris partẽ falſam. Sic nanque formanda eſt ratio. A notioribus nobis eſt procedendum ad priora, & notiora naturâ, & ſimpliciter. Sed magis vniuerſalia ſunt nobis notiora, minus vniuerſalia ſunt priora, & notiora naturâ, ac ſimpliciter, ergo à magis vniuerſalibus procedendum eſt ad minus vniuerſalia. Secundã partem minoris eſſe falſam, patentiſſimum eſt, quoniam definitio debet per ea tradi, quæ ſunt definito priora, & notiora ſimpliciter, & naturâ. Atqui definitio datur non per minus vniuerſalia definito, ſed per magis vniuerſalia, vt per genus: & per æque communia, vt per differentiam; ergo in comparatione ad definitum magis vniuerſalia ſunt priora, & notiora ſimpliciter: non autem minus vniuerſalia. Eapropter Philoſophus in 6. topic. loc. 18. reprobans definitionem, quæ daretur per notiora nobis, & approbãs eam, quæ per notiora naturâ aſſignaretur, ſcribit. *Siquidem oportet per genus, & differentias definire eum, qui bene definit; hæc autem ſimpliciter notiora, & priora ſunt ſpecie: interimit enim genus, & differentia ſpeciem, quare priora hæc ſpecie. Sunt autem notiora, nam ſpecie quidem nota, neceſſe eſt genus, & differentiam cognoſci, qui enim hominem cognoſcit, & animal greſſibile cognoſcit, at genere, & differentia notis, non neceſſe eſt, & ſpeciem cognoſci, quare ignotior ſpecies.* Ex iſto lucidiſſimo textu cõſtat falſitas minoris. Quare ipſum

vni-

vniuerſale aut comparatur ad ſuperiora, vt genus, vel differentiam: aut ad inferiora, vt ſpeciem, vel indiuiduum. Si fiat comparatio ad ſuperiora, vniuerſalia, puta ſpeciei ad genus: tunc dico eſſe ab vniuerſali, vt ſpecie, procedendum ad ſingula, vt ad genus ſubalternum, vel generaliſſimum, atq; ad differentias, tanquam ad ſingula principia, & argumentum Ariſtotelis erit nitidum à falſitate ſic formatum. A notioribus nobis ad notiora ſimpliciter eſt procedendum; ſed ſpecies, & minus vniuerſale eſt prius, & notius nobis: genus, vel magis vniuerſale eſt prius, & notius ſimpliciter: ergo à ſpecie ad genus, à minus vniuerſali ad magis vniuerſale, & ad ſingula principia ipſius minus vniuerſalis eſt gradiendum. Si autem comparatio inſtituatur ad inferiora, fiatque progreſſio à genere ad ſpeciem, à ſpecie ad indiuiduum, minor Ariſtotelica eſt falſa, neq; enim indiuidua ſunt ſimpliciter priora, quàm ſpecies, neque ſpecies, quàm genus. Neque conſiſtendum eſt in expoſitione data, vt Ariſtoteles in primo phyſ. text. 2. vniuerſale comparet ad ſuperiora, & principia, quando infantes, quapropter ex vniuerſalibus ad ſingula procedere oportet: non autem comparet ad inferiora, & principiata. Lege iterum ad hoc id, quòd exaraſſimus ad notatum 47.

Exemplum quoque puerorum, quod hanc expoſitionem videtur labefactare, eam vehementer confirmat: *Pueri appellant omnes viros patres &c.* Attende ad vocem, ad ſignificatum. Pueri non oſtendunt ſe habere conceptum vocis in communi, ſed in ſpecie harum, quas proferunt vocum, *patris & matris*. Neq; omne ens, aut corpus, aut animal, vt aprum, vel aſinum, patrem apellant: imò neque omnem hominem, mulier enim, & vir eiuſdem ſunt ſpeciei: pueri tamen fœminas non vocant patres, neque viros matres; ea propter intra idem ſpecialiſſimum diſtinguunt virum à muliere. Qua ratione? Quia apprehendunt vnum totum confuſum ex multis accidentibus, vt veſtium, vultus, geſtorum. Illud totum primò concipiunt confuſè, & vocant patrem, deinde reſolventes in principia componentia, in collectiones accidentium paternas obſeruant aliquod accidens, vnum, aut plura, quòd vel quæ in aliis viris non obſeruant: & ita determinant collectionem accidentium patris à collectione aliorum, nec amplius errant.

Addo pueros hoſce, cum ſic nomen, & conceptum ſignificatum applicant aliis à patre, non habere primum actũ cognitionis originaria, imò antecedoces, & ſignificatum patris concipiunt, atque poſtea confuſum accidentale patris, aliis tribuunt obiecto topo, & fallunter. Hoc viris accidit, vt Ragiſeus collectionem accidẽtium anguillæ confuſè conceptam congeſtribuit, poſtea reſoluens accuratiùs diſcrimé collectio-

lectionis à collectione notauit. Hæc expoſitio de toto actuali longè vniformior eſt, atque facilior: quam, quia noua eſt vberius explicaui, & comprobaui. Nec enim verborum multitudo vitanda eſt, modò ad veritatem inueniendam, & enucleandam ſit vtilis.

Tertiò, argui poteſt per Ariſtotelem 1. de Hiſt. animal. cap. 6. qui, cum dixiſſet primò differentias, & accidentia ſingulatũ ſpecierum accipiẽda, mox cauſas ex illis indagandas, ſequitur. *Ita effici poteſt, vt vna, ratione q; docendi vtamur naturæ congruã, cum commentatio ſingulorum antecedat.* Igitur ordo naturæ eſt à ſingulis ad vniuerſalia, quare ex oppoſito ordo cognitionis noſtræ eſt ab vniuerſalibus ad ſingularia.

Reſpondetur, id aſſertum eſt, non ſecũdum naturam obiecti, ſed ſecundum naturam intellectus noſtri. Vtam, inquit, rationem q; eſſe, vt à ſingulis ad vniuerſalia, ab effectis ad cauſas proficiſcamur. Profectio ab effectis ad cauſas non eſt ex natura rei, ſed ex noſtræ mentis imbecillitate: ſimiliter & profectio à ſingularibus ad vniuerſalia; prout horum vtrunque tangitur in 1. poſt. 22. Hactenus ex authoritate. Nunc rationibus agamus.

Ratio Prima Scoti.

Cap. XIII.

Num 58. SPecialiſſimum eſſe primum origine cognitum ita Scotus probat. Omnis cauſa naturalis actiua, paſſo naturali approximata, & non impedita, primò producit effectum perfectiſſimum, quem primò poteſt producere; ſed intellectus agẽs cum phantaſmate, aut etiam cũ ſpecie intelligibili, ſũt cauſę naturales actiuę intellectionis, approximatæ intellectui poſſibili, tanquam naturali paſſo, & non impeditæ; igitur hæ cauſæ cognitionis intellectiuæ primò producunt perfectiorem cognitionem, quam primò poſſunt producere. Cognitio autem ſpecialiſſimi eſt perfectiſſimus effectus, quem poſſunt producere in prima cognitione confuſa, ergo cauſæ intellectionis primò producunt in nobis cognitionem actualem confuſam ſpecialiſſimi. Patet malor per ea, quæ in 9. met. 10. & 2. peri herm. cap. penult. traduntur de cauſa rationali, & irrationali: nam irrationalis, quæ & naturalis eſt, agit in quantum poteſt; quare & producit perfectiſſimum effectum primò poſſibilem. Minor patet, quoniam quatuor illa prænarrata requiruntur ad intellectionem, nullúſque plura deſiderat; Illa quatuor ſunt cauſæ naturales, nam præcedunt omnem actum voluntatis: ſunt approximata in anima, nec impedita in tota ſpecie, vt philoſophus naturalis ſupponere debet. Minor tranſumpta duo probari poſtulat, primũ quòd conceptus, ſeu cognitio ſpecialiſſimi confuſa, ſit inter confuſas perfectiſſima, ſecundum, quòd cauſæ intellectionis primò poſſint illum conceptum con-

confuſum producere. Primum facilè probatur, quia obiectum perfectius gignit notitiam perfectiorem ex ij met. ſum. 3. cap. 1. ſed ſpecialiſſimum eſt obiectum perfectius, ſpecialiſſimũ enim eſt totum cõſtitutum actu ex entitate ſubalterni, generaliſſimi, tranſcẽdentis, & ex entitate propriæ differentiæ ſpecialiſſimæ, qua ſpecies abundat à genere; totum autem eſt parte ſua perfectius. Secũdum probat Scotus. Nulla cauſa habẽs aliquem effectum pro ſummo ſibi poſſibili, poteſt in perfectiorem ſummo effectu; ſi igitur cauſæ naturales in primo ordine confuſæ cognitionis poſſunt producere cognitionem communioris ſpecialiſſimo, tanquã ſummum effectum poſſibilem; nunquam poterunt producere cognitionem ſpecialiſſimi confuſam, quæ eſt cognitio confuſa perfectiſſima.

Georgius Raguſeus diſp. 2. caput 13. & 14. conſumit in argumenti ſolutione; primò retorquet ex Ianduno 1. phys. q. 6. argumentum, quam retortionem etiã Piccolomineus habet, ſubſumendo minorem iſtã. Sed cognitio diſtincta de ſpecialiſſimo eſt perfectiſſima, quã cauſæ poſſint producere, ergo primò producunt cognitionem diſtinctam de ſpecialiſſimo; quod eſt abſurdum. Falſa eſt igitur aliqua propoſitio Scoti, nempe quòd cauſæ poſſunt primò producere conceptum ſpecialiſſimi cõfuſum. Ita retorſit Guliel. Okam in primo d. 3. q. 5. et Perer. lib. 4. Natural. cap. 13.

Secundò, reſpondet: ſed quia Caiet. & Zabarella, & Peterius diſtinctius reſpondent, cum eis dicam. Aut in prima maiore ſumit Scotus effectum perfectiorem abſolutè, aut effectum perfectiorem pro tunc, quando cauſę cognitionis primò agunt. Si primo modo, maior eſt falſa, quia natura ab imperfecto ad perfectum procedit. Si ſecundo modo, conceſſa maiore, & minore prima, atq; concluſione eius, negatur trãſumptum. Si quidem pro tunc cauſæ intellectionis nequeunt generare, niſi cognitionem magis vniuerſalis, vt potè imperfectiorem.

Scotiſtæ hic ſeditioſè diſcinduntur. Nam Faent. Theor. 83. cap. 3. maiorem ſumi *abſolutè* contendit, dicens cauſas naturales producturas perfectiorem effectum, quem abſolutè poſſunt.

Girellus relatus à Raguſeo inquęſt: de primo cognito, & Lychetus in 1. d. 3. q. 2. Tatar. in 1. d. 3. q. 2. car. 145. Tromb. 1. metaph. q. 10. art. 3. ſuſcipiũt pro effectu perfectiore, quem pro tunc poſſunt. Quæ reſponſio ſecunda magis cum Scoto eſt; nã vt Girellus, & Lychetus notant, Scotus non dixit abſolutè, quem poſſunt, ſed limitatè, *quem Primò poſſunt*. Verba Scoti ſunt. *Igitur ad effectum perfectiſſimum, quem Primò poteſt producere, Primò agit*.

Secundò, quia ſi cauſę cognitionis primò producunt effectum perfectiſſimum, quem abſolutè poſſunt, ergo primò pro-

du-

ducunt conceptum distinctum; si autem est aliquid impediẽs, ergo nõ primò producunt illũ, quem absolutè possunt, sed quẽ primò possunt.

Num 59. Nunc aduersarios adeamus. Nõ est, quòd Iandunus, vel Ragusius hanc iactent retorsionẽ argumenti; Scotus illam excogitauit, & resoluit in margine 1. d. 3. q. 2. M. *Ordo*, inquit *in generationibus respondet hic per imperfectum, vt medium: alioquin primo causaretur ab obiecto conceptus diffinitiuus. Quia in illum potest obiectum, vel nunquam causabit. Quare non primò causatur conceptus diffinitiuus? quid perfectionis acquiritur alicui causæ illius conceptus per discursũ diuidẽdo &c? Respondeo. Conceptus diffinitiuus est conceptus explicitus plurium partialium, ideò oportet vtrunque praintelligi, saltẽ naturâ: & in nobis tempore, quia nobis notus vnus conceptus ex partialibus.* Hæc Scotus. Quia igitur intellectus noster non potest simul gignere tot intellectiones tot obiectorum distinctas, sed vnam gignit post alteram secundum ordinem temporis (sic enim 1. phys. 5. definitio diuidit in singula) necesse est, vt singillatim intelligat omnia prędicata in quid, & quale quid de proposito per sẽsum, ad hoc vt cognoscat distinctè. Sed ex 2. top. loc. 33. contingit plura scire, cogitare autem non: quia plura cognitione habituali per speciem, vel habitum collectiuũ scire possumus, at actualiter cogitare distinctè non possumus. Quamobrem obiectum à sensu oblatum, cum intellectu nõ potest primò gignere cognitionem sui distinctam: confusã potest primò, & hanc primò producit: sunt enim nobis, ideſt confusè cognoscentibus, primò cognita confusa magis. Itaque dictum à Scoto de primo ordine confusæ cognitionis transferre ad secundum cognitionis distinctæ consentaneum non est.

Argumentaturus aduersus responsionem, suppono, ordinem confusè concipiendi esse primum; ordinem distinctè cõcipiendi secundum. Vt 2. post. cap. 1. quæritur *si est*: deinde *quid est*. Quid est præbet cognitionem distinctam, sed ante eam necessariò noscitur, quid est cõfusè, vt significatur per nomen. Tunc probo intellectum cum obiecto posse primò producere cognitionem confusam specialissimi mouentis sensum. Omne intelligibile simplici apprehensione aut est totum resolubile in partes, vt specialissimum, vel intermedium: aut est simpliciter simplex, & pars irresolubilis, vt est vniuersalissimum ens. Vniuersalissimũ, vt ẽs, nõ potest indistinctè cognosci, quia si posset, ergo haberet partes, in quas definitio diuideret ens, vt posset intelligi distinctè iuxta prima. phys. 5. at non habet partes definitiuas, sed est irresolubile. Neque valet obiectio Caiet: quasi intellectus in multis non possit distinguere ens à substantia, & accidente; primò quoniã comparat ens ad inferiora, quæ non tollunt cognitionem distinctam, ac definitiuam, ergo non

loquitur ad propoſitum de cognitione actuali, & diſtincta. Secundò, quia nemo ferè philoſophus eſt tàm ignarus, vt neſciat ens, & ſubſtantiam diſtinguat, ſicut magis commune, & minus commune, vndè & poſſe ens concipi per indifferentiá ad ſubſtantiam, & accidens.

Reſtat igitur, vt in primo ordine confusè concipiendi poſſint intelligi tantùm tota actualia, veluti ſpecialiſſima, vel intermedia; &, ſi non poſſet ſpecialiſſimum cognoſci ſic confusè in primo ordine, certè neque in ſecundo ordine; quia in illo reponuntur cognita diſtinctè. Igitur obiectum, ſi nõ poteſt cũ intellectu primò producere cognitionem ſpecialiſſimi confuſam, nunquam poſſet, vt Scotus dixit.

Num. 60. Secundò, ratio cognitionis cõfuſæ conſiſtit in ratione totius actualis: ergo quod magis eſt totum confuſum, eſt magis primo cognoſcibile confusè, primo phyſ. 3. Sed ſpecialiſſimum eſt huiuſmodi; loquitur enim Ariſtoteles illic de confuſo actu ex cuius diuiſione innoteſcũt principia, ſicut etiam in text. 5.

Tertiò, intermedia non ſunt primo cognoſcibilia cõfusè, cur enim hoc potius, quàm illud? Si igitur omnia intermedia primò cognoſcimus, nullum ignoratemus, quòd eſt falſum, cum proximum genus equi, & aſini ſit innominatum 7. met. 28. adde ignotum. Si aliqua ſic, aliqua non primò; ad placitum loquimur.

Quartò, ex 1. phyſ. 5. Circulus primò confusè cognoſcitur, mox definitio diuidit in ſingulas; ſed circulus eſt ſpecialiſſimum, ergo ſpecialiſſimum poteſt intelligi in primo ordine: imò neceſſariò intelligitur, quia primo intelligitur circulus, quàm partes definitiuæ; at ſi vniverſaliſſimum, vel intermedia prius intelligantur, falsò diceret Ariſtoteles circulum patridẽ, quod confuſum magis; falsò diceret ipſum primò confusè noſci.

Quintò, cognitio confuſa eſt totius, nulla parte præintellecta: diſtincta eſt totius omnibus partibus præintellectis: media eſt, quãdo aliquæ partes præintelliguntur, aliquæ non. Si ſpecialiſſimi neceſſariò præintelliguntur omnia ſuperiora, ergo nunquam confusè cognoſcitur. Si quædam, ergo non ſimpliciter confusè, ſed medio modo; quia cognitio talis valdè accedit ad diſtinctam. Si igitur magis totum, vt ſpecialiſſimum, eſt ſimpliciter confusè cognoſcibile: ſpecialiſſimum poteſt primò cognoſci ab intellectu prædito ſpeciei, vel phantaſmatis præſentia. Sanè ego arbitror quemlibet noſtrum poſſe experiri cognitionem ſpecialiſſimi omnino confuſam ſe habere: neſcioque, qua ratione fingamus, ſuperiora poſſe ſimpliciter confusè intelligi, ſpecialiſſimum non poſſe, vt ſignificatur per nomẽ.

Confirmatur, nullius ſuperioris cognitio eſt neceſſariò diſpoſitiua præuia ad cognitionem confuſam de ſpecialiſſimo; quia cognitio ſuperiorum eſt præuia ad cognitionem diſtinctam, non

ad

ad confusam inferiorum.

Sextò, ordo ab vniuersalibus ad singularia, vt scilicet primò vniuersalia intelligantur, est essentialis, vel accidentalis. Si essentialis, igitur non potest specialissimum intelligi non præintellectis omnibus superioribus, quod pugnat cum experientia: experiatur enim, qui volet assignationem superiorum ab ente, vsque ad calorem elementarem ignis: seque cognoscere conceptus entis, & caloris deprehendet, intermedia verò ignorare sciet. Si ordo accidentalis est, ergo intellectus cum obiecto præsente potest quodcunque ex confusè cognoscibilibus in primo ordine cognoscere, etiã specialissimum, quia nullus respectus accidẽtalis tollit perfectionem absolutam sui fundamenti: ordo est respectus accidentalis ex hypothesi, fundamentum causans cognitionem est absolutum, ergo potest producere primò cognitionem confusam vtriusque totius, & specialissimi, & intermedij. Si igitur potest specialissimum (quod est nobilius) primò concipiet specialissimum.

Clarissimè id eluceſcet, duobus suppositis, primum est, ordinem confusè concipiendi esse primum, ordinem distinctè cõcipiendi esse secundum in omni obiecto, quod valeat causare cognitionem sui tùm confusam tũ distinctam. Secundum est, omne definibile cum intellectu cõiunctum à nostræ pueritiæ primordiis, posse causare cognitionem de seipso confusam, atque distinctam: quòd primo phys. 5. illustrat Aristoteles, exempio circuli, ac definitionis eius. Itaque omne definibile primò potest causare cognitionem cõfusam sui, & per consequens in ordine primo cognitionis confusæ originariæ primò potest sui confusam notitiam progignere. Nunc verò specialissimum est definibile, sicuti circulus, ergo in primo ordine cognitionis originariæ primò potest causare cognitionem sui confusam, vt est vnum quoddam, & indistinctè conceptum: deinde causare poterit cognitionem distinctam sui secundum aliquod principium, ac tandem cognitionem distinctam definitiuam secundum omnia, & singula principia ordinatè constituentia specialissimum.

Qui autem contra sentiunt, in tria labuntur incommoda, alterum est, quia non possunt in ordine cognitionis distinctè assignare primum cognitum; si náque ens primò confusè (vt aiũt) intelligitur, quodnam ex inferioribus ente erit primum distinctè cognitum, cum omne inferius ente sit totũ actuale constitutum ex duobus saltem conceptibus, altero dicente quid, altero dicente quale? Neque enim totum actuale distinctè concipi potest, non præintellectis principijs omnibus internis. Alterum est, quia Philosophus cæpit à definito ad definitionem, & singula principia definita vniuersalis nos ducere: hoc est à specialissimo vniuersali definibili ad singula, in or- *Nume* 61.

dine cognitionis originariæ. Iſti nos ab ente, & primo principio quiditatiuo ducunt ad definitũ. Tertium, quia primam cognitionem intellectiuam à ſenſibili validius mouente ponunt eſſe non de ipſo toto, ſed de parte, deque primo principio interno totius vniuerſalis circuli, cum Ariſtoteles prius totum confusè cognoſci, quàm principia ſingula docuerit.

Num 62. Lege item, quę P. Faent. docet de impedimento, quia ſi vel obiectum, vel potentia non poſſant primò producere confusã cognitionem ſpecialiſſimi, vel eſſet in eis impedimentum priuatiuum, vel poſitiuum ab initio: non priuatiuum, quia præter cauſas quatuor ad producẽdam cognitionem requiſitas, nẽpè intellectum agentem, & poſſibilem, phantaſma, & ſpeciem, plura non requiruntur in cognitione originali confuſiſſima. Nõ poſitiuum, quia intellectus ab exordio eſt tanquam tabula raſa, in qua nil poſitiuum eſt repugnans agenti, ne agat, vel patienti, ne patiatur: ſed neque in phantaſmate eſt aliquid huiuſmodi.

Poſtremò. Si cognitio confuſa eſt prior, quàm diſtincta; igitur, quæ magis confuſa, magis præcedit, quæ magis diſtincta, magis ſequitur 2. top. loc. 34. & 5. top. loc. 86. Sicut ſimpliciter ad ſimpliciter, ita magis ad magis, & maximè ad maximè, ita minus ad minus, & minimè ad minimè. Sed ens eſt diſtinctiſſimum, & diſtinctiſſimè cognitum. ſpecialiſſimum inter vniuerſalia eſt confuſiſſimum, & cõfuſiſſimè cognitum, dummodo nulla pars præcognoſcatur: media, quantò magis accedunt ad ens, tantò ſunt magis diſtincta, minusque confuſa: ſimiliter & cognitio mediorum eſt magis diſtincta, quàm cognitio ſpecialiſſimi, & minus confuſa. Ergo cum cognitio confuſa præcedat cognitionem diſtinctam: cognitio confuſiſſima maximè præcedit, ſcilicet ſpecialiſſimi. Igitur primò ſpecialiſſimũ poteſt, & debet cognoſci. Hoc argumentum etiam poteſt eſſe principale.

Secunda, & Tertia Ratio Scoti, Cap. XIV.

SEcunda ratio Scoti eſt. Metaphyſica in ordine ſcientiarum acquirendarum eſt vltima ex Auic. primo ſuę met. cap. 3. quare in ordine cognitionis confuſæ eſt vltima, in ordine cognitionis diſtinctæ eſt prima. Id quod nomen metaphyſica, ideſt, poſt phyſica demonſtrat. Ergo ante metaphyſicam poſſunt cognoſci principia & termini ſcientiarum ſpecialium. Sed harum ſcientiarum termini ſunt minus vniuerſales, quã termini metaphyſici, ens, verũ, bonum, ergo ſecundum ordinẽ notitiæ confuſæ originalis minus vniuerſalia ſunt nobis prius nota, ergo ſimiliter ſpecialiſſimum. *Num* 63.

Reſpondet Raguſeus, ſed reſponſio coincidit cum Caietani reſponſione à Lycheto, & Fauentino refutata. Reſponſio eſt.

eſt. Primum cognitum confuſè eſſe ens, non quidem abſtractum ab omnibus inferioribus, ſed concretum cum quidditate ſenſibili. Iam verò metaphyſica agit de ente abſtracto, quod eſt cognitu valdè difficile, & propterea metaphyſica eſt poſtrema.

Reſpondet ſecundò. Aliud eſt rem ſimplici apprehenſione intelligere, aliud illius proprietates, & interiora ſcrutari prædicata; ens apprehendimus primò, & ſine vlla difficultate; at inueſtigare paſſiones, & differentias entis eſt valdè difficile: & de his in metaphyſica diſputatur, ideò Auicenna rectè dicit eam eſſe vltimam.

Primam impugno. Ens concretum cum quiditate ſenſibili, vel dicit præciſè conceptum entis, vel dicit conceptum ex ente, & quiditate ſenſibili: ſi primum, arguo. Qualis eſt, ordo obiectorum, talis eſt ſcientiarum, quæ ab obiecto ſpeciē ſumunt: ſed per te ens. præciſè ſumptum eſt primum cognitū, ipſumque eſt ſubiectum metaphyſicę, ergo metaphyſica erit prima ſcientiarum in ordine confuſè cognoſcendi, non vltima. Si ſecundum conceptus quiditatis ſenſibilis eſt minus vniuerſale, quàm ens, ergo primum cognitum non eſt ens, ſed minus vniuerſale, ſcilicet illud, cuius ſingulare fortius ciet ſēſū.

Cōfirmatur. Intellectus cum phantaſmate vel producit conceptum entis, non quiditatem ſenſibilem, vel quiditatem ſēſibilem, vel compoſitum ex his. Si primum, igitur intellectus primò abſtrahit, & prima cognitio confuſa originalis erit diſtinctiſſima actualis, & abſtractiua. Si ſecundum, ergo nullatenus apprehenditur ens, ſed pręciſè minus vniuerſale: vel igitur minus vniuerſale eſt ipſū ſpecialiſſimum, vel intermediū; ſi intermedium cognoſcitur nō cognito ſpecialiſſimo, igitur intellectus abſtrahit, & diſtinguit quia cognoſcere vnum, non cognoſcendo alterum, eſt abſtrahere, & coniuncta diſcernere. Si tertium, ergo vel ſpecialiſſimum primò cognoſcitur, vel ſaltem minus vniuerſale.

Tertiò. Omne agens aſſimilat ſibi paſſum, inquantum poteſt, ſecundum illam rationem, ſecundum quam agit, quia ſecūdum illam aſſimilat. Nunc autem ſingulare ſenſibile mouens in ſenſu exteriori, vel interiori, non mouet ſecundum rationem entis, vel qualitatis (aliâs ſenſus agnoſceret omnes qualitates, etiam ſpirituales) ſed mouet pręciſè ſecundum aliquam rationem inferiorem, ergo primò ſibi aſſimilat intellectum ſecundum rationem inferiorem. Cum autem calor ſenſum adurit, non agit ſecundum rationem qualitatis ſenſibilis in communi, vel tangibilis in communi, vel primæ qualitatis, tunc enim omnes qualitates eiuſdem rationis cōmunis vrerent, ſed vrit ſecundū propriam ſpeciem ſpecialiſſimam, ergo aſſimilat ſibi ſenſū, & intellectum ſecundum ſpecialiſſimum.

Contra ſecundam Reſpon- *Num* 64.

ſio-

ſionem: ſcientiæ ſecantur in res 3. animæ 38. Sitigitur per ſe ratio entis, & ens eſt primò cognita & cognitione diſtincta, & confuſa; ſcientia de ente debet eſſe in vtroque ordine prima.

Secundò ſcientiæ ordinantur naturaliter ſecundam ſubiecta, non ſecundum poſteriora ſubiectis: ſed paſſiones, & differentiæ dividentes ſunt poſteriores. Nullum autem poſterius variat per ſe ordinem priorum.

Tertiò Ens eſt omnino irreſolubile in prædicata interna; vt etiam Raguſeus cap. 10. fatetur; igitur non habet prædicata interna, quę difficilem faciant eius cognitionem.

Quartò. Paſſiones ſubiectorum communiter ſunt nobis notiores ſubiectis, vndè eſt illud primi de anima 11. Accidentia magnam partem conferunt ad cognoſcendum quod quid eſt. Et in primo poſt. 22. & 96. demonſtratio à poſteriori, ſcilicet per proprietates, eſt à notioribus nobis. Ergo paſſiones entis non ſunt impedimento, quominus entis ſcientia prima ſit, modò ens ſit primò cognitum confuſè. Et quidem plures ſunt homines, qui numerare entia ſciãt propter vnitatem, & expetere propter bonitatem, quàm, qui conceptum entis teneant.

Num 65. Quando ſingulare ſenſum moueat, aut intellectus neceſſariò pręcognoſcit magis vniuerſalia, aut non. Si non, ergo poteſt primò ſpecialiſſimum intelligere. Si neceſſariò prius magis vniuerſalia, ergo longum tempus intercipitur, antequam ſpeciem ſpecialiſſimam ſingularis mouentis agnoſcat, quod experientiæ reluctatur. Patet conſequentia. Quoniam ab ente per omnia prædicata quidditatiua deſcendere ordinatè oportebit.

Raguſeus cap. 16. docet primũ retorqueri argumentum, quia ſimiliter ſi ſpecialiſſimum primò cognoſcitur, magnum tempus intercedet vſque ad cognitionem entis.

Argumentum eſt contortum potius, quàm retortum. Inferius enim includit ſuperiora actu, quare intellectus cognoſcens inferius, per neceſſariam conſequentiam concludit ſuperiora quęcunque ſuperius continet inferiora potentiâ, quare ſuperius perfectè poteſt concipi ſine conceptu inferiorum; intellectuſq; in cognitione ſuperioris conquieſcit, neque per neceſſariam conſequentiam deſcendit; imò deſcendendo committeret paralogiſmum conſequentis. Exemplum eſt in 2. Top. loc. 26. *Si homo, animal, nam hominem animal ſequitur: at, ſi animal, non ſequitur, ergo homo.* Nõ ergo eſt par ratio de aſcenſu à ſpecialiſſimo ad vniuerſaliſſimum: & deſcenſu ab vniuerſaliſſimo ad ſpecialiſſimum. Ideò Scotus diſtinguit cognitionem, actualem, & virtualem: actualem, qua vnum obiectum primò attingitur; virtualem, qua non attingitur, ſed proximè poteſt attingi pars incluſa in priore obiecto. Cum autem multa in ſpecialiſſimo includantur, Scotus ait cognitione virtuali primò in tel-

telligi ens, quia ens est prima pars inclusa quidditatiuè in specialissimo: sicut igitur in cognitione antecedentis bonę consequentiæ continetur virtualiter cognitio consequentis, ita in cognitione specialissimi continetur virtualiter, & per necessariam consequentiam cognitio entis, & cæterorum inclusorũ, quam intellectus eodem motu producit, scilicet primò cognitionem entis, hinc cæterorum; non tamen ordinatè, quia cum prędicata consequentia sint plura, potest inferre vnum, non inferendo alterum. Nisi autem intellectus impediretur, statim cognito specialissimo produceret cognitionem entis, & omnũ inferiorum ordinatam, sed impeditur ab alijs obiectis turbantibus, à voluntate auertente; etiam ab ipso obiecto fortiùs mouente, & in sui consideratione intellectum detinente. Itaque Scoti argumentum efficax, retorquete inefficax. Atq; hic est sensus Girelli, cuius verba retulit Raguseus, sensum, ut videtur, non assecutus.

Num 66. Respondet secundò Raguseus, non esse absurdum, sed maximè necessarium, vt tempus consumatur, cum præsertim de cognitione originali sermo fiat. *Et enim pueri nõ, nisi longo interuallo à cognitione animalis ad cognitionem speciei ad cuius singulares pertemunt. Nam quo perfectior cognitio est, eò longius fuerit temporis interuallum; si quis etenim distinctè atque perfectè scire velit, quid homo sit, opus est, vt distinctè percipiat omnia substantialia predicata in homine inclusa: nimirum quid sit ens, quid substãtia, quid corpus &c. Hanc temporis cæturam ne dum pueri, sed etiam adulti faciunt, cum obiectũ illis ignotum cognoscendum offertur.*

Cæterùm ista ratio de cognitione distincta, est illa, quam Scotus attulit. Nos loquimur de confusa, ergo Raguseus extra chorum concinit. Ad cognitionem distinctam diuturno tẽpore egemus, ad confusam non item, de qua est argumentum; si enim apprehenso per sensum specialissimo, intellectus, vt vis, primo cognoscit ens, deinceps intermedia, in fine cursus habebitur cognitio distincta de specialissimo, quod nondum est confusè conceptum; ergo vel nunquam habebitur cognitio confusa de specialissimo, prout primò Scotus argumentabatur: vel tardè habebitur, vti tertiò argumentatur, cognito quippe ente ab intellectu per singulare caloris mouentis sensum, antequam intellectus descendat ad specialissimum, interpellatur ab alio obiecto, vt frigore, cum quo iteratò producitur, cognitio entis: ibitque in obliuionem specialissimum caloris propter tres causas; primam, quia nouũ obiectum mouens turbabit intellectum, ne descendat ad specialissimum præcedẽs; secundã, quoniam obiectum prius intellectum, vt ens non infert necessariò cognitionem inferioris specialissimi; tertiã, quia intellectus occupatus in cognitione entis, & vniuersaliorum, cùm pro-

propinquiorum, vel tardè, vel nunquam ad ſpecialiſſimum deſcendet; quare intellectus habet obiectum, in quo moretur: non autem habet, quod ipſum moueat ad inferiora. Si verò nouit ſpecialiſſimum, non moratur in eo, ſed ad alia properat; quoniam cognitio ſpecialiſſimi ex neceſſitate conſequētiæ mouet ad omnia ſuperiora, præſertim ad ens.

Num 67. Reſpondet aliter Caetanus, ſufficere intellectui, ſi cognoſcat ens, nam in conceptu entis continentur virtualiter omnes conceptus, ideoque intellectus ſtatim cognoſcet ſpecialiſſimū. Addit, non eſſe neceſſarium ordinem inter conceptus, ideò ſaltus quidam fit. Atque vt exēplo Raguſei, & Zabarellæ vtar, qui ab initio ad finem plateam emetitur greſſibus, non omnes tangit lapides.

Faentin. Theor. 83. cap. 4 pulchrè obſeruat contradictionem in Caet. quia in prima ratione Scoti ſoluenda, dixerat; eò quòd natura procedat ab imperfecto ad perfectum; conceptuſque communiores ſint imperfectiores, ideò & intellectum neceſſariò procedere ab vniuerſaliſſimo ad ſpecialiſſimum. Eadem autem ratio militat de conceptibus mediis, imperfectioribus vtique ſpecialiſſimo. Nunc autem negat hunc ordinem neceſſarium, ergo poterit intellectus etiam primò ſpecialiſſimum cognoſcere. Quamobrem colligo; ſi ordo eſt neceſſarius ab vniuerſaliſſimo ad ſpecialiſſimum, ſpecialiſſimum prius diſtinctè cognoſci; poſterius, vel nunquam confuſè; ſi nō eſt neceſſarius, rationem progreſſus ab imperfecto ad perfectum eſſe nullam.

Secundò, falſò dicitur conceptum entis continere virtualiter omnes conceptus inferiorum.

Quia continere virtualiter eſt poſſe producere aliud contentum, ſed cognitio entis non poteſt producere cognitionem inferiorum, vt quiſque poteſt experiri, dicendo, ens eſt, ergo eſt calor: & ſatis cōſtat propter fallaciam conſequentis, qua non licet arguere à ſuperioribus ad inferiora.

2. Potentia paſſiua eſt indifferens ad vtrumque oppoſitum, neutrum tamen poteſt cauſare: ſed vniuerſale reſpectu inferiorum eſt in potentia paſſiua. Maior patet 1. met. ſum. 2. cap. 2. igitur ens non poteſt cauſare cognitionem inferiorum effectiuè; igitur non continet virtualiter.

3. Maioris actualitatis eſt animal, quàm ens. Sed animal nō producit cognitionem vllius ſpeciei ſuæ, niſi adiunctis differentijs. Vt ſi animal noueris, & arguas, ergo noſco Tarandum, ridebere. De Tarando vide Ariſtotelem de admirand. audit. 29. & Solinum. cap. 43. in Polyhiſtore. Verum enim verò ſi hac ratione omnia refellere pergam, prolixus nimium ero.

Re-

Rationes pro Scoto.
Cap. XV.

Num 68. QVarto, illud vniuersale quod est facilioris abstractionis, est primò cognitū ab intellectu: specialissimum est huiusmodi; quia minor abstractio est à magis similibus, ideſt eiusdem speciei, & præsupponit solam cognitionem singularium eiusdem speciei: abstractio generis præsupponit cognitionem duarum specierum, & abstractionem à magis dissimili; magis namque sunt dissimilia, quæ specie, & numero differūt quàm, quæ numero tantùm. Ita Aristoteles 2. post. 8. primo iubet definito speciem singulatem, dehinc duabus speciebus cognitis definire genus: Item 1. post. cap. vlt. à Callia homine ad hominem, relicto Callia; & ab homine, qui est tale animal, ad animal docet intellectum ab origine conscendere.

Quinta, sicut sensus exterior se habet ad sensum communem, sic sensus interior ad intellectū in obiecto cognoscendo, per text. de anima 30. 31. &c. Sed sensus communis motus ab exteriore sensu percipit idem obiectum, vt album à visu, dulce à gustu 3. animæ 33. ergo & intellectus motus à sensu interno, percipiet album, & dulce, non autem ens, vel qualitatem primò, quæ à sensu non percipiuntur.

Sexta, quando operatio posterioris potentiæ oritur ex operatione potentiæ anterioris, videtur, quòd obiectum cognitum ab anteriori, cognosci debeat à posteriori. Sed sensus motus à singulari calore percipit calorem, alias si solum in ratione tangibilis moueret, tactus non discerneret calorem à frigore, ergo & intellectus sequens sensus operationem, percipiet primò calorem; si autem percipit primò ens, cum sensus non extendat se vltra qualitatem sensibilē, ideſt cum nulla potentia se extendat vltra obiectum adæquatum, ergo intellectus non accipiet cognitionem suam à sensu, nisi per accidens: non enim primò percipit idem, quod sensus, sed obiectum nullatenus cadens sub sensu.

Septima, quando aliquod principium actiuum, vel passiuum est indeterminatum ad plura obiecta, maximè inclinatum, ac tendit in obiectum perfectissimum ex pluribus, vt si homo naturaliter desiderat scientiam, maximè desiderat maximā, per 1. metaph. cap. vlt. Atqui intellectus agens est principium actiuum, cuius est omnia facere, & intellectus possibilis passiuus, cuius est omnia fieri, 3. animæ 18. & per consequens in parte potentiæ vitalis vtrumq; principium est vindeterminatum ad plura obiecta, ergo præsentata sibi specie intelligibili caloris, vel frigoris, aut dulcedinis, vel amaritudinis, quæ fortius mouent sensum; cum in obiecto præsentato calore sint ratio vniuersalissima, vt entis, intermedij, vt qualitatis, & vltimi, vt caloris: maximè tēdunt intellectus vterq; in rationē perfectissimam

ex oblatis in obiecto. Atque ratio ſpecialiſſimi eſt formaliter perfectior omni ratione ſuperioris vniuerſalis, igitur maximè tendunt intellectus ambo in cognitionem ſpecialiſſimi producendam, & recipiendam. Cũ igitur nullum ſit impedimẽtum in potentijs intellectiuis, primò cognoſcent ſpecialiſſimum.

Soluuntur argumenta contra Scotum facta. Cap. XVI.

Num 69. RAguſeus diſp. 2. c. 3. Thomæ argumenta formar, quæ pro viribus contraho. Primum, quicquid tranſit de potẽtia ad actum, tranſit ab imperfecto ad perfectum. Igitur, & intellectus noſter. Sed conceptus vniuerſaliſſimus eſt imperfectiſſimus, puta entis, ergo primò recipitur in intellectu. Maior probatur à Raguſeo ex 2. de generatione animalium c. 3. Homo primò viuit vita plantæ, ſecundò bruti, tertiò hominis. A Caetano ex 9. met. tex. 15. Priora generatione ſunt poſteriora perfectione, quæ habetur etiam 8. phyſicorum 58.

Reſpondetur negando maiorem, ad probationem primam, illa eſt in vno ſingulari, non vniuerſalis probatio. Ad ſecundam & primam reſpondeo ex lib. 2. de generatione animalium c. 6. fieri cor primum, quàm cæteras partes animalium, cor tamen eſt perfectiſſimum membrorũ: fieri prius ſuperiora corporis, & interiora, quę perfectiora etiam ſunt. Ideoque diſtinguit Philoſophus, aut quod generatur eſt efficiens poſteriorum, aut eſt finis, vel pars potior ipſius finis, aut eſt pars, qua finis vtitur. Si eſt efficiens, aut finis, primò generatur, quàm partes effectæ, vel in vsũ à fine aſſumptæ: in quibus caſibus falſum eſt, priora generatione eſſe perfectione poſteriora. Limito igitur adhuc propoſitionem in comparatione prædicamenti ad prædicamentum, materia enim primò formam ſubſtantialem induit, quàm accidentalem 7. met. 4. In comparatione ſubiecti, & affectionis, ſubiectum eſt prius generatione, & perfectione. In cõparatione principiorum, & cõcluſionis, cognitio enim principiorum eſt prior generatione, et perfectione. In diuinis perfectionibus, intellectus, & intellectio ſunt prior, & poſterior ratio formalis, ſed poſterior non eſt perfectior. Cum igitur maior tantopere fallat, non eſt, quod ei fidamus. Accipio tamẽ gloſſam Ariſtotelis, quãdo vnũ eſt perfectius, & eſt efficiens imperfectioris, tunc prius generari perfectius. Subiicio minorem, ſed cognitio ſpecialiſſimi eſt cauſa gignens per neceſſariã conſequentiam conceptus omnium incluſorum in quid, ergo & ſi ſit perfectior cõceptus ſpecialiſſimi, prior debet produci.

Secundò reſpondetur, data maiore, dico poſſe obſeruari vel ordinem obiectorum, vel ordinem ſecundum cognitionem noſtram; primus eſt ſecundum naturam, eſtque cognitionis diſtinctæ; ſecundus eſt ſecundum nos, & eſt cognitionis confuſæ. In vtro-

vtroque ordine procedituꝛ ab imperfecto ad perfectum: in cognitione diſtincta ab ente, & deinceps vſque ad ſpecialiſsimũ, quod eſt vltimum diſtinctè cognitum, & perfectiſsimum: ita enim ſeruatur ordo naturalis obiectorum in cognitione diſtincta. In cognitione confuſa non attenditur ordo obiectorum, ſed ordo cognitionis noſtræ, quæ eſt confuſa; vnde confuſiſsima cognitio eſt imperfectiſsima, & hæc eſt prima origine; confuſiſsima actualis eſt de ſpecialiſsimo. Minor ergo in ratione oppoſita eſt vera de imperfectione obiecti cogniti, non de imperfectione cognitionis, quia cognitio entis eſt diſtincta.

Tertiò, reſpondetur, imperfectionem ſpectari poſſe, vel in cauſa, vel in cauſato. Cauſę intellectionis ſunt obiectum intelligibile & potentia intellectiua. Cognitio cauſata eſt vel de ſuperiori, vel de inferiori vniuerſali. Si primo modo loquamur negatur maior, & probatio; quãdo enim duæ cauſæ agunt circa idem paſſum, tunc illa, quæ eſt robuſtior vincit, & trahit ad ſe paſſum. Cum autem agunt circa intellectũ poſſibilem in ſpectro intelligibili et ſpecialiſſimũ & ſuperiora: ſicq; ſpecialiſſimũ, actualius, & per conſeqẽs magis actiuum, imprimet ſpecialiſſimum cognitionem ſui, & vincet actionem ſuperiorum; præſertim ſi non ſit impedimẽtum in agente, vel paſſo, vel approximatione: ſicut in propoſito non eſt. Si ſecundo modo tractemus, negatur minor, quoniam cognitio de ſpecialiſſimo eſt confuſiſſima omnium, quæ poſſint haberi de vniuerſalibus, cognitio de ente diſtinctiſſima: igitur ſumpta eadem maiore, & iuncta minore, quòd conceptus ſpecialiſsimi eſt imperfectior conceptus formalis cauſatus, (licet non ſit imperfectior obiectiuus) ſit vt conceptus ſpecialiſsimi primò producatur. *Num 70.*

Secundo. Arguitur exemplo Auicennæ de viſo à remotis, primò enim cognoſcitur vt corpus, quàm vt animal. Adde experientiam Raguſei, qui lanuę piſcem cognouit in genere, ſed in ſpecialiſsimo ignorauit, credidit enim congrum eſſe anguillam.

Reſpondetur, debita approximatio deſideratur: ſpecialiſſimum aſsimilat ſibi paſſum approximatum: aſsimilat ſuperiori paſſum diſtans. Ita Scotus. Addo exemplum peccare, primò, nam quærit primum cognitum in ſubſtantia: ſecundò quia eſt de cognitione poſt collectiuam, qua obiecto nouo præcognita applicantur, non eſt de cognitione originali: tertiò eſt de cognitione diſcurſiua.

Ad experimentum Raguſei, quod poteſt ex Ariſt. lib. de Admirandis auditio: 47. probari. Inuenitur quippe ęs tàm ſimile auro, vt ſolo odoratu interno ſcatur; vnde multi decipiuntur.

Reſpondetur, ſenſile eſſe per ſe, & per accidens: ſenſibile per ſe eſſe proprium, vel commune: ſenſus ſenſibilis per ſe, & proprij ſemper eſt verus, dummodo obiectum, & potẽtia, & medium ſint recte parata. Fallitur

verò sensus circa sensibile per accidens, & commune per 2. de anima. Ad argumentũ, deceptio est in substantia anguillę, vel congritauri, vel æris vt in sensibili per accidens; deceptio non est in accidentibus, nam accidentia anguillæ & congri, visa sunt eiusdem rationis, sic accidentia multa æris, & auri. At nos loquimur de sensibili per se & proprio mouente sensum immediatè, & intellectum mediatè, in quo specialissimo non est error.

Pererius, & Zabarella arguunt. quod à longè fortius mouet, de propè fortius mouebit. Sed vniuersalius à longè fortius mouet, quàm specialissimum, videtur enim corpus, nõ homo: ergo & de propè vniuersalius & primò videtur, & mouet.

Respondetur. Concedo maiorem in agentibus eiusdẽ rationis, vt duobus ignibus, altero eminus, altero cominus tãtũ calefaciente; & nego minorem, quia vniuersalius, & specialissimum vt sic, sunt distinctæ rationis. Item negatur minor, nõ enim vniuersalius agit à longè, sed specialissimum & de longè & de propè agit: à longe tamen imperfectè assimilat sibi, scilicet secundum rationem superioris imperfectionem, & ideò producit cognitionem obiecti imperfectioris; at propè, passum sibi assimilat secundum rationem perfectiorem.

Arguo ipse ex Scoto. Quãdo in aliquo sunt duo principia ordinatè actiua, illud non est in potentia proxima ad agendum per principium secundum, nisi prius eliciat actũ prioris principii, vt Scotus 4. d. 12. q. 1. T. & ea d. q. 1. H. Quolib. 15. R. atq; optimè in 4. d. 12. q. 3. vl. At in specie intelligibili reluçent duæ rationes actiuæ ex sui quiditate respectu cognitionis, ratio obiectiua entis, quæ est obiectum adæquatum intellectus: & ratio obiectiua specialissimi, quæ nõ est obiectum adæquatum, ratio entis est ex sui quiditate prior: ergo species intelligibilis, non est in potentia proxima ad causandam cognitionem de specialissimo, nisi prius causauerit cognitionem de ente vniuersalissimo.

Respondetur, quãdo aliquis effectus præcedit alium effectũ ordine naturę, causa vtriusque non potest exire in actum causãdi secundum effectum, non causato prius effectu priore, illa prioritate, per Sco. 2. d. 25. q. 1. O. A specie verò intelligibili est duplex effectus, primus cognitio confusa, secundus cognitio distincta, idcirco nunquam potest species causare distinctã, nisi prius causet confusam, iuxta obiectum fortius mouẽs. Primò igitur causet confusam, secundò distinctã ordinatè: prius de vniuersalissimo, secundo de mediis, vltimo de specialissimo. Minor ergo est de ordine obiectorum, qui seruatur in secundo effectu scilicet in cognitione distincta.

Desiderabitur fortasse à nobis disquisitio de primo cognito cognitione originaria, non simpliciter prima, sed prima distincta. Verum ea res ex parte tra-

tractata eſt, cum affirmauimus, ens eſſe primum cognitum diſtinctè. Præter quam quòd illa cognitio, cum non ſit originaria ſimpliciter in genere cognitionis, ſed in genere cognitionis diſtinctæ, non eſt nobis pro ſcopo propoſita, vt nequeat prætermitti. Scotiſtæ igitur cognitionem incomplexam auſpicantur à primo principio incomplexo, in omnibus quiditatibus incluſo, vt ẽte: prout indicat Ariſtoteles in 4. Topic. loco 5. Vndenã Thomiſtæ incipiant cognitionẽ diſtinctam, an à ſingularibus accidentibus, vel ſubſtantijs: an potius à ſpecialiſsimis accidentium, vel ſubſtantiarum, exquirere non eſt noſtrum. Sicut neq; noſtri eſt inſtituti diſcutere cum Scotiſtis, quam ob cauſam enti primatum concedant in cognitione diſtincta. Multi quidem ſunt apud ipſos conceptus ſimpliciter ſimplices, vt conceptus vltimæ differentiæ, paſſionum entis, modorum entis. Si autem conceptus ſimpliciter ſimplex quiuis poteſt primò occurrere intellectui, vt *veri*, & *boni*: ſanè intellectus primò cognoſcet diſtinctè *verum*, vel *bonum* ob eandem rationem; quia hi conceptus ſunt irreſolubiles, neque habent partes, vt poſſint cognoſci confuſè tanquam tota, ſed vel totaliter ignorantur, vel totaliter intelliguntur. Itaq; cum Ariſtotelicas ſententias veſtigare propoſuerimus, nõ alienas: ab alienis ſupерſedere iuſtum arbitramur.

FINIS.

Digitized by Google

INDEX VESTIGATIONVM ET CAPITVM.

VESTIGATIO PRIMA.

De factione ex Nihilo.

CAp. 1. Enuntiationē illam, Ex nihilo nihil fit, ab Antiquis, non ab Aristotele assertam, ostendendum proponitur. pagina. 1.
Cap. 2. Ab alieno Auctore aliena ostenditur assertio, Ex nihilo. 2.
Cap. 3. Ex absurdis. 4.
Cap. 4. Ex limitatione. 7.
Cap. 5. Ex negatione. 10.
Cap. 6. An liber in Xenophanem, & Zenonem sit Aristotelis. 12.
Cap. 7. Ex contradictione nō implicata. 14.
Cap. 8. Ex arte, ex primo efficiente. 15.
Cap. 9. Ex petfecto, & imperfecto. 20.
Cap. 10. Obiectio tollitur. 23.
Cap. 11. De faciente ex nihilo. 25.
Cap. 12. De modis efficiendi. 28.
Cap. 13. De particularibus conditionibus facientis ex nihilo. 31.
Cap. 14. De terminis factionis ex nihilo. 35.
Cap. 15. Ragusei, & Pererij obiecta. 39.
Cap. 16. Argumenta Vicomercati, & Lucretij. 40.
Cap. 17. Argumenta Pererii reliqua tolluntur. 42.
Cap. 18. Argumenta Piccolominei resoluuntur. 48.
Cap. 19. Reliqua Piccolominei Argumenta. 55.

VESTIGATIO II.

De efficientia primi entis.

CAp. 1. Opiniones, & Authores circa efficientiam primi entis. 57.
Cap. 2. Apparatus ad vestigationem. 58.
Cap. 3. Quod nam sit primum ens. pag. 61.
Cap. 4. Ex physica. 63.
Cap. 5. Afferuntur alia loca ex Physicis. 67.
Cap. 6. Ex octauo physicorum. 70.
Cap. 7. Responsiones ad hæc loca ex 8. phys. 74.
Cap. 8. Ex libris de cælo, & generat. 78.
Cap. 9. Ex libris de anima. 82.
Cap. 10. Ex prima philosophia. 85.
Cap. 11. Ex 12. metaphysicorū. 90.
Cap. 12. Tex. 40. 12 met. affertur. 93

Cap.

Cap. 13. Soluuntur argumenta in contrarium ex authoritate petita. 98.

Liber Secundus.

CAp. 1. Apparatus ad rationes de primo efficiente. 105.
Cap. 2. Primum efficiens non eſt corpus, vel in corpore. pag. 109.
Cap. 3. Aliæ rationes afferuntur. pag. 111.
Cap. 4. Ex infinitate probatur primum efficiens eſſe incorporeum. pag. 118.
Cap. 5. Ratione Scoti probatur infinitas in primo mouente, ſoluiturque maxima 8. phyſ. difficultas. 120.
Cap. 7. Aliæ rationes probantes primum faciens eſſe incorporeum. 124.
Cap. 8. Soluuntur argumenta ex ratione. 129.

VESTIGATIO III.

De modo efficiendi primi efficientis.

CAp. 1. Proponitur modus cõſiderandus, & ordo in conſiderando. 130.
Cap. 2. Tres modi efficiendi generales applicantur. ibid.
Cap. 3. Tres modis ſpeciales efficiendi conſiderantur. 133.
Cap. 4. Alia ratio declarandi immobilitatem mouentis. 138.
Cap. 5. Secunda Opinio conſideratur. 143.
Cap. 6. Opinio propria, qua declaratur quonam modo primum ſit efficiens, & finis. 146.

Liber Secundus.

CAp. 1. Textus ex libro de cõmuni motione exponitur. pag. 153.
Cap. 2. Exponitur cap. 2. lib. de com. motione. 155.
Cap. 3. Explicatur cap. 3. lib. de com. mot. 158.
Cap. 4. Expenitur cap. 4. de com. mot. 161.
Cap. 5. Explicatur cap. 6. lib. de com. mot. cauſa. 166.
Cap. 6. Ex 12 met. tex. 35. 36. modus Primus efficientis primi reſeratur. 172.
Cap. vlt. Dubitationes quædam determinantur. 175.

VESTIGATIO IIII.

De Vnitate Dei.

CAp. 1. Tractanda proponuntur. 180.
Cap. 2. Differentia rei vniuerſalis, & particularis. 181.
Cap. 3. A Locutione plurali plures dij arguuntur. 182.
Cap. 4. A Sacrificijs Deorum Dij plures. 183.
Cap 5. Ex opinionibus aliorum probatis. 186.

Cap.

Digitized by Google

Cap. 6. Ex proprijs plures dij ſtatuuntur. 187.
Cap. 7. A ratione ſumpta è dictis Ariſtotelis. 190.
Cap. 8. Ex Dei proprietatibns conceſſis, vel ablatis. 191.
Cap. 9. Soluuntur Argumenta in oppoſitum. 195.
Cap. 10. Alia quædam argumenta diluuntur. 201.
Cap. 11. Argumenta Dei multitudinem probantia conuelluntur. pag. 206.
Cap. 12. Dei omen expenditur, vti Deus immultiplicabilis oſtendatur. 207.
Cap. 13. Non poſſe eſſe plures Deos diuerſæ rationis ex ratione optimi entis. 210.
Cap. 14. Ex ratione optimi viuentis idem oſtenditur. 214.
Cap. 15. Non poſſe eſſe plures Deos eiuſdem rationis. 219.

VESTIGATIO V.

De numero cæleſtium orbium.

CAp. 1. In quo tres grauiſſimi errores Ariſtoteli obiiciuntur pag. 223.
Cap. 2. Apparatus ad veſtigandã Ariſtotelis mentem. 228.
Cap. 3. Eudoxi Syſtema & c. 12. met. 40. & 46. proponitur. 230.
Cap. 4. Calippi conſtitutio cælorum. 232.
Cap. 5. Reuoluentium ſpherarium appoſitio, vbi Ariſtoteles à quatuor erroribus vindicatur. 233.
Cap. 6. Ponitur ſecundum documentum pro explicanda particula ſuperioris textus. 47. 230.
Cap. 7. Propria expoſitio textus 47. ſuperius promiſſa eſſe. 241.

VESTIGATIO VI.

De forma ſeparabili Liber Primus.

CAp. 1. Formam ſeparabilem non phyſicæ, ſed methaphyſicę ſpeculationis. 246.
Cap. 2. Omnem formam ſubſtantialem eſſe ſeparabilem, & perẽnem. 248.
Cap. 3. Nullam formam ſubſtantialem eſſe ſeparabilem probatur rationibus, quæ & ſoluuntur. 254.
Cap. 4. Authoritatibus probatur, nullam formam ſeparabilem eſſe & authoritatibus reſpondetur. pag. 256.
Cap. 5. Separabile, & inſeparabile, quid ſignificet Ariſtoteli. 258.
Cap. 6. Ariſtotelis opinio de forma ſeparabili exponitur, & probatur ex. 8. met. 3. 262.
Cap. 7. Ex libro 6. met. tex. 1. & 2. forma ſeparabilis eruitur. 264.
Cap. 8. Ex 7. met. tex. 8. 266.
Cap. 9. Ex 12. met. 16 & 17. quędam forma eſt ſeparabilis. 267.
Cap. 10. Ex phyſicis, vt 2. phyſ. 26. & primo de partibus cap. 1. idem oſtenditur. 272.
Cap. 11. Ex 2. de gen. animal. c. 3. pag. 276.
Cap. 12. An mens extrinſecus accedens apud Ariſtotelẽ ſit Deus? pag. 280.

Digitized by Google

VESTIGATIO.

Liber Secundus.

CAp. 1. Animam intellectiuã esse separabilem ex primo de anima. 286.
Cap. 2. Ex libro 2. de anima. 290.
Cap. 4. Ex 3. de anima tex. 19. probatur separabilitas intellectus pag. 301.
Cap. 5. ex 3. de anima tex. 20. 304.
Cap. 6. opiniones peripateticorũ de Aristotelis sententia proponũtur: & expẽditur illa, quæ Aristotelem dubium astruit. 307.
Cap. 7. secunda sententia faciens Aristotelem mortalitatis animi assertorem, cuius argumenta soluuntur. 313.
Cap. 8. Duo argumenta Alexandri reijciuntur. 322.
Cap. 9. Argumenta Gianinij pro Alexandreis soluuntur. 330.
Cap. 10. Ex propensione animę ad corpus arguitur. 335.
Cap. 11. Ex æternitate arguitur contra formam separabilẽ. 340.
Cap. 12. An animæ actu infinitæ dandæ. 342.
Cap. 13. Vnitas intellectus in omnibus hominibus expẽditur. 344.
Cap. 14. Responsio vltima ad precedens argumentum. 345.

VESTIGATIO VII.

De numero prædicamentorum.

CAp. 1. Prædicamenta cur sint inuẽta, & à quo, & quot. 349.
Cap. 2. Aristotelis opinio exponitur, & probatur ex authoritate. 351.
Cap. 3. Ex ratione. 356.

VESTIGATIO VIII.

De cognoscibilibus ab homine.

CAp. 1. De statibus humani intellectus, & de naturali lumine. 361.
Cap. 2. Opinio que Aristoteli tribuitur, quod omnia sciamus. pag. 366.
Cap. 3. Authoritatibus Aristotelis ostenditur non posse hominem actu nosse omnia: atque Aristotelem in prędicta sententia non fuisse. 370.
Cap. 4. Opinantes hominem posse omnia nosse, & cõfutatio eorum. pag. 375.
Cap. 5. Soluuntur argumẽta è Scoto relata capite secundo. 380.
Cap. 6. Alia quædam argumenta tolluntur. 384.

VESTIGATIO VIIII.

De tripartita scientiarum diuisione.

CAp. 1. Aristotelis affertur sẽtentia. 387.
Cap. 2. Probatur esse superflua Aristotelis de sciẽtia diuisio. pag. 389.
Cap. 3. Reiicitur allata sententia. pag. 393.
Cap. 4. Quare Aristoteles aliquando

do duo ſcientiæ membra ponat. pag. 392.
Cap. 5. Soluuntur argumenta oppoſita in capite ſecundo. 402.
Cap. 6. Diuiſionem ſcietię Ariſtotelicam non eſſe inſufficientem. pag. 408.
Cap. 7. An ſcientia affectiua concedenda ſit. 412.

VESTIGATIO. X.

De primo cognito.

Cap. 1. Prȩparatio ad veſtigationem peragandam. 415.
Cap. 2. Vtrum homo cognitione actuali ſenſitiua prius origine cognoſcat accidens, an ſubſtantiam. 416.
Cap. 3. An homo prius origine cognoſcat cognitione intellectiua actuali ſubſtantiam, an accidens. pag. 421.
Cap. 4. Num ſenſus actuali cognitione prius origine cognoſcat ſingulare, num vniuerſale. 427.
Cap. 5. Vtrum humanus intellectus ſecundum ordinem originis prius cognitione actuali intelligat ſingulare, vel vniuerſale. 435
Cap. 6. Opiniones de magis, vel minus vniuerſali in ratione primi cogniti, & neceſſaria quędam proponuntur. 444.
Cap. 7. Declaratur diſtinctio cognitionis actualis per originariã, & collectitiam. 446.
Cap. 8. Diſtinguitur cognitio actualis in confuſam, ac diſtinctam. pag. 450.
Cap. 9. Reſpondetur pro Scoto ad rationes, quæ ſunt obiectę. 452.
Cap. 10. Reſpondetur alio modo ad obiectiones capitis octaui. pag. 458.
Cap. 11. Ariſtotelis ſententia profertur, ea eſt ſpecialiſſimum inter vniuerſalia eſſe primum à nobis cognitum. 464.
Cap. 12. Argumenta ex authoritate contra Scotum ſoluuntur 467.
Cap. 13. Ratio Prima Scoti. 471.
Cap. 14. Secunda, & tertia ratio Scoti. 476.
Cap. 15. Rationes pro Scoto. 481.
Cap. 16. Soluuntur argumenta contra Scotoum. 482.

Digitized by Google

INDEX NOTABILIVM:

A

Abſtractio. Deus, & intellectus humanus diuerſimode ſunt abſtracti: forma naturalis, & mathematica diuerſo modo abſtractæ. Veſtigatio 6.numero 47.

Abſtractio duplex, altera præſupponit cognitionem termini à quo abſtrahit, altera non. v.10.n.28.

Accidens. Accidens prius, & magis ſentitur, quàm ſubſtantia. v.10.n.3. Eſt per ſe ſenſibile.

Accidens nullum eſt inſeparabile, cõtra Porphyrium. v.6.n.29.

Accidentia ſenſilia non recipiuntur in forma, ſed in materia. v.6.n.77.

Accidens prius intellectum à nobis, quam ſubſtantia. v.10.n.12.

Diſcernitur à ſubſtantia, et quibus diſcriminibus. v.10.n.9.

Actio, Actiuum, Actus. Actio non eſt factio. v.9.n.11.& 18.

Actiuum commune ad actiuum, & factiuum non datur. v.10.n.12.13.14.

Actiones ad ſe ſunt ſpeculatiuę, ad alterum actiuæ, & factiuæ. v.9.n.20.

Actiua ſcientia non definit in appetitionem, ſed actionem. ibid.

Actiua ſcientia, quæ, & quo pacto à ſpeculatiua, & factiua differat. v.9.n.2.

Actio ſine corpore, & cum corpore. v.6.n.62.

Actio æterna, vel non æterna, & cuius ſubiecti. v.6.n.121.

Actio realis, vel intẽtionalis. v.10.n.8.

Actus primus ſecũdum aptitudinem, & ſecundum actum. v.6.n.112.113.

Actus, vt nauta, & vt figura: aſſiſtens & formans. v.6.n.72.

Actus ſecundus, vel mercenarius, vel liberalis. v.2.n.58.

Actio qua Deus eſt beatus. v.2.n.60.

In actu puro eſt ratio ipſius actiui, & ipſius agere. v.2.n.70.

Actus coniunctus cum materia, & inexiſtens: ſeparatus, & ſubſiſtens. v.3.n.10.

Agens aliquod agit in propriam materiam, & alienam. ibid.

Agens cum cognitione, & ſine reſpiciunt finem. v.3.n.51.

Actus purus primi mouẽtis per analogiam declaratur. v.3.n.57.

Æternitas, Æternum. Æternitas motus, ac temporis ab Ariſtotele aſſerta populariter, non philoſophicè. v.8.n.1.

Æternum, non æterno melius. v.6.n.12.& 13.

Æternitatis graria omnia agunt. ibid.

Æternum poteſt eſſe cauſa non æterni. v.6.n.121.

Æternitas motus, & animorum immortalitas an pugnent, & qui errores ſequuntur. v.6.n.134.& 135.

Affectiuum. Affectabile obiectum, & affectiua ſcientia dantur. v.9.n.35.

Affectiua ſcientia quare non ſeparatur, vel ſeparatur à ſpeculatiua. v.9.n.21.& 35.

Alteratio nõ eſt niſi ad paſſibiles qualitates. v.6.n.77.

Amicitia. In amicitia erga alterum quiſnam, ſit finis gratia cuius, & quodnam efficiens, & quid in amicitia erga ſe.

Amari an amare melius. v.2.n.75.

Amare, & intelligere ſunt actus vitales. v.2.n.75.

Anima, & Animus. Anima non habet in ſe totale principium cognitio-

tionis. v.8.n.33.
Vnde fit, an prius compoſitio, an ex ſemine, an extrinſecus, an intrinſecus. v.6.n.51.
Corpus animæ paratum eſt diuinius elementis. v.6.n.59.
Anima cum materia, & ſine materia, de prima eſt phyſicus. v.6.n.36.45.
Intellectiua manet poſt compoſitum. v.6.n.39.
Aliæ non permanent. v.6.n.40.& 43.
Intellectiua eſt ſeparabilis. v.6.n.63. & actus vt nauta. n.71.ſeparari poteſt quo ad eſſe, non quo ad ineſſe ab alijs animabus,& corpore.n.102.
Animæ rationalis paſſio nulla eſt corporalis. v.6.n.78.& 52.
Melius ne iungi, an ſeparari à corpore. v.6.n.125.
Acceſſus, vel receſſus à corpore. v.6.n.125.
Coniunctio vel ſeparatio paſſio animę rationalis diſiuncta. v.6.n.
Circulatio ex corpore humano in corpus humanum. v.6.n.126.ad 128. & 141. ad 143.
Anima poteſt eſſe nomen ſubſtantiæ, vel ſtatus. v.6.n.133.
Eſt principium effectiuum, & finale. v.6.n.47.
Anima mouet corpus per ſe, & per modũ cognoſcentis. v.3.n.28.& 50.
Animal. Animal, quod progreſſiue mouet, mouetur à parte immota. v.3.n.54.
In motu animalis duplex eſt immobile, extrinſecum, & intrinſecũ. v.3.n.35.
Animalia progredientia, alia toto corpore ſimul, alia per partes gradiũtur. v.3.n.36.
Omne animal à terra immobili mouentur mediate, vel immediate. v.3.n.3.
Quomodo animal ab anima, quomodo ab obiecto moueatur. v.3.n.52.
An motus animalium ab anima, & à terra ſit vnus. ibid.n.61.
Ariſtoteles. Ariſtotelis cum Alexandro rege ſimultas. v.4.n.37.
Liber, ad Alexandrum de mundo eſt Ariſtotelis. ibid.
Libri de Xenophane, Zenone, Gorgia. v.prima n.16.
Medias opiniones ſequitur. v.6.n.31.
Sententia Ariſtotelis ex reſolutione, non ex dubitatione accipienda. v.1.n.6. & v.6.n.50.& 96.
De animi immortalitate, quid ſenſit. v.n.93,ad 96.
Aphrodiſeus. Aphrodiſei opinio, omnia ſciri à nobis poſſe. v.8.n.22.
Comentarii eius in metaphyſicam. v.6.n.4.
Artifex. Artifices nec ciues, nec viui, nec felices. v.9.n.18.19.
Aſinus. Aſina prægnans infinito tempore vterum geſſit. v.6.n.140.

B

Bimembris diuiſio ab Ariſtotele refutatur. v.9.n.10.
Bonum. Bonum omne externum, vel internum hominis eſt ordinatum ad contemplationem. v.9.n.34.
Bonum diuiditur in vniuerſum, & vniuerſi. v.1.n.32.
Vnum tantum eſt bonum ſimpliciter perfectum. ibid.
Bonitas primi efficientis qualis. v.2.n.75.
Bonum infinitæ perfectionis non eſt ſubordinatum alteri bono.v.2.n.77.
Benefactores, ſiue Deũ, ſiue homines, omnes honorant. v.4.n.50.
Bonum propterſe, vel propter aliud amandum. v.4.n.67.

C

Calor. Calor, vel frigus ſunt primum cognitum ſenſus v. 10. n. 6.

Calor, & frigus non receptibiles in cælo: v. 3. n. 30.

Cælum. Cælum ex ſe non eſt totum, nec perfectum. v. 2. n. 68.

Cælum non eſt primum efficiens, & quare. ibid. n. 69.

Cælum eſt efficiens, & finis motuum ſubcęleſtium. ibid. n. 63.

Quorum accidentium ſit cælum capax. v. 3. n. 26. quorum non capax. n. 30.

Cæli motus eſt medium demonſtrandi bonitatem primi amati. v. 3. n. 28. quomodo motus cæli neceſſariò ametur. n. 27.

Cælum ſemper habet idem bonũ appetendum. ibid. n. 35. non mouetur vt animalia. n. 53.

Primum efficiens quomodo cum anima cæli cælum mouet. ibid. n. 59.

De cæli motu multa dubia. ibid. n. 6.

Cælum quoad pauca, & obſcure eſt cognoſcibile propter diſtantiam. v. 8. n. 15. 16.

Cæleſtium orbium conſtitutio ſecundum Ariſtotelem. v. 5. n. 31.

Cauſa. Cauſis ſingulis in potentia correſpondet cauſatum poſſibile. v. 1. n. 57.

Cauſa vnde motus eſt effectiua, cauſa, cuius gratia non eſt effectiua. v 2. n. 6. ſi plures cauſę coincidant, hoc eſt per accidens. ibid. n. 7.

Cauſa prima bifariam dicitur. ib. n. 57.

Cauſa quo pacto definitur. ibid. n. 63.

Cauſæ ſimpliciter primę conditio. ibi.

Cauſa totalis intellectionis. v. 3. n. 62. & v. 10. n. 00.

Cognitio, & Cognoſcibile. Cognitio veritatis, & opiniones veterum circa cognitionem veritatis. v. 8. n. 8.

Cognoſci omnia à nobis, rationibus probatur. ibid. n. 9. ad 12. Authoritatibus. n. 13.

Cognitionis actiuum totale, & partiale, itemque paſſiuum. ibid. n. 33.

Cognitio omnis aut eſt ſenſitiua, aut intellectiua. v. 10. n. 1.

Cognitio originalis, & ex habitu. v. 10. n. 32.

Item cognitio, vel originaria, vel collectitia, atque originaria, vel confuſa, vel diſtincta. ibid. n. 33. Originaria ſimpliciter, & ad hoc. n. 34.

Confuſa cognitio præcedit diſtinctam, & quare. v. 10. n. 37. & quare.

Cognoſcibile phyſicum, mathematicum, metaphyſicum nõ ſine phantaſmate. v. 8. n. 5. & 6.

Quõmodo autem fiat id per phantaſma. ibid.

Cognoſcibile quadruplex, ſubſtantia, & accidens: vniuerſale, & ſingulare. v. 10. n. 1.

Cognoſcere confuſe bifariam, & cur vnum membrum Scotus omiſerit. ibid. n. 38. ad 40.

Conditio. Conditionalis particula, non ſemper eſt nota dubitationis. v. 6. n. 40.

Contrarium, Contradictorium. Contrarium neque recipit, neque recipitur in contrario, ſed mutuo ſe deſtruunt. v. 6. n. 9. 10.

Contradictoria bifariam accipi, & quomodo medio vacant. v. 9. n. 27.

Ariſtoteles in 1. de cælo, & in 12. metaphyſicæ non contradicit ſibi, vt Caſtelanus vellet. v. 6. n. 24.

Cor. Cor eſt finis membrorum, ſed tamen prius tempore, quam membra. ibid. n. 19.

Corruptibile. Corruptibilia non poſſunt eſſe ſemper, & cur. v. 1. n. 10.

Creatio. Creationẽ ex nihilo agnouit Ariſtoteles. ibid. n. 27.

Quod

INDEX

Quod fit ex nihilo, eſt in potentia paſſiua, & duplex eſt. ibid.n.56.

D

Definitio, & definitum. Definitū eſt duplex, *cum*, vel *ſine* materia. v.6.n.1.
Definitiones phyſicæ ſunt cum materia. ibid.
Definitio non datur per minus cōmunia definito, ſed per magis, vel æquę communia. v.10.n.47.
Definitione cognoſcere eſt diſtincte cognoſcere. ibid:n.37.
Definitio dicitur ſubſtantia rei definitæ. v.6.n.85.
Deus. Deus eſt iuſtus diſtributor bonorum, vel malorum. v.4.n.38.
Curat omnia generaliter, bonos ſpetialiter. ibid.
Dei nomine quid ſignificetur. ibid. n. 50.& 51.
Deus eſt ſimplex, & ſimplici, ac vna voluptate gaudet ideſt ſpeculatione ibid.n.40.
Per ſeipſū beatus n. 41. eſt optimum, & abſolute, & reſpectiue, optimū eſſentialiter, & ſimpliciter. n. 47. 42. 53. Ex ratione propria eſt immultiplicabilis ſpecie, & numero. n.47.49.& 54. ad 77. immobilis, inuertibilis intranſmutabilis. ibid. n.48.
Deus ſi non eſt ſempiternus nec eſt optimus. v.4.n.53. Eſt adorandus. n.50.& 53. Omnia felicitat. n.64. & 65. Idem Deus & liberator à malis, & bonorum largitor. n.77. nulli efficienti, ſeu ſibi, ſeu alii ſubditur. v.6.n.62.
A nullo mutatur. ibid.
Deus non eſt anima, nec pars animæ, aut alterius rei. v.6.n.75.
Non eſt propter vniuerſum, aut vniuerſi ordinem, ſed ſupra. n.77.
Cognoſcit omnia vniuerſalia, & ſingularia diſtinctiſſime per ſe ipſum. v.1.n.63.
Principium eſt bonarum cogitationū in nobis. v.2.n.19.
Sacrificium ſoli deo debetur. v.4.n.12.
Deo non exhibetur condignus honor. v.4.n.15.
Deus eſt principium efficiens. v.2.tota
Non eſt capax prauitatis. v.4.n.22.
Deus ſecundum Ariſtotelem eſt nomē vniuerſalis, non ſingularis. v.4.n. 38.39.
Alia ratio deitatis, alia eſt ratio motoris, cauſe, & principatus. v.4.n.2.
Plures ſunt Dij ex mente Ariſtotelis contra Zenonem. n.18. vniuoce quidem. n.30.
Deus eſt animal immortale. v.4.n.20.
Deo non repugnat multiplicari in plures. n.21.
Dei proprietates numerantur; & quę ab Ariſtotele ſint alijs rebus conceſſę. v.4.n.24.& 26.
Omnia nouit per rationem cauſæ. v.4. n.65.
Num Ariſtoteles ponens vnum ſummum Deum, & plures Deos minores conueniat cum Chriſtifidelibus qui vnum Deum colunt, & nomen Dei applicant Angelis, atque ſanctis hominibus. v.4.n.31.
Deus non dicitur diuinus preciſę, ſed cum addito apud Ariſtotelem: quidque ſignificetur *diuini* nomine v.6 n.59.65.
Eſt viuens optimum abſolutè, non relatiuè. v.4.n.42.
Deus, & primus motor ſe habent, vt quale quid, & hoc aliquid. v. 4.n.45.
Deus vniuoce acceptus eſt vnus, equiuoce multi. v.4.n.48.

Diſ-

Differentia Differentiæ condiuidentes genus, nequeunt in eodem ſub genere conuenire. v.9.n.30.
Diuinum, Diuinatio: Diuinatio à Deo non mittitur, ſed caſu habetur. v. 8.n.17.
Diuinatio ad Boriſthenem, & columnas ex cauſa occulta.
Diuinum quid Ariſtoteli, & quotuplex. v.6.n.59.
Diuiſio. Diuiſio ſcientiarum in tres partes, ſpeculatiuam, actiuam, factiuam. v.9.n.12, & qui diuidunt in duo. n.4.
Diuiſionis lex, nequid ſuperfluum, vel diminutum habeat. v.9.n.1.
Incuret alioqui ſophiſma conſequentis, vel non cauſæ. n.15.
Diuiſio fiat in differentias per ſe diuidentes. v.9.n.20.
Bimembris diuiſio reiecta. v.9.n.1.
Diuidere genus, & diſtinguere ſpeciē, à ſpecie, non ſunt idem. v.9.n.15.& 16.
Diſtinctiones Ariſtoteli potiſſimæ in actum, & potentiam: in per ſe, & per accidens. v.10.n.16.

E

Effectus. Effectus factus ſimpliciter, vel ſecundum quid. v.1.n.2.
Effectus ab vna, an multis cauſis. v.2. n.57.
Efficiens. Efficiens duplex aliud vnde motus, aliud vnde eſſe. v.1.n.30.
Efficiens & modus efficiendi. v.1.n. 34. v.5 n.1.
Efficientis definitio. v.2.n.3. num principali, num inſtrumentali conueniat. v.2.n.4. efficiens facit, vel mutat. v.1.n.34. v.2.n.36.
Efficiens, eſt cauſa extrinſeca, vel intrinſeca. v.2.n.65.
Efficientis cauſalitas ſuper quo fundatur. n.70.
Ratio efficientis aliquo modo eſt ratione finis præcellentior. v.2.n.75.
Modus efficiendi multiplex. v.3.n.6.
Efficiens eſt rationale, vel irrationale. v.3.n.7. eſt liberale, vel mercenarium. n.25.
Primum efficiens, an ſecundum facere poſſit ex nihilo. v.1.n.40. Primum efficiens non patitur & quare. v.2. n.36. Primum efficiens eſt actu exiſtens, & perfectum. v.2.n.64. eſt cauſa effectrix omnium efficientium ſecundorum. v.2.n.66. eſt naturaliter prius omni conpoſito: v.2.n.67.
Primum efficiens nullius eſt pars. v.2 n.68.
Primum efficiens eſt primus finis. v.2 n.73. eſt ſubſtantia ſeparata à magnitudine. n.84.
Primum efficiens eſt cauſa per ſe, non per accidens: immobile, non mobile. v.3.n.3.
Ens Non ens, quas partes facti neget. v.1.n.10.
Non ens actu, vel potentia, & ex quo res fint. v.1.n.11.
Ens potentia duplex. v.1.n.60.
Ens factibile quod nam ſit. v.1.n.20.
Ens obiectum adęquatum intellectus humani. v.8.n.38.
Ens cognoſci diſtinctè, vel confuſè. v 10.n.41. & 45.
Bifariam cognoſci poteſt. v.10.n.43.
Ens primum, & pręſtantiſſimum eſt immultiplicabile. v.4.n.54. ad 61. intrans mutabile. v.1.n.20. Poteſt ſine ſecundo entibus exiſtere. v.1.n. 23.Sep arabile. v.2.n.82. eius conditiones. v.2.n.9.n.11. eſt efficiens. n.32.
Eſſe reale, & intentionale diuerſa ſubiecta exigunt. v.8.n.39.
Error Errores plures Ariſtoteli tribuitur de Cælorum orbibus. v.5.n.2. n.3.

n.3.4. Defenditur ab erroribus. v. 5.n.21.22.23.&n.27.
Facere, fieri. Facere,& agere differunt. v.9.n.18. Vide Actio. fieri duplex. v.1.n.8. & 41.
Fieri ex nihilo, quo pacto v.1.n.29. Fieri eſt compoſitorum. ibid.n.49. & 50. v.6.n.7.
Fieri datos haaet reſpectus. ibidem. & tota.
Factio ex nihilo. v.1.tota.
Felicitas. Felicitatis contemplatiuę decor, voluptas. v.9.n.35.
Obiectum, & ſubiectum. v.4.n.64. & 65.
Forma Forma concreta, vel ſeparata, re, vel ratione. v.6.n.1. ſeparabilis à phyſico non conſideranda vt ſeparabilis. v.6.n.2. educta, non educta n.113. continet materiam. n.67.
Omnis forma ſeparabilis, aut nulla, aut aliqua. v.6. tota.
Forma ſubſtantialis diſtincta ab accidentali. an detur. ibid.n.14.
Forma in communi ſeparabilis ratione, in ſpecie aliqua ſeparabilis re. v.6.n.21. & 31. & 34. vt plurimum inſeparabilis, non ſemper. v.6.n.22. 35.
Fortaſſe non eſt vbique nota dubitantis. ibidem 40.
Finis Finis primus, & primum efficiens idem re. v.1.n.73.
Finis poteſt eſſe fine ordinatis ad eum. v.6.n.19. ens ad finem multipliciter. v.1.n.87.
Non omnis finis mouet, vt intelligibile, & amabile, neque è contra. ibidem 14.
Non omnis finis eſt immobilis. v.3.n.16.
Finis pro obiecto,& pro cauſa. ibi.n:5.
Finis cuius, & cui. v.3.n.16. in eſſe ali, & intentionali. n.52.
Fruſtra in ſpecie, in ſingulari. v.6.n.16.& 132.
Generabile dupliciter dicitur. v.1.n.29.
Gorgiæ Leontino omniſcio ſtatua aurea poſita. v.8.n.2.
Genus diſtrahi non debet. v.9.n.10.

H

HIppias, omnia ſe ſcire, Socrates nulla: Heraclitus, prius nulla, poſterius omnia. v.8.n.4.n.10.
Homo quodammodo felix per ſe ipſũ v.4.n.42. eſt conſiderationis phyſicę, & non eſt. v.6.n.44. non eſt ex rribus ſubſtantijs. v.6 n.58. Eius ſubſtantia diuina, & officium. ibid.

I

INgenioſi minus memores. v.10.n.7.
Intelligibile. Intellectus. Intelligibile ſpeculabile non mouet vt finis. v.3.n.13.
Intelligibile non refertur ad intellectu carentia. ibidem
Intelligibile ſenſibile eſt phyſicæ v.6. n.119.
Intelligibile optimum eſt intellectiuũ optimum. v.4.n.60.non eſt compoſitum. v.6.n.36.
Intellectus & mens omnino idem. v. 6.n.45.49.
Intellectus humanus tres habet ſtatus v.8.n.1.v.6.n.89.
Faciẽs, & poſſibilis in anima. v.6.n. 83.89.85. v.8.n.3. ambo ſeparabiles. v.6.n.83.
Intellectus dependens, vel independens ab obiecto. v.8.n.26. ſupremus, medius, infimus. v.4.n.64
Intellectus humanus dicitur anima. v.6.n.56. Voluntate nobilior. v.9.n. vlt. ſeparabilis eſt. v.6.n.36. non co-

rumpitur n.66.n.77. non habet organum n.78. & 79. non habet materiam communem cũ obiectis phantasiæ n.76. & 82. separatus se intelligit n.118. 120. intelligit singularia, & vniuersalia. v.10.n.14.23.24.25. singularia prius n.26.27.28. intelligit substantiam, & accidens: & prius accidens. v.10.n.9.
Intellectus humanus non est Deus. v.6.n.45.47.48.n.50. vsque ad 61.n.66.75.85.86.
Intellectus speculatiuus non est natura, nec principium motus. v.6.n.22. & 46. supra compositum est n.117. non est physicę n.45.&76. separabilis est. n.4.
Intellectus agens, seu faciens non est Deus. v.6.n.91.92. & n.105.
Non est sua actio v.6.n.84. non facit res in esse reali. n.88.
Intellectus possibilis à quo reducitur ad actum. v.8.n.34. non potest peruenire ad summum perfectionis ex se ibid. 38.
Non scit omnia,& cur. v.8.n.19.20.33
Intelligere est opus vel passio propria non cum sensu, vel per sensum. v.6.n.54.66.115.116.117.
Intuitiuum, & abstractiuum. v.10.n.19. intellectio animæ, & Dei diuersæ. v.6.n.12.
Intelligere *cum* & sine phantasmate. v.6.n.118.120.
Intellectus potentia,& actu. ibi. n.89.
Ignorantia est magis propria, & naturalis hominibus. v.8.n.19.
Ignorantia causæ competit ob duas causas v.10.n.42.
Immortale quippiè in homine omne Peripatetici ponunt. v.6.n.93.
Immortalis anima rationalis v.6. lib. 2. toto.
Inferiora accidunt superioribus, nec eis per se primo, vel secundo modo insunt v.10.n.49.
Inducrione sola intelligi prima principia. v.10.n.30.
Infinitas animarum non datur. v.6.n.138.
Infinitum nulli subordinatur ut fini. v.2.n.77.
Infinitus numerus, aut multitudo corporeorum, vel incorporeorum non est. v.6.n.138.139.

L

Latio simplex triplex est. v.5.n.11.
Libertas, liber homo, scientia libera, Deus liber. v.4.n.72.
Libri exoterici, & acroamatici distinguuntur. v.7.n.5.
Libri de Philosophia. v.4.n.52. de mundo v.4.n.37. de Xenophane. v.1.n.15.
Logica sit ne scientia, an non? organica, an principalis? v.9.n.32.33. speculatiua, an actiua, mediatè, an immediatè extensa. v.9.n.33.34. Necessaria ad vitam, ad felicitatem. v.9.n.33. Vniuersalis, & quomodo v.9.n.2.
Lumen naturale intellectus. v.8.n.3.4.6.
Lunæ num assignentur sphęrę reuoluentes. v.5.n.6. nullæ reuoluentes, & quare. v.5.n.17. & 18.
Orbes deferentes tres, & obliquatio maior, quàm solis. ibid.n.13.

M

Materia existit, præexistit, inexistit. v.6.n.18.
Prior, quàm forma. v.6.n.18. est substantia simpliciter, aut non. v.6.n.37. separabilis à forma, nec ne. v.6.n.38. Materia propriè, & proportionaliter, et principium indiuiduationis v.6.n.124. definitur materia.

v. 1.n.21. Efficiens non eſt. v.2.n.6. effici ex ſubiecto non poteſt, effici tamen poteſt. v.1.n.21.24. Prima, & vltima. v.1.n.40. determinata ad contrarietatem, quæ. v.1.n.55. Materiæ ſignificatum triplex. v.4.n. 74.

Mens extrinſecus accedēs nō eſt deus. v.6.n.55. corporis pondere grauatur v.6.n.58.

Quomodo accedat, & recedat, motu, an non. v.6.n.115.

Memoria in ſenſibus, & pueris fluxa. v.10.n.7.

Medicina de vniuerſali, vel particulari. ibid.n.19.

Medium per negationem, & participationem. v.9.n.27.

Medium inter contradictoria eſt, vel non. ibid.n.27.

Medium inter ſcientię ſpecies. ibid.29.

Modus efficiendi multiplex. v.3.n.2.6. 11.

Modus conſiderandi a modo definiendi. v.6.n.1.

Motus. Mouens phyſicè, non phyſicè. v.2.n.11. v.3.n.21. Mobile, immobile. v.2.n.72. mouens actiue non recipit motum. v.2.n.18.n.88. Inlatione mouēs duplex. v.2.n.44. Mouens phyſicum duplex. v.2.n.59. Mouens moto perfectius. v.2.n.69. Mouens mobile aliud pars, aliud non. v.3.n.37 Mouens commune nulli appropriatum, & proprium. v.3.n.64. Motor appropriatus eſt immobilis, vt primus motor. v.3.n. 64.

Primus motor effectiuè mouet v.2.n. 13.

Conditiones primi mouentis. v.2.n.20.

Primus motor eſt impartibilis, & ſine magnitudine. v.2.n.76. entitatis, & bonitatis infinitæ. n.76. non eſt ab vllo factum. v.3.n.2. non mouet vt finis ſolum, ſed vt efficiens. v.3.n.18.

Primum mouens duplex. v.3.n.33. an mediatè, vel immediatè cęlum moueat. v.3.n.62. mouet in tempore, & cur. n.64.

Mobile vnum, motus vnus probant motorem vnum. v.4.n.44.

Mobilia cæleſtia, & mouentia quot & quæ. v.5.n.1.n.31.

Motus cæli alter diurnus, alter planetarum. ibid. n.8.

Motus primus præcellentior, motus totus, principium, regularis, ſimplex. ibidem

Motus cæli ſecundum longitudinem, & latitudinem, non ſecundum profunditatem. v.5.n.13.

Motus vitalis principiū hoc eſt, argumēti, alterationis, progreſſionis. v.6.n.6.

Motio obiectiua ab intelligibili, & ſenſibili eſt effectiua. v.2.n.83.

N

Natura defectus compenſat. v.5. n.27. Natura pro actiuo opponitur externo principio, vel rationali, vel non phyſico. v.8.n.34.

Naturale quid, & quo diſcernitur v.3. n.19.

Naturalis ſcientia eſt de re, & ratione v.6.n.1.36.37. eſt ſpeculatiua. v.9. n.1. & 2.

Nauta eſt actus nauis, anima corporis, & in quo ſimilitudo. v.6.n.72.

Neceſſitas, vel ſimpliciter, vel ad nutum. v.3.n.23.

Neceſſarium & contingens nō diſtinguunt ſcientias; omnis enim ſcientia de neceſſarijs. v.9.n.22.

Negatio non poteſt eſſe differentia diuidens, & conſtituens. ibid.n.27.

Negatio hæc. *Non extendi*, poſitiuū, an negatiuum dicat. ibidem

Negatiuæ propoſitiones immediatę, quæ

quæ. v 7.n.17.
Non ens actu, & non ens potentia. v. 10.n.20.
Nihil, quid significet. v.1.n.61. quomodo accipitur, si excludat omne esse; quomodo si excludat verum esse essentiæ, & existentiæ. v.1.n.62.
Numerare ad quatuor, & ad decem qui possunt. v.5.n.8.
Numerus est numerabilis. v.6 n.134.

O

Obiectum non dat esse potentiæ. v. 3.n.52.
Si obiectum est finis, & efficiens, qua ratione non mouetur. v.3.n.55. requirit determinatam distantiam, vt agat in sensum, vel intellectum. v. 8.n.27.
Obiectum & potentia non necessario habent indentitatem, sed proportionem. v.8.n. 32.
Oblitio primi cogniti à nobis, cur. v. 10.n.7.
Orbes cælestes principales octo: primus simplex, alij totales mixti. v.5. n.9.
Orbes planetarum alij deferentes, alij reuoluentes; qui & restituentes: & cur. v.5.n.9.10.13.
Omnes orbes sunt concentrici. ibid. n.11. & 12.
Orbium cælestium summa, ordo, officium, cum Aristotele. v.5.n.31.
Orbium ordo pulcher. ibid.n.27.
Orbium ordo ab Aristotele primo à superioribus vsque ad Iouem: secũdo ab inferioribus vsque ad Martẽ. v.5.n.28.
Orbes astriferi, & anastri. n.17. & 18. Additi à Calippo vltra eudoxum. v.5.n.17.20.21
Organum obiectum nunquam dictum est organum animæ. v.6.n.78.
Organum distinguere per proprium & alienum, non est Aristotelis. v.6. n.78.79.
Separabilitas ab organo, non est Aristotelis. v.6.n.73.
Ordo planetarum qualis. v.5.n.10.
Ordo quiditatiuus simpliciter primus v.7.n.16.
Ordo vniuersi concludit vnum principium, an vnum Deum. v.4.n.44 & 45.
Ordo potentiarum cognitiuarum, & obiectorum cognoscibilium. v.10. n.2.
Ordo cognitionis humanæ ibid. n.2.
Operatio vitalis duplex habet principium, intrinsecum viuenti, & extrinsecum. v 6.n.15.
Opus proprium intellectus.ibid:n.64.

P

Passio. Passiuum. Passio duplex, corruptiua, & perfectiua. v.6 n.82.
Passiuo naturali non semper actiuum naturale respondet. v.8.n.34.
Passio vitalis animę propria. v.6.n. 114.
Passio propria vt est quartũ prędicabile, simplex, vel disiuncta. v.6.n. 128. Varietas mira passionum disiunctarum. v.6n. 129.130.132.
Coniunctio, vel separatio, est passio animę rationalis disiuncta ibid.131.
Passio subiecti prioris prior. v.10.n.4.
Pars. Conditiones partis quæ. v.6.n. 75.
Phantasia ex sensu oritur, & intellectui famulatur. v.8.n.7.
Phantasia incolumi, vel infirma intellectus expeditur, vel impeditur ibidem
Non est organũ intellectus, sed obiectum, vel obiecti intelligibilis subiectum. v.6.n.78.79.

NOTABILIVM.

Pisces à serpente differentia. v.9.n 16.
Planetæ superiores pluribus motibus cietur, quam sol, & luna. v.5.n.29.
Orbes planetarum deferentes sunt quaterni, solis, & lunæ terni. v.5.n. 15.
Potentia Possibile. Possibilia quedam numquam fuerunt, aut erunt. v.8. n.2.
Potentia definitur per operationem. v.6.n.85.
Potentia proxima, & remota. v.10.n. 12.
Possibile alternum transmutabile, alterum factibile. ibid.n. 1.
Possibilitas rei generabilis, & corruptibilis ex causa intrinseca, vel extrinseca. v.1.n. 59.
Impossibile vel simpliciter, vel ex cõditione. v.3.n.45.
Possibile obiectiuum duas debet conditiones habere. v.1.n.62.
Obiectum potentiæ effectiuæ: & quæ sit potentia obiectiua. ibidem
Potentia actiua, & passiua. v.2.n.46. & 69.
Actiua vel productiua operis, vel non. v.3.n.10.
Potentia infinita non est in magnitudine. v.2.n.29.
Potentia facientis cum motu, sine motu. ibid.n.25.
potentia infinita agit in tempore, vel non tempore. ibid.n.38.
Potentia motiua datur, quæ superat potentiam motiuam cæli, ac statuam terræ. v.3.n.45.
Praxis, & poesis sunt species operationis disparatę. v.9.n.11.
Praxis de speculatione aliquando dicta, de factione nunquam. ibid.102.
Practicum communiter, & propriè non dari. v.9.n. 12.
Prædicamenta distincta, vt distinctè noscantur. v.7.n.1.
Decem ex Archita. v.7.n.1.2.
Opiniones de numero prędicamentorum. n.3. & 4.
Octo prædicamenta tantum scientificè. v.7.n.67.
Numerus prædicamentorum, per diuisionem non probatur. ibid.n. 15.
Terminata sunt prædicamenta. v.7.n. 27.
Impermista. n.36.
Inuoluta, non euolutè numerata. n.12.
Primarius, & primum eius quo pacto dicitur. v.8.n.6.
Primum cognitum. v.10. tota.
Non est complexum. n.35. non cum applicatione. n.36. non cum deceptione. n.36.
Primum cognitum à paruulo in ventre matris. v.10.n.4. extra ventrem. n.5. & 6.
Primum intellectum est singulare. n. 28. & inter vniuersalia specialissimum. v.10.n. 52.
Proprietates Dei non communicantur aliis formaliter. v.4.n.48.

Q

Qualitas prima, & secunda. v.6.n. 76.
Tangibilis prima qualitas est primum cognitum sensu. v.10.n.5.6.
Quæsita, & non inuenta in physica, ac mathematica. v.8.n.30.
Quiditas sensibilis est obiectum mouēs intellectum. ibidem 4.
Quiditas totalis non est sine compositio, partialis esse potest. v.6.n.100.

R

Ratio sentiendi, & conditio sine qua non sentitur obiectum diuersæ. v.10.n.15.
Recordatio actorum, vel extra corpus vel

vel in alio corpore, cur non insit nobis. v.6.n.146.147.
Reminisci cuius facultatis sit. ibidem 101.
Regnum consortis impatiens v.4.n.81. 74.
Reuoluentes sphętę, dantur superiori vel Cui inferiori vt *cuius* gratia v.5.n. 17.
Reuoluentes dantur, vt non refundatur motus superioris planetæ in inferiorem, sed motus primæ sphærę. v.5.n.5.& 17
Reuoluentes quot, & quibus planetis. ibid.n.17.& 20.

S

Scientia. Sciens. Scientiæ naturaliter inuentę de omnibus. v.8.n.35.
Scientiæ tres, speculatiua, actiua, factiua. v.9.n.1.ad 3. ad se, & ad alterum n.21. alij plures, uel pauciores tribus ponunt. ibid.n.4.ad 10.& n.29.
Scientia practica nō potest diuidi in actiuum, & factiuum. ibidem 11.12. & n.27.28.
Scientia, & scientia optimi viri. ibid. 18.
Scientia *vitalis*. ibidem
Scientia actiua, & prudētia: factiua & ars differunt. v.9.n.22.
Scientia speculatiua, & practica, an medio præditę. v.9. tota.
Scientia per principalem, & organicā an diuidatur. ibidem 32.
Scientia affectiua datur. ibid. 35.
Scientia infinita nec speculatiua, nec practica quomodo? ibidem 31.
Scientiæ vnde secernantur. ibid. vlt.
Scientia potentia, & actu: abstractiua, & intuitiua. v.10.n.17. ad 22.
Scire vniuersale, & ignorare singulare v.10.n.20.
Semen est instrumentum generantis non paragenti. v.6.n.49.
Sensus in agendo præit intellectui. v.8.n.28. defectu sensus, defi it scientia. v.7.n.7. sensus interni, & externi qui, & quot. v 10.n.2.
Cum sensu, per sensum, sine sensu, ambigua. v.6.n.54.
Sensus cognoscit per se accidens. v.10. n.9.
Singulare actiuum. v.10.n.15.16. non decipitur circa proprium obiectū, sed circa applicationem proprij. v. 10.n.36.
Non sentit seipsum. v.2.n.39.
Separabile Platonicum. v.6.n.25.26. 27.28. item. n.75.
Separabilitas duplex. n.103. separabile Aristoteli. v.6.n.29.30.31. separabilitas a corpore Aristotelis, ab organo Alexandreorū. ibid.n.73.79
Locus est separabilis. v.6.n.25. forma separabilis. v.6. tota.
Separatorū & præcipuè primi speculatio difficilis. v.5.n.18. separata à quanto, per quantum intelliguntur. v.8.n.5. & 6.
Situs & habitus à prædicamentis excluſi. v 7.n.12.
Sine prepositio habitudinem subiecti, vel obiecti dicit. v.6 n.114.115.
Singulare est intelligibile. v.10.n.23. 24.25. & prius intelligibile, quam vniuersale. ibidem
Singularia possibilia, & actualia omnia non possunt intelligi actu. v.8. n.23.
Species rerum non possunt esse æquales. v.4.n.54.
Speculatiuum distinguitur a factiuo, & actiuo. v.9.n.16.
Status intellectus tres. v.8.n.89.92.
Status sciētiæ, & ignorātiæ. v.10 n.10.
Substātia separatę secūdæ imperfectæ simpliciter. v.1.n.24. separate motrices

NOTABILIVM.

trices quot. v.5.n.31.
Subſtantiæ ſeparatæ aliæ motrices, aliæ non. v.8.n.31.
Subſtantiarum propria quæ. v.10.n.9. alia latent. v.8.n.28. v.2.n.44. ſubſtantia hominis eſt diuina. v.6.n.58.
Subſtantia intelligibilis, & quomodo. v.10.n.11.12.13. non eſt primo cognita. ibidem
Subſtantiæ diuiſio. v.2.n.9. ſubſtantiæ ſenſibiles tres. v 6.n.23.

T

Actus ſenſuum primus. v.10.n.4. & quare. Primo abſoluitur in actu primo, & primo agit actu ſecundo, & quare. v.10.n.5.
Tangibile primo cognitum. ibidem 4.
Tangibiles qualitates primæ primò cognitæ. ibid.n.26.
Terminorum innouatio nouas inducit enuntiationes, voce, non re mirandas. v.9.n.12.
Terminus durationis, & cauſæ finalis. v.6.n.99.
Terra non habet grauitatem infinitã. v.3.n.44.
Terra mouens animal, & primus motor cæli, ſimiles, ac diſſimiles. v.3. n.47.
Animal a terra mouetur, non tamen ut à cognito. ibid.n.60.
Totum actuale, & potentiale. v.10.n. 38. Totum tribus modis cognoſci poteſt. v.10.n.41.
Totum vniuerſale in ordine ad partes ſubiectiuas propriè non eſt cognitũ confuſè, ſed impropriè, ibid. n.46.
Totum vniuerſale comparari ad ſuperiora, & inferiora & 1. phyſ. 4. ſumi priore modo. v.5.n.47.

V

V*Arietas*. delectat naturam prauam. v.4.n.40.
Veritas probabilis, vel demonſtrata. v.7.n.13.
Veritatis ſtudioſus philoſophus, & Ariſtoteles in primis. v.4.n.46.
Vita. duplex, contemplatiua, & actiua. v.9.n.18.26. Vitæ gradus optimus, eſt optimus entis v.4.n.63. Vita optima intellectiua, eius obiecta, potentiæ, actus. v.4.n.64.
Viuens optimum, vnum: ex intelligibili amabili, felicitãte, intellectione, amore, intellectu, voluntate]. v.4. n.66.ad 72.
Vis cogitandi, ac intelligendi diuerſę. v.6.n.103.
Vis vegetans, & ſentiens contentæ in intelligente, an ſeparentur cum intellectu. ibid. n.103.&117.
Virtus producendi cognitionem alterius in quo ſit. v.10.n.29.
Vnde, ſignificat, effectiuum, & terminum à *quo*. v.6.n.61.
Vnitas. *Vniuocum*. Vnitas Dei à Zenone demonſtrata. v.4.n51.
Vnitas intellectus in omnibus hominibus reijcitur. v.6.n.92.141.142.
Vniuocum ſupra prędicamenta quale. v.7.n.17.
Vniuerſale quodcunq: nõ poteſt à nobis intelligi actu. v.8.n.24.
Vniuerſaliſſima non eſſe primò, uel magis cognita. v.8.n.36.v.10.n.31.
Vniuerſale, & ſingulare diſtinguitur. v.10.n.3.actu, & potentia uniuerſale. n.23. complexum uel incomplexum. n.27. prius, & poſterius cognitum. n.30.& 31.
Vniuerſale ſeparatum ad ſcientiam nõ neceſſarium. v.10.n.18.
Vniuerſaliſſimum, ut ens eſt primum diſtinctè cognitum. v.10.41.
Vocem imponere, & impoſita vti, diſcriminantur. v.9.n.11. & 12.

Errata	Correcta
car.8 col.1.lin.35.fieri	fieri
20.co.1.l.18.ſecundam	ſecundum
44.co 2.l.2. ſed ipſi	ſed eſſe ipſo
l.34.vendicauit	venditauit
56.co.2.l.9.producerir	produxerit
l.22. ſapientiai	ſapientia
28.æternam	æternum
60.co.2.l.37. cerripit	corripit
75.co.1.l.25.dixit	dixi
81.co.1.l.3.motust ceſſat	motus ceſſat
87.co.1.l.36. principum	principium
88.co.1.l.vlt.mmebrs	membro
113.co.1.lin.2.pumum	primum
207.co.1.l.8.intraſmutabili	intrãſmutabilis
219.co.1 l.19.ſi itaque	ſit itaque
219.co.2.l 37. cap.16.	cap.15.
221.co.2 l.39.qui non præſideat, non erit ita colendus: ſi duo sũmẽ, tunc honor nõ erit	
224.co.1.l.29. plantæ	planetæ
243.co 1.l.4. Num	Nunc
247.co.2.l.23. ancellas	ancillas
247.co.2.l.32.exquiſit	exquiſitæ
253.co.2.l.28. iuta	iuxta
260.co.1.l.16. potuit	poſuit
270.co.1.l.7. eſt	aſt
269.co.2 l.3.vnum dele	vnum
272.co.2.l.40.conſiderar	conſiderari
277.co.1.l.17. homini,	hominis,
280.co.1.l.34. & ſenſus	& ſenſili
281.co.2.l.31.Aepropter	Eapropter
l.vlt Ad	At
283.co.2.l. 14.audiens	addito
l.29.comparatas	comparatæ
289,co.2 l.4.Alexandreos	Alexandreus
269 co.2.l.17. oſcenſum	aſcenſum
325.co.2.l.32.quia	quam
l.39 tradicta,	tradit
336 co.1.l 42 reuertar	reuertetur
345 co 1.l.8 repuendos	reſpuendos
357.co.1.l 36. 8.prædicamẽta	8.in prędicamenta
359.co.1.l.37. proprus	propius
372.co.1 .l.2.arbitrnadum	arbitrandum
l 43.præfinit	præfixit
373.co.1.l 26.ſit facilis	Non ſit facilis
376.co.2.l.20. : ſuas veritates dele duo pũcta præpoſita & pone illa poſt veritates:	
376 co.2.in margine dele num. 23.	
377.co.1.l.vlt mediate vt ſi de (lege mediate (vt ſi de	
380.co.2.l.18 imperfectione	improportione
381.co.2.l.39.imò	item
382.co.1.l.10. vera	non
383 co 1.l.21.generabilibus	generalibus
405 co.2.l.30.factiui	actiui
411 co 1.l.1.ſiquidẽ logica	ſiquidẽ ſine logica
419.co.2.l.20. alia	aliæ
463.co.1.l.34. megligitur	negligitur

FINIS.

PATAVII
Ex Typographia Pauli Frambotti Sup. permiſſu.
Ac Impenſis Authoris.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google